SC.17.Pl.6.

37
27 B
20

- AR/A 2524

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ

CONTRA

Atheos Polytheos Idololatras Mahometanos & Judæos

Ex Devictis Hæreſibus directè ejus Veritatem impugnantibus

DEMONSTRATA

PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI

ORDINIS PRÆDICATORUM

In Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem

NUNC

S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS VII.

PARS III.

De Hæreſibus IV. V. VI. & VII. Seculi.

ROMÆ, ex Typographia Bernabò, MDCCXXXIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ELENCHUS

Hæreſum quæ in hujus ſeptimi Tomi Parte III. referuntur & confutantur.

CAPUT XLIX.

De Aerianis.

§. I. *Quis fuerit Aerius, & quæ illius hæreſis occaſio.* pag. 1
§. II. *Aerii de Epiſcopatu error refutatus.* 5
§. III. *Error contra Suffragia pro Defunctis, & ſtata Jejunia.* 20
§. IV. *Error de Paſchate.* 26

CAPUT L.

De Aetianis & Eunomianis.

§. I. *Qui fuerint Aetius & Eunomius.* 29
§. II. *Errores de Filio Dei &c. de cognitione Dei, de Chriſto, de Baptiſmo, de Reliquiis SS. & Fide.* 34

CAPUT LI.

De Apollinariſtis.

§. I. *Apollinaris perſona, & occaſio hæreſis.* 43
§. II. *Apollinaris hæreſis damnatio.* 45
§. III. *Apollinaris error de Chriſti humanitate.* 51
§. IV. *Error de Chriſti Corpore.* 54
§. V. *Errores de Trinitate, & Regno Millenario.* 59

CAPUT LII.

De Antidicomarianis.

§. I. *De hujus hæreſis ortu, ac de Helvidio.* 62
§. II. *Antidicomarianorum, ſeu Helvidii error refutatus.* 64
§. III. *Danæi calumniæ diſſipantur.* 68

CAPUT LIII.

De Collyridianis.

§. I. *Hæreſis ortus, & error.* 72
§. II. *Danæus refutatur.* 76

CAPUT LIV.

De Maſſalianis.

§. I. *Qui, & quales fuerint, & quando detecti.* 82

§. II. *Maſſalianorum errores.* 87

CAPUT LV.

De Metangiſmonitis.

§. I. *Unde ſic dicti, & quando orti.* 93

§. II. *Hæreſis, & Danæi calumniæ diſſipatio.* 94

CAPUT LVI.

De Seleucianis, ſeu Hermianis.

§. I. *Qui, & ex quo fuerint.* 97

§. II. *Eorum errores refutati.* 99

CAPUT LVII.

De Proclianitis, & Patricianis.

§. I. *Proclianitæ.* 103

§. II. *Patriciani.* 105

CAPUT LVIII.

De Aſcitis, & Pattalorinchitis.

§. I. *Aſcitarum nomen, & error.* 108

§. II. *Pattalorinchitæ, & Danæi calumniæ.* 110

CAPUT LIX.

De Aquariis, & Coluthianis.

§. I. *Aquarii.* 114

§. II. *Coluthiani.* 115

CAPUT LX.

De Florianis, Æternalibus, & Nudipedalibus.

§. I. *Floriani, ſeu Floriniani.* 118

§. II. *Mundi-Æternales.* 120

§. III. *Nudipedales, ſeu Excalceati.* 121

CAPUT LXI.

De Donatiſtis.

§. I. *Cauſa ortus ſchiſmatis, hæreſis, ac inter ipſos ſciſſionis.* 124

§. II. *Error de Eccleſia.* 130

§. III. *Error de Baptiſmo, & de Trinitate.* 134

§. IV. *Donatiſtarum impia facinora.* 138

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXII.
De Priſcillianiſtis.
§. I. *Priſcilliani hiſtoria, & exitus.* 144
§. II. *Priſcillianiſtarum errores,* 150

CAPUT LXIII.
De Hæreſi circa Cibum, & de Rhetorianis.
§. I. *Hæreſis de Cibo, & de Spiritu Sancto.* 156
§. II. *De Rhetorianis.* 159

CAPUT LXIV.
De Theopaſchitis & Tritormiis.
§. I. *Theopaſchitæ qui fuerint, & quis eorum error.* 164
§. II. *De Triformiis, eorumque errore.* 166

CAPUT LXV.
De Aqueis, Melitoniis, & Ophitis.
§. I. *Aquei, ſeu Hydrotheitæ.* 168
§. II. *Melitonii.* 170
§. III. *Ophei.* 172

CAPUT LXVI.
De Tertulliis, Liberatoribus, & Nativitariis.
§. I. *Tertullii qui fuerint, & in quo erraverint.* 174
§. II. *Liberatores qui fuerint & eorum error.* 177
§. III. *Nativitarii cur ſic dicti.* 179

CAPUT LXVII.
De Luciferianis.
§. I. *Luciferi Calaritani ſchiſma & exitus.* 182
§. II. *An Luciferiani verè fuerint hæretici.* 187

CAPUT LXVIII.
De Jovinianiſtis.
§. I. *Joviniani error de Virginitate, & Nuptiis.* 192
§. II. *Error de Abſtinentia, & Jejunio.* 197
§. III. *Error de Gratia inamiſſibili poſt Baptiſmum.* 201
§. IV. *Error de paritate peccatorum, & remunerationis bonorum operum.* 204

CAPUT LXIX.
De Arabicis, & Helvidianis.
§. I. *Qui fuerint Arabici, & quis eorum error.* 210
§. II. *De Helvidianis.* 212
CA-

Digitized by Google

CAPUT LXX.

De Paternianis, ſeu Venuſtianis.

§. I. *Unde ſic dicti, & quis eorum error.* 213
§. II. *Paternianorum error refutatus.* 215

CAPUT LXXI.

De Tertullianiſtis, & Abelonitis.

§. I. *Tertullianiſtæ, & Tertullianus.* 217
§. II. *Tertulliani & Tertullianiſtarum errores.* 220
§. III. *Errores Catholicis, ac Tertulliano à Danæo tributi.* 224
§. IV. *De Abelonitis.* 227

CAPUT LXXII.

De Pelagianis.

§. I. *Pelagii perſona, & indoles, ſocii in hæreſi, & ejus ortus.* 230
§. II. *Error de Gratia Dei.* 234
§. III. *Error Pelagii de Adamo, & Peccato Originali.* 241
§. IV. *Error de Baptiſmo Parvulorum.* 247
§. V. *Error de inamiſſibilitate Gratiæ, & Oratione.* 251

CAPUT LXXIII.

De Semipelagianis, & Prædeſtinatianis.

§. I. *Semipelagianorum errores.* 257
§. II. *Semipelagianæ hæreſis origo, primi ejus Auctores, & Sectatores.* 264
§. III. *De Prædeſtinatianis.* 273

CAPUT LXXIV.

De Vigilantio.

§. I. *Vigilantii perſona, & indoles.* 276
§. II. *Vigilantii errores.* 278

CAPUT LXXV.

De Neſtorianis.

§. I. *Neſtorii qualitates, & hæreſis initia.* 283
§. II. *Geſta à Cæleſtino, & Synodo Epheſina adversùs Neſtorium.* 286
§. III. *Errores Neſtorii rejecti.* 292

CAPUT LXXVI.

De Eutychianis.

§. I. *De Eutychete, ejus hæreſi, & circa eam initio geſtis.* 298
§. II. *Epheſina II. Synodus.* 302

§. III. *De Chalcedonenſi Synodo, Eutychetis damnatione, ejuſque erroribus.* 306
§. IV. *Eutychianorum ſoboles, ac tumultus.* 312
§. V. *De Henotico Zenonis.* 316
§. VI. *Eutychianæ hæreſis propagines.* 317

CAPUT LXXVII.

De Acæmetis & aliis.

§. I. *Qui fuerint Acæmetæ, & in quo erraverint.* 325
§. II. *Aliæ Hæreſes ex Damaſceno.* 327

CAPUT LXXVIII.

De Monothelitis.

§. I. *Hæreſis ortus & Heraclii Ecteſis.* 331
§. II. *Quid egerit Honorius.* 334
§. III. *De Theodoro Rom. Pont., Pyrrho & Paulo Conſtantinopol., & Typo Conſtantis.* 337
§. IV. *De SS. Martino I. & Maximo, eorumque martyrio.* 341
§. V. *Monotheliſmi confutatio.* 347

CAPUT LXXIX.

De Mahometanis, & Paulicianis.

§. I. *Mahometanæ Sectæ ortus, ac errores.* 352
§. II. *Danæi calumniæ rejectæ & in ipſum verè retortæ.* 354
§. III. *De Paulicianis.* 361

IMPRI-

IMRPIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro.

Phi. Archiepiſcopus Theodoſiæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

TRA-

TRACTATUS

De victoria adverſus hæreſes.

CAPUT XLIX.

De Aerianis.

§. I.

Quis fuerit Aerius, & quæ illius hæreſis occaſio.

I. AERIANI à quodam Aerio nomen & errorem ſortiti ſunt. De ejus genere ac Patria nihil apud Veteres legitur, niſi quòd è Ponto oriundum eum dicit Epiphanius in Indiculo Hæreſ. Lib. 3. Tom. 1. Hominem audaci inſolentiâ ad omnia paratiſſimum illum idem Epiphanius (cujus temporibus adhuc ſuperſtes erat) deſcribit Hæreſi 76. num. 1. his verbis: *Aerius quidam ingenti perinde damno in mundum introductus eſt, furiis quibuſdam percitus, & inſolentiâ majorem in modum elatus. Etenim hæreſes omnes peſſimo ex eorum, qui ab initio uſque ad finem extiterunt, conſilio profectæ ſunt; ſive illos gloriæ cupiditas aut arrogantia, ſive voluptatum libido, ſive aliorum æmulatio, ſive commotio quædam animi, aut temeritas impulerit. A Diabolo porrò omnis illa eſt inflicta cæcitas: non quòd hic invitum ac nolentem decipere quemquam poſſit: ſed quòd unuſquiſque peccati ſibi cauſa, atque auctor ſit.... Aerius iſte verò ad hodiernum uſque tempus ſupereſt, eſtque Sectâ penitùs Arianus. Neque enim aliter atque*

iſte ſentit: *imò etiam Arium ipſum dogmatum novitate ſuperavit*. *Quin hac in parte linguam ſuam procudiſſe*, *& ad dicendum promtus eſſe videtur*, *ut deceptorum hominum exercitium*, *eorumque*, *quibus & aures pruriunt*, *& animus vanitate arrogantiâque diſtentus eſt*, *multitudinem ad ſe pelliciat*. *Etenim magnam & ille quoquè nugarum ac fabularum copiam in humanum genus invexit ; quæ tametſi prudentioribus ridicula videatur ; nihilominus pleriſque per illam impoſuit & in errorem abduxit*. Hæc de qualitate Aerii Epiphanius teſtis coævus: licèt Lambertus Danæus, cujus cauſa cum Aerio communis eſt, ut infra dicam, cap. 53. contrarium acerrimè conetur defendere.

II. Occaſionem verò, quâ hæreſim ſuam Aerius concepit, ita proſequitur enarrans Epiphanius ibi: *Fuit hic Euſtathii Sebaſtiæ Epiſcopi* (*quæ eſt in Ponti regione*, *ſive Minoris Armeniæ*) *ſodalis*. *Ambo enim monaſticæ vitæ genus amplexi ſunt*. *Cùm autem Euſtathius ad Epiſcopatum eſſet evectus*, *Aerius*, *etſi id magnoperè cuperet*, *eò tamen pervenire non potuit*. *Hinc ſimultas ex æmulatione conflata*. *Et quidem Euſtathius Aerio plurimum indulgere & addictus eſſe viſus eſt*. *Nam & Presbyterum hunc poſtea creavit*, *& Xenodochii*, *quod* Prochotrophium *in Ponto vocatur*, *curam ei commiſit*. *Ejuſmodi quippè domicilia præ amore erga hoſpites ab Eccleſiarum Antiſtitibus excitari ſolent ; in quibus mutilatos & imbecilles collocant*, *iiſque ad victum neceſſaria pro virili ſuppeditant*.

Sed cùm nullum ſuccenſendi modum faceret Aerius, *rixæ ac jurgia in dies ingraveſcere*, *ac mutuæ ſimultates augeri*. *Ad hæc peſſimi quidam rumores & calumniæ adversùs Euſtathium ab Aerio ſpargi*. *Interim Euſtathius Epiſcopus evocatum ad ſeſe Aerium mulcere*, *adhortari*, *comminari*, *iraſci*, *ſupplicare*, *neque quidquam tamen his rebus efficere*. *Nam quod ab initio conſtitutum*, *inchoatumque fuerat*, *ingentem in mali vim erupit*. *Poſtremò relicto mendicorum hoſpitio diſcedit Aerius*. *Quo ex tempore in omnem occaſionem intentus*, *velut qui hoſtem opprimere ac telis petere ſtudet*, *verſabat ſe in omnes partes*, *& apud omnes calumnioſè deinceps Euſtathio detrahens*: *Non is eſt*, *inquiebat*, *qui hactenus fuit*: *ſed ad rem attentus eſt*, *& cumulandis opibus totus incumbit*. *Quæ quidem per ſummam calumniam ab Aerio jactabantur*. *Euſtathius verò*, *qui Eccleſiæ negotia tractabat*, *facere aliter non poterat ; ideoque probabiliter hæc ab Aerio dicebantur*. Invidia ergo & æmulatio de non adepto Epiſcopatu contra Euſtathium fecit Aerium implacabilem calumniatorem, ac quaſi non ſat eſſet calumniis onerare perſonam, Epiſcopatum ipſum calumniari conatus fuit, ut dicetur. Nec mirum: ab invidia enim omne malum initium habuit: invidia de bonis homini à Deo

Digitized by Google

Deo collatis Diabolum adverſùs hominem, & adverſùs Deum calumniis armavit: & genus humanum totum ſauciavit: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Invidiâ autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum* (Sapientiæ 2. 23.) Invidiâ quoque de Abelis Sacrificio à Deo accepto Diabolus Cainum ad necem fratris impulit. His armis quoquè Aerium contra Euſtathium inſtruxit (Sap. 2. v.25.) *Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.*

III. Ne autem quis putaret, ſe in gratiam Euſtathii Aerium culpâ gravaſſe, ab hac ſuſpicione ſeſe exonerans, pergit Epiphanius oſtendens qualis eſſet Euſtathius: *Cæterum dubitabit forſitan aliquis, quoniam Aerii iſtius occaſione mentionem Euſtathii fecimus, num ipſum tandem Euſtathium laudandum arbitremur. Nam quod ad ejus vitæ inſtitutum attinet, non paucis admirationem peperit. Qui utinam ad rectam & ſinceram fidem adhæſiſſet! Verùm hic in Arii dogmate à principio ad finem uſque perſeveravit, nihiloque perſecutionum calamitatibus melior factus eſt. Siquidem cum Baſilio & Eleuſio ac cæteris perſecutione jactatus eſt: ac videtur & ad Liberium beatæ memoriæ Romanum Epiſcopum cum aliis Epiſcopis legationem obiiſſe, & expoſitioni fidei, quæ in Nicæna Synodo propoſita fuerat, ac ſinceri dogmatis profeſſioni ſubſcripſiſſe. Poſtea verò velut à ſomno ſe revocans, ac priorum recordatus, ad Arianam perfidiam, quam initio ſuſceperat, reſpiciendi nullum finem habuit.* Qualis iſte Euſtathius fuerit, ſi quis videre optaverit, adeat Socratem L.2. Hiſt. c.43., & Sozomenum L.4. c. 24. de quo agit etiam L.3. c.14.

IV. Oſtenſo igitur, ſe non damnare Aerium, ut Euſtathio faveat, imò utrumque tamquam hæreticum deteſtari, ad capita errorum quæ ſpargere cœpit Aerius, dicit Epiphanius n. 3. quòd *Procbotrophio relicto, magnam vim ſecum utriuſque ſexus hominum abduxit, qui omnes ab Eccleſiis, agris, pagis, & oppidis arcebantur. Ac ſæpenumero totus ille cœtus nive perfuſus paſſim per campos ſub dio degebat, aut ad prærupta ſaxorum ſilvaſque confugiebat.* Eorum verò quæ ſuos docebat capita hæc erant; Primum ac præcipuum: Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores. Secundum: Orationes pro defunctis & bona pro illis ſuſcepta opera rejicienda eſſe. Tertium: Stata jejunia & ab omnibus Chriſtianis ſervari ſolita eſſe proſcribenda. Quartum: Paſcha non eſſe à Chriſtianis celebrandum. Quintum: Bonis omnibus temporalibus eſſe renuntiandum. Horum ſingula inferiùs referam ac refutabo. Priùs tamen cauſa hæc cum Danæo mihi agenda eſt.

V. Lambertus Danæus Sectæ Calvinianæ, ſeu Puritanæ profeſſor, ac vindex acerrimus, videns, quòd ſi tria priora Aeriani

dogmatis capita tamquam hæretica habeantur, ſe ſuamque Sectam, quæ eadem profitetur ac prædicat, non poſſe amplius ab hæreſis nota vindicare, totum conatum adhibet, ut oſtendat, ea nec hæreſes eſſe, nec Aerium ea docentem pro hæretico habendum, & hæreticis annumerandum. Primò ergo Euſtathium quidem Ariana labe infectum fuiſſe affirmat, Aerium autem, negat. Sed cùm Epiphanius, cujus ætate Aerius adhuc in vivis erat, hoc de eo ſicut & de Euſtathio, cujus ſodalis priùs erat, affirmet, ut ſupra; cùm inſuper S.Auguſtinus Lib. de Hær.cap.53. Aerium in Arianorum hæreſim lapſum fuiſſe tradat; quæ ratio eſt, ut Danæo potiùs habeatur fides, quàm Epiphanio & Auguſtino & aliis hoc teſtantibus?

Secundò dicit, quòd ſi quis ea excipiat, quæ cum Arianis de Chriſti Deitate ſenſiſſe fingitur potiùs Aerius quàm probatur, nihil erit quod juſtè illius in dogmate reprehendatur. Reprehendendum potius Euſtathium ipſum, qui cum Euſtathianis videtur magna Antichriſti tyrannidis, Epiſcopatum extollendo, fundamenta jeciſſe. Proinde nec Aerianos pro hæreticis habendos eſſe, cùm Hiſtoria Eccleſiaſtica Socratis & Sozomeni Aerianorum tanquam hæreticorum nuſquam meminerit.

VI. Ad hæc gradatim dicam. Quòd enim Aerius Arianis partibus non adhæſerit, à Danæo quidem fingitur; ſed contrarium à me jam probatum eſt. Quòd præter hoc nil ſit in Aerii dogmate reprehendendum, Danæus dicit; ſed cum ipſe in cauſa ſit, judex eſſe non poteſt: & ejus judicium falſum eſſe inferiùs oſtendam. Reprehendendum potiùs dicit Euſtathium. At petam: quare? Quia Arianus fuit? & ego in hoc reprehendo. At Aerium quoquè in hoc reprehendat Danæus. Quia Epiſcopatum ſupra ſimplex presbyterium evexit? At hoc ipſe primus non fecit, ſed ab Apoſtolis traditum accepit, ut demonſtrabo. An quia Epiſcopatum vertit in tyrannidem? At quomodo hoc imputari poteſt Euſtathio, qui cum Aerio adeò blandè egit, ut ejus pertinaciam emolliret? Reprehendat potius Aerium, qui invidiâ obcæcatus tanta contra ſuum Epiſcopum machinatus fuit. Aerianos pro hæreticis non eſſe habendos dicit Danæus. Non miror, quia ſi Aerianos faſſus fuiſſet hæreticos, neceſſe erat, ut ſe ipſum quoquè hæreticum fateretur. Sed, inquit, Socrates Sozomenus & alii eorum inter hæreticos non meminere. At cùm præfati Hiſtorici nec Aerii, nec Aerianorum, ut comperi, ullam mentionem fecerint, dicere oportebit, nec Aerium, nec Aerianos unquam extitiſſe. Quidquid autem ſit, SS. Epiphanius & Auguſtinus Aerianos hæreticis annumerant, & dogmata quæ profitebantur hæreſes ſunt ab Eccleſia

Eccleſia

cleſia damnatæ, ut demonſtrabo, quidquid in contrarium calumnietur Danæus. Hoc ſufficere debet.

§. II.

Aerii de Epiſcopatu error refutatus.

I. INvidiâ & rabie extimulatus, quòd Sebaſtenus Epiſcopatus, quem ut dixi ambiebat, ſibi non fuiſſet adjudicatus, contra Epiſcopalem dignitatem blaterare cœpit Aerius ac dicere, Epiſcopum à Presbytero nullâ differentiâ debere diſcerni. Eum ſic loquentem inducit Epiphanius Hær. 75. num. 3. *Quanam*, inquit, *in re Presbytero Epiſcopus antecellit? Nullum inter utrumque diſcrimen eſt. Eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor ac dignitas. Manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter: Baptizat Epiſcopus, idem facit & Presbyter. Divinum omnem cultum adminiſtrat Epiſcopus, non minùs id facit & Presbyter. Epiſcopus in throno ſedet, ſedet & Presbyter*. Ita qui Epiſcopatum obtinere non potuerat, ſe ſimplicem Presbyterum parem Epiſcopo facit, ut & Epiſcopatui honorem detrahens, & de æmulo ulciſcatur, & ſimplices ad ſui obedientiam tamquam ad Epiſcopum incautos trahat. Quod pro votis ei eveniſſe ſcribit Epiphanius ita: *His in vulgus jactatis pleroſque in errorem abduxit, quorum Sectæ princeps extitit*. Simili modo, Lutherus de Indulgentiarum publicatione ulturus, in Indulgentiarum valorem debacchari cœpit, alioſque coacervans errores Lutheranæ Sectæ principem ſe conſtituit. Ex his apparet, vel ex ipſa cauſa dogma iſtud cuique prudenti falſitatis ſaltem ſuſpectum reddi debere.

II. Manifeſtum tamen errorem eſſe, quidquid Calviniſtæ, & alii ſimilis furfuris obſtrepant, ex Scripturis & Traditione oſtendunt Catholici Scriptores Veteres, & etiam Moderni, inter quos Natalis Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 4. Diſſert. 44., ex quibus aliqua perſtringam, ut Danæi cavillos, & impoſturas diſſipem, plura apud illos percurrenda relinquens. De quo egi etiam Tom.4. in 3.p. de Sacram. Ordinis Qu.1. Dub.1.

Epiſcopos ergo jure Divino Presbyteris eſſe Superiores Sacræ Scripturæ teſtimoniis evincitur. Primò ex verbis Pauli ad Titum c.1. v.5. ubi ſcribit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Quibus apparet, Apoſtolum conſtituiſſe Titum pro regendâ inſulâ Cretæ in iis quæ pertinent ad fidem & mores Epiſcopum; unde ſtatim ei præſcribit conditiones, quas in ſe habere debet

debet Epiſcopus, dans ei facultatem corrigendi. Et quia pro tota Inſula, in qua plurimæ Civitates erant, regenda unicus Epiſcopus impar erat, dat ei facultatem conſtituendi per ſingulas Civitates Presbyteros. Licèt autem hic Presbyterorum nomine, qui ſingulis Civitatibus præeſſent, non ſimplices Presbyteros, ſed Epiſcopos intelligant Chryſoſtomus Homil. in Epiſt. ad Titum, Œcumenius in eamdem Epiſt. & Theophylactus dicens: *Epiſcopos hic ait, quemadmodum in Epiſtola ad Timotheum. Per Civitates autem inquit. Noluit enim univerſam Inſulam uni commiſſam eſſe, ſed quamlibet urbem proprium habere Paſtorem. Sic enim & labor levior eſſet, & cura exactior*. Conſtat tamen, Eccleſiarum curam ab initio Epiſcopis fuiſſe traditam: & conſequenter inſtitutionem Epiſcopalis Ordinis à Chriſto fuiſſe ortam, & ab Apoſtolis executioni demandatam.

III. Secundò, idem demonſtrat S. Paulus in 1. Epiſt. ad Timoth. c.3. v.1. ubi poſtquam dixit: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*: ſubjungit: *Oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, addens alias conditiones, quas habere debet Epiſcopus: quod facit etiam ad Titum cap.1. inter quas præcipua eſt, quòd amplectatur *eum, qui ſecundùm doctrinam eſt fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana & eos qui contradicunt arguere*. Ubi Paulus loquitur de Epiſcopis, ut à ſimplicibus Presbyteris diſtinctis, quales erant Timotheus & Titus, de quibus Euſebius L. 3. Hiſt. c. 4. *Timotheus*, inquit, *Ephesinæ Eccleſiæ Epiſcopatum primus accepiſſe dicitur: quemadmodum etiam Titus inſulæ Cretæ Eccleſiarum Epiſcopus fuiſſe memoratur*.

IV. Tertiò, hoc idem demonſtrat Paulus in eadem Epiſt. ad Timotheum c.5. v.9. ubi: *Adversùs Presbyterum*, inquit, *accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*. Quibus Apoſtolus Timotheum Epiſcopum à ſimplici Presbytero diſtinguit, & de iſto etiam judicandi poteſtatem habere ſupponit. Ergo Epiſcopus quâ talis ex inſtitutione Divina auctoritatem habet juris in Eccleſia dicendi etiam in Presbyteros, ſicut & in quoſcumque alios Chriſtianos, & publicè peccantes arguendi, ac pœnis Eccleſiaſticis mulctandi, puta excommunicationis, aut publicæ pœnitentiæ. Quod Paulus ipſe Epiſcopali, quo à Chriſto munitus fuerat, jure, exercuit maximè erga inceſtuoſum Corinthium 1. Cor.5. v.4. Quo jure Epiſcopi etiam in Presbyteros ſemper potiti ſunt: ſimplices verò Presbyteri, numquam, maximè contra Epiſcopos. Quis ergo hic non videt, Epiſcopum vi ſui Ordinis, & jure Divino ſimplici Presbytero ſuperiorem eſſe? Vidit hoc Epiphanius Hæreſ.75.

num.5.

Digitized by Google

num.5. ubi ad illa verba Pauli ad eundem Timotheum cap. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem*, Senioris nomine intelligens Presbyterum, ut Eccleſiaſtici Ordinis nomen eſt: *Quid autem*, inquit, *attinebat Epiſcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgaret, niſi majorem ipſo poteſtatem obtineret? Quare deinceps admonet*,, Adversùs Presbyterum citò accuſationem ne admiſeris, niſi duobus tribuſve teſtibus,,? *Non alicui ex Presbyteris præcepit, ut accuſationem contra Epiſcopum non admitteret: aut ut Epiſcopum non objurgaret.*

V. Quid in contrarium dicat Danæus audiendus eſt. Epiſcopos in Eccleſia etiam in ſui initio, ſeu qui Epiſcopi vocarentur videtur admittere: ſed hos non jure Divino fuiſſe dignitate & ordine presbyteris ſuperiores, ſed tantùm officio, ad quod pro regimine Eccleſiæ ex Presbyteris unus eligebatur. Sumens enim Aerii partes dicit,, Presbyterum ab Epiſcopo ordine & gradu non ,, differre, dixit Aerius: ſed qui Presbyter eſt, Epiſcopum dici, ,, quatenus in uno aliquo actu, in quo à presbyterio electus eſt, ,, præeſt cœtui, quia in Eccleſia nihil confusè fieri, gerive debet. ,, Ex quo fit, ut per vices præſidentes Presbyteri ſint omnes Epi- ,, ſcopi. Quæ ſententia cur damnari debeat, non video. Primum ,, enim eoſdem Presbyteros & Epiſcopos eſſe agnoſcit Sacra Scri- ,, ptura, nec eos diſtinguit, aut hos illis præfert, ſed in commune ,, vocat omnes eos *Præpoſitos* Hebr. 73. v. 7. Nam Presbyterum ,, eſſe nihil aliud eſt, ait Petrus 1. Petri 5. v. 1. & 3., 1. ad Ti- ,, moth. 3. Unde & Hieronymus ad Titum cap. 1. & in Epiſt. ad ,, Evagrium ſcribit, id non jure Divino, ſed tantùm hominum ,, conſuetudine & metu ſchiſmatis factum, ut è pluribus Presby- ,, teris unus crearetur Epiſcopus,,. Additque de hoc diſputare adhuc Canoniſtas & Theologos.

Et infra ex Epiphanio Hereſ. 68. ſchiſma Meletianum huic occaſionem dediſſe fingens, hæc & alia addit,, Adeò ut hoc di- ,, ſcrimen & hæc prælatio unius in Alexandrina civitate primùm ,, nata fuiſſe videatur: ex qua urbe etiam Monaſtica vita & va- ,, riæ Eccleſiæ peſtes ortæ ſunt. Et quas hoc loco rationes affert ,, Epiphanius contra Aerianos, eæ ſunt prorsùs inanes. Denique ,, Irenæus Pium & Hyginum Epiſcopos Romanos vocat Presbyte- ,, ros. Et Euſebius Lib. 5. cap. 26. Quanta verò hujus Epiſcopalis ,, dignitatis & proſtaſiæ incommoda percepta fuerint, quia præter ,, Dei verbum in Eccleſiam inducta eſt, rerum eventus docuit, & ,, declaravit poſtea Synodus Carpentoratenſis ſub Leone. Epi- ,, phanius ipſe tandem coactus concedit, hanc diſtinctionem inter ,, Epiſcopos & Presbyteros tempore & ſeculo Apoſtolorum nondum

„ dum fuiſſe : quaſi verò in regenda Eccleſia poſteri, noſque ipſi „ ſapientiores ſimus „. Hæc ſunt arma, quibus Danæus pro ſe potiùs quàm pro Aerianis pugnans ordinem Epiſcopalem evertere conatur, quaſi de jure Divino non ſit, ſed humano tantùm, & in Eccleſiæ perniciem ſupra Presbyteratus ordinem elatus. Sed quàm infeliciter id evincat, ſtrictiùs, ut potero demonſtrabo.

VI. Et quidem Epiſcopi nomen cùm à Scripturis delere non poſſit, dicit hoc eſſe nomen puri officii, nec ordine, nec gradu à ſimplici Presbytero diſtincti : ita ut qui Presbyter eſt, Epiſcopus dici poſſit, ſi ad actum præſidendi Eccleſiæ à Presbyterio eligatur. Concedam & ego Danæo, rectum Eccleſiæ ordinem petere, ut in illius regimine unus ſit qui præſit ; ſed ipſe concedat mihi, hujus ordinis rectitudinem, non ab hominibus initium ſumſiſſe, ſed à Chriſto, qui ſicut aſcenſurus in Cœlum univerſas oves cum agnis ſuas paſcendas Petro commiſit : ita cùm ſolus Petrus univerſis per Orbem ſparſis paſcendis non ſufficeret, ei & Apoſtolis inſpirarit, ut pro ſingulis & particularibus ovilibus, ſingulos & particulares Paſtores, qui eis paſcendis incumberent, deſtinarent : quod & Apoſtolos de facto impleviſſe negare non poterit. Si enim teſte Paulo Rom. 13. v. 1. etiam circa temporalia *non eſt poteſtas niſi à Deo* : quod repetit Petrus Epiſt. 1. c. 2. v. 13. Poteſtatem ad regendum homines circa ſpiritualia, à Deo eſſe, quis negare poterit ?

Concedam quoquè, Deum voluiſſe, ut qui ad regimen Eccleſiæ aſſumendi eſſent, ab hominibus eligerentur, nec enim voluit per ſe ipſum ſemper eligere, ſicut elegit Apoſtolos & elegit Paulum : & inſuper Epiſcopos eligi, vel ex presbyterio, vel priùs Presbyteros fieri, quàm Epiſcopi dicantur & ſint. Sed cur ipſe mihi non concedit, quòd ex ſimplici Presbytero factus Epiſcopus vi ordinis & poteſtatis plus habeat, quàm ſimplex Presbyter ; ſed vult, Epiſcopum gradu à Presbytero non differre ? Si quis ab unius Pagi cura unius Provinciæ fiat Præſes, dicet ne gradu ac dignitate nil plus habere, quàm ante ?

VII. At, inquit, Scripturæ eoſdem Presbyteros & Epiſcopos eſſe agnoſcunt, nec iſtos ab illis diſtinguunt, aut illis præferunt. Presbyteros Epheſi Epiſcopos vocat Paulus Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*. Inſuper in 1. ad Timoth. cap. 3. recenſitis qualitatibus, quibus ornatus eſſe debet Epiſcopus, nullâ factâ Presbyterorum mentione immediatè tranſit ad exponendas eas, quas habere debent Diaconi : ergo ſignum eſt, Paulo idem eſſe Epiſcopum, ac Presbyterum.

VIII. Re-

VIII. Reſpondeo. Scriptura Epiſcopos appellat quidem Presbyteros: nullibi tamen dicit Presbyteratum & Epiſcopatum idem omninò eſſe, nec æqualis dignitatis cum Epiſcopatu eſſe Presbyteratum: ita ut qui Presbyter eſt,hoc ipſo Epiſcopus ſit. Epiſcopos vocat etiam Presbyteros, quia Epiſcopatus includit & continet Presbyteratum, ſicut ſuperior gradus continet inferiorem. Quidquid enim Presbyter facit facere poteſt Epiſcopus, non tamen quidquid facit Epiſcopus facere poteſt Presbyter. Epiſcopi per impoſitionem manuum ordinabant Presbyteros, imò & Epiſcopos: quod ſimplices Presbyteri non poterant, ſicut nec modò poſſunt. Nec huic obſtat quòd Paulus dicit 1. ad Tim.4. v.14., Ordinationem Timothei in Epiſcopum factam fuiſſe *cum impoſitione manuum Presbyterii*. Nam nomine Presbyterii non intelligit cœtum Presbyterorum ſecundi ordinis; ſed cœtum aliquem Epiſcoporum, qui unâ cum Sancto Paulo manuum impoſitione Epiſcopum conſecraverant Timotheum. Ipſum enim Paulum in conſecratione Timothei in Epiſcopum partem habuiſſe teſtatur ipſe 2. ad Tim. 1. v. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Si ergo unus ex illis, qui Timotheo manus impoſuerant, fuit Paulus, certè illa vox *Presbyterium* non indicat cœtum ſimplicium Presbyterorum, ſed Epiſcoporum.

Et quidem ſi Apoſtoli ipſi Presbyteros ſe vocabant; unde S. Petrus Epiſt.1. c.5. v.1. vocat ſe *Conſeniorem*, ſeu *Compresbyterum*; & S. Joannes initio Epiſt. 2. & 3. *Seniorem* ſeu *Presbyterum* ſe appellat; ſit, ut ab Apoſtolis vox *Senior* ſeu *Presbyter* indifferenter tam de ſimplicibus Presbyteris, quàm de Epiſcopis uſurparetur. Unde non ſequitur, ſi Apoſtoli Presbyteros appellant eos qui re verâ eſſent Epiſcopi, eos unum & eundem Ordinem Epiſcopatum & Presbyteratum exiſtimaſſe. Ideoque ad rem præſentem jure dicit Chryſoſtomus Homil. 13. in Epiſt. 1. ad Timoth. *Non de Presbyteris iſthic loquitur* (quales ſcilicet adulta habuit Eccleſia ab Epiſcopis Ordinatione diſtinctos) *neque enim Presbyteri Epiſcopum ordinabant*.

IX. Illos autem, quos Paulus Act. 20. vocat *Epiſcopos*, probare debuerat Danæus, fuiſſe ſimplices Presbyteros, & non veros Ordinatione Epiſcopos. Oppoſitum enim ex præfato cap. colligitur. Cùm enim, ut ipſe Paulus v.31. affirmat, idem per triennium Epheſi moratus fuerit, atque indè, miſſis in Macedoniam Timotheo & Eraſto, Chriſti fidem per totam Aſiam ſparſerit, factum fuit, ut multitudo magna in Civitatibus illius regionis ad Chriſtum converſa fuerit. Unde ipſe 1. Cor.16. v. 9. dicit ſuâ perma-

nentiâ Epheſi oſtium ſibi apertum fuiſſe magnum & evidens. Hinc colligitur, eum pro multis Aſiæ Civitatibus conſtituiſſe Epiſcopos: ac proinde eos, quos ad ſe Miletum convocatos vocat *Epiſcopos*, non fuiſſe puros Epheſinæ Civitatis Presbyteros, ſed & plures verè Epiſcopos per Aſiæ Civitates aliàs ab eo conſtitutos: & hos vocat à Spiritu Sancto poſitos regere Eccleſiam Dei. Hujus veritatis teſtem habemus S. Irenæum, qui, de vocatis à Paulo Miletum Epiſcopis ſeu Presbyteris ſermone facto: *Ab Epheſo*, inquit, *& reliquis proximis Civitatibus convocatos eſſe* (Lib. 3. c.14.) Certè plures tempore Apoſtolorum fuiſſe in Aſia Epiſcopos aſſerit S. Hieronymus de Script. Eccl. cap. 9., dum ait S. Joannem rogatum ab Epiſcopis Aſiæ ſuum ſcripſiſſe Evangelium.

X. Quod verò additur, S.Paulum 1. ad Timotheum c.3. ſolius Epiſcopi qualitatibus recenſitis nullâ Presbyterorum factâ mentione tranſire ad Diaconos, non evincit, ipſum pro eodem gradu habuiſſe Presbyteratum ac Epiſcopatum, ſed ſolùm voluiſſe indicare, quòd cùm Presbyteratus ſolâ Ordinationis poteſtate ab Epiſcopatu differat, eaſdem qualitates habere debeat Presbyter ac Epiſcopus; ideoque de Presbyteris non meminit, ſed de ſolo Diacono, qui ordine & officio magis diſtat, locutus fuit. Ita Chryſoſtomus Hom. 11. in 1. ad Tim. *Quia*, inquit, *inter Epiſcopum atque Presbyterum intereſt ſermò nihil. Quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt: & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippè Ordinatione ſuperiores illis ſunt: atque hoc tantum plus quàm Presbyteri habere videntur.*

XI. Aliam cauſam affert Epiphanius Hæreſi 75., nempè Paulum Epiſcopi & Diaconorum, omiſſis Presbyteris, tantùm meminiſſe, & Epiſtolam ad Philippenſes ſolis Sanctis *cum Epiſcopis & Diaconibus* inſcripſiſſe, quia nonnullæ tunc Civitates erant, quæ vel ob fidelis populi paucitatem, vel ob inopiam eorum, qui Presbyterio digni eſſent, à ſolis Epiſcopis per ſe in omnibus unà cum Diaconibus adminiſtrabantur: omnia enim ſinè Presbyteris, non tamen ſinè Diaconibus Epiſcopus implere poteſt. Quod Apoſtolos feciſſe conſtat, qui, ut habetur Act. 6., cùm ipſi qui ut Epiſcopi Verbo Domini intenti unicè eſſe debebant, ſe non poſſe per ſe ipſos omnia implere viderent, non de Presbyteris, ſed de ſeptem Diaconibus eligendis fuere ſolliciti.

Hoc ſequentibus verbis num. 5. Epiphanius exponit: *Neque enim*, inquit, *ſubinde omnia ab Apoſtolis ordinari poterant; & quidem Presbyteris in primis ac Diaconis opus erat: à quibus videlicet ambobus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſunt. Quare ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurreret, nullus ei loco præpoſitus eſt*

Epi-

Epiſcopus. At ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum qui Epiſcopatu digni erant, copia deerat, ibi Epiſcopi conſtituti. Sed cùm haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri crearentur: unde ſolo Epiſcopo contenti fuerunt. Sinè Diacono verò Epiſcopus eſſe non poteſt. Quare in id Apoſtolus incubuit, ut miniſtrandi gratiâ Epiſcopo Diaconi ſuppeterent. Itaque cùm nondum Eccleſia ſuis omnibus functionibus expleri poſſet, per illud tempus iſtiuſmodi ſingulorum locorum ſtatus extitit. Hæc Epiphanius. Quæ ſubinde exemplo Legis Veteris demonſtrat, in qua non omnia ſtatim ea quæ ad Dei cultum ſpectant, ſed ſucceſſivè fuere à Deo inſtituta. Et poſt multa concludit: *Eadem ratio eſt illorum, de quibus Apoſtolus ſcripſit, quæ tamdiù obtinuerunt, donec amplificata eſt Eccleſia; donec ſuam ac legitimam ad menſuram pervenit: donec prudenti quâdam moderatione juſtiſſimè eſt à Patre, Filio, & Spiritu Sancto temperata.*

XII. Sed quid diutiùs immoror in exquirendo à Scripturis Sanctis argumenta, quibus probem, Epiſcopatum Divinâ inſtitutione eſſe ſimplici Presbyteratu ſuperiorem, quando Eccleſiaſtica Traditio hoc ut Scripturis conſonum ſemper ut certum tenuit, & ab Apoſtolorum tempore uſque ad noſtra toto Orbe obſervavit? Hanc veritatem clamant Eccleſiæ omnes ſuorum Epiſcoporum continuas ſucceſſiones à ſui fundatione & initio oſtendentes, ita ut vel Eccleſia non fuerit, vel ſinè Epiſcopo non fuerit. Et hoc non humanâ ſed Divinâ Lege ſtatutum oſtendunt Veteres. Cyprianus Epiſt. 27. ad Lapſos data: *Dominus noſter*, inquit, *cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur & dicit Petro: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam: & tibi dabo claves Regni Cælorum: & quæ ligaveris ſuper terram erunt ligata & in Cælis, & quæcumque ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in Cælis. Indè per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum Ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Epiſcopos gubernetur. Cùm hoc itaque Divinâ Lege fundatum ſit, miror, quoſdam audaci temeritate, ſic mihi ſcribere voluiſſe, quando Eccleſia in Epiſcopo & Clero & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta.* Divinâ ergo lege ſtatutum, ut Epiſcopi Ordinatione & poteſtate non ſolùm ætate Presbyteris ſuperiores ſint, S. Cyprianus exiſtimavit.

XIII. Hinc cùm quidam Presbyteri citra conſcientiam Epiſcoporum pacem lapſis dare auſi fuiſſent, hoc diſſimulare non valens Epiſt. 10. ad Clerum ita ſcribit „ Quod enim non pericu-

,, lum metuere debemus de offenſa Dei, quando aliqui de Pre-
,, ſbyteris, nec Evangelii nec loci ſui memores, ſed neque futu-
,, rum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum
,, cogitantes, quod numquam omninò ſub Anteceſſoribus factum
,, eſt, cum contumelia & contemtu Præpoſiti totum ſibi vindi-
,, cent,,? Et Epiſt. 12. ,, Audio tamen, inquit, quoſdam de
,, Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos Marty-
,, res ſcripſerint cogitantes, nec Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui
,, & Cathedræ reſervantes, jàm cum lapſis communicare cœpiſ-
,, ſe, & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat
,, ad hæc per ordinem pervenire,,. Epiſtola tandem 28. ad Clerum Carthaginenſem, in quoſdam Presbyteros & Diaconos qui pari temeritate idem auſi fuerant, ſententiam excommunicationis pronuncians: *Interea*, inquit, *ſi quis immoderatus & præceps, ſive de peregrinis, auſus fuerit ante ſententiam noſtram communicare cum Lapſis, à communicatione noſtra arceatur, apud omnes nos cauſam dicturus temeritatis ſuæ, quando in unum permittente Domino convenerimus*. His Cyprianus ex ſententia Domini ſuperiorem Presbyteris Epiſcopum oſtendit, non actu & officio tantùm, ſed Ordinatione & gradu: quod demonſtrat Epiſt. 68. ad Clerum & Plebes Hiſpaniæ, ubi demonſtrat, Ordinationes ſacerdotales ſub populi aſſiſtentia fieri debere exemplo Petri, quando de ordinando in locum Judæ Epiſcopo ſurrexit & ad plebem locutus fuit, quod etiam in ordinatione Diaconorum Apoſtoli fecere, addens ad Ordinationem Epiſcopi ut ritè fiat, etiam Epiſcopos illius Provinciæ convenire debere.

XIV. Ex hac continua Epiſcoporum ab Apoſtolis ſucceſſione probat Tertullianus Eccleſiam eſſe Catholicam: & hæreticos ſui temporis ad hoc de ſuis Eccleſiis oſtendendum provocat Lib. de Præſcript. adv. Hæret. cap. 32. his verbis: *Cæterùm ſi quæ* (hæreſes) *audent interſerere ſe ætati Apoſtolicæ, ut ideò videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Edant origines Eccleſiarum ſuarum: evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ſicut Smyrneorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne collocatum refert: ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit. Perinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis tradaces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.*

Eodem argumento uſus antea fuerat S. Irenæus Lib. 3. adv. Hæreſ.

Hæreſ. cap. 3., ubi ut Hæreticorum dogmatum vanitatem refelleret ex novitate, ad Apoſtolorum Traditionem provocat, quam ex omnibus illis Eccleſiis, in quibus ab Apòſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi, & eorum ſucceſſores, uſque ad tempus ſuum, ait poſſe repeti his verbis: *Traditionem Apoſtolorum in toto Mundo manifeſtatam in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire: & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & Succeſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipſas Eccleſias committebant. Valdè enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos Succeſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum Magiſterii tradentes.* Indè ſubjicit: *Sed quoniam valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum provenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt.* Deinde ſubdit Romanorum Pontificum indiculum à Petro & Paulo uſque ad Eleutherium, quem duodecimum numerat.

XV. Igitur ex Irenæo & Tertulliano habeo: Primò, quòd Apoſtoli ſingulis Eccleſiis quas fundabant, Epiſcopum qui eam regeret, conſtituebant. Ab Apoſtolis & quidem ab initio originem habuit Epiſcopatus, & non ſolùm ſecundo labente ſeculo ad vitanda ſchiſmata, ut cum Danæo ex Hieronymo malè intellecto, ſicut dicam, ſomniant Proteſtantes. Secundò, quòd Epiſcopi fuerint ab Apoſtolis conſtituti in locum ipſorum, & tanquam eorum Succeſſores, & conſequenter ſimplicibus Presbyteris ordine & poteſtate ſuperiores. Quis enim dicet, Apoſtolos nil plus habuiſſe ordinis & poteſtatis, quàm ſimplices Presbyteri habeant? Quis niſi inſanus dicat, ſimplicem Presbyterum impoſitione manuum conſtituere Epiſcopum poſſe, imò & Diaconos ordinare, quod Apoſtoli faciebant vi poteſtatis à Chriſto Domino eis collatæ Joan. 20. v. 21. quando eis dixit, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, ac deinde, *Inſufflavit & dixit eis accipite Spiritum Sanctum*. Quibus verbis eos à Chriſto fuiſſe in Epiſcopos ordinatos Catholica ſentit Eccleſia?

Tertiò, præfati Patres dicunt, eam eſſe veram fidei doctrinam,

nam, non quam quiſque ſibi ſuo privato judicio comminiſcitur, ſed quam per ſucceſſiones Epiſcoporum ut ab Apoſtolis acceptam Eccleſia recipit. Dicant mihi modo Danæus, Calviniani, Lutherani, & ſimiles qui ſe puros Evangelicos eſſe deprædicant, à quibus doctrinam quam profitentur acceperunt? Dicent, ab Apoſtolis. At ego repetam, cùm doctrina Apoſtolorum ea ſit, quam ab eis per ſucceſſiones Epiſcoporum traditam accepimus, cur ipſi doctrinam huic Traditioni contrariam profitentur? Sanè videntes eorum doctrinam contrariam eſſe ei quam ab Apoſtolis per Epiſcoporum ſucceſſiones traditam Eccleſia ſuſceperat, videntes inſuper nullum ex ſuis in Epiſcopatu conſtitutum, imò totius Orbis Epiſcopos novam eorum Sectam anathemate deteſtari, cogitarunt æmulatione & rabie adacti Epiſcopatus Ordinem ab eorum cœtibus vel penitùs delere, vel ad purum Presbyterii gradum & nomen deprimere.

XVI. Porrò quia audent aſſerere, dogmata ſua eadem eſſe quæ ætate Apoſtolorum Eccleſia ſervabat, reſpondeant, ſi poſſunt, Tertulliano eis ſupra dicenti. Quòd ſi ſe audent ætati Apoſtolorum interſerere, & ſua dogmata ab Apoſtolis eſſe tradunt; Edant origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum: & cùm in ſuis Eccleſiis nullum Epiſcoporum ordinem inveniant, imò in earum origine Epiſcopatum ab eis ſuſtulerint, fateantur velint nolint, ſe, eorum Eccleſias & dogmata interſerere non poſſe ætati Apoſtolicæ. Quòd ſi tueri ſe velint dicentes, eorum Eccleſias regi ab uno Presbytero qui Epiſcopi vices gerat, numquam tamen oſtendere poterunt, hunc ſuum umbratilem Epiſcopum ab antiquis præcedentibus & ab Apoſtolis inſtitutis Epiſcopis ſucceſſionem habere, aut declinare id quod de Hæreticis ſui ævi dicebat Tertullianus Lib. de Præſcr. cap. 41. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconſtantes: nunc neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, ut gloriá eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sacerdotalia munera injungunt*. An hæc etiam de recentioribus Hæreticis Tertullianus dixerit, ipſi videant.

XVII. Suo errori, nempè Epiſcopos non eſſe jure Divino Presbyteris ſuperiores, S. Hieronymum patrocinari, ut ſupra indicavi, gloriatur Danæus primò, quia in Caput 1. Epiſt. ad Titum, explicans illa verba: *Et conſtituas per Civitates Presbyteros*, & hæc alia, *Oportet enim Epiſcopum ſinè crimine eſſe*, ait:

Idem

Idem eſt ergo Presbyter qui & Epiſcopus : & antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos quos baptizaverat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in tota Orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut ſchiſmatum ſemina tollerentur. Indè ad hoc probandum allatis variis ex Paulo teſtimoniis, quæ ſuperiùs expendi & explicavi, proſequitur : *Hæc propterea ut oſtenderemus, apud Veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros quos & Epiſcopos : paulatim verò ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Sicut ergo Presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine, ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos : ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cùm haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, Septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.*

Secundò, quia Epiſt. 85. ad Evagrium, modò 101. ad Evangelum, ex variis ejuſdem Pauli locis, quibus Apoſtolus disertè docere videtur, eoſdem eſſe Presbyteros quos & Epiſcopos, idem Hieronymus ſubjungit : *Quod autem poſtea unus lectus eſt, qui cæteris præponeretur, in ſchiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant : quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat ; aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Hactenus S. Hieronymus.

Ex quibus adverſarii colligunt, Epiſcopatum non eſſe de jure Divino Presbyteratu ſuperiorem. Tum quia Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia non fuit ab Eccleſiæ exordiis. Tum quia in Eccleſia non per ſe, ſed in remedium exorti ſchiſmatis inſtitutum, cùm antea iidem qui Presbyteri eſſent etiam Epiſcopi, & communi conſilio Eccleſiam regerent. Tum quia Epiſcopi non ex diſpoſitione Dominica, ſed conſuetudine & diſpoſitione humanâ ſupra Presbyteros, & ex horum voluntate elevati.

XVIII. His omnibus fusè reſpondet inter cæteros Natalis Alexandre in Hiſt. Seculi 4. Diſſert. 44. §. 24. Interim ad Danæum & alios ſui gregis me converto, & dico : Si vos ex præfatis Hieronymi verbis colligere vultis, Epiſcopatum non eſſe diſpoſitione Divinâ in Eccleſia ab initio conſtitutum, ſed ſolùm ad vitanda ſchiſma-

ſchiſmata per homines introductum, concedere tamen debetis, hanc regiminis formam, ut dicit Hieronymus, fuiſſe poſtea in toto Orbe introductam, ut in ſingulis Eccleſiis eſſet unus, qui eam regeret, iſque Presbyteris eminentior eſſet, qui Epiſcopus diceretur & eſſet, & hoc per omnia ſecula in totius Orbis Eccleſiis fuiſſe obſervatum, & adhuc ſervari. Cur ergo à veſtris cœtibus Epiſcopatus dignitatem & nomen exulare feciſtis? Quâ auctoritate generalia, ſi non à Chriſto, ab Apoſtolis ſaltem pro tota Eccleſia ſtatuta decreta contempſiſtis, & adhuc contemnitis?

XIX. Deinde dato etiam, Epiſcopatum Presbyteris prælatum in remedium ſchiſmatis, & præcipuè apud Corinthios orti, ab Apoſtolis fuiſſe introductum, non exinde infertur, hoc ex mandato, vel inſtructione Domini eos non feciſſe. Quod ex eodem Hieronymo ſic oſtendo. Dicit ipſe, quòd licèt omnes Apoſtoli dignitate eſſent pares, Chriſtus cæteris unum prætulerit, nempè Petrum, ut ſcilicet ſchiſmatis vitaretur occaſio. Ita Lib. 1. adv. Jovinianum: *Propterea*, inquit, *unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio*. Quod antea dixerat S. Cyprianus L. de unit. Eccleſiæ his verbis: *Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat: Sicut miſit me Pater & ego mitto vos . . . tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur*. Ordinem ergo, quem Chriſtus in bonum Apoſtolici cœtus inſtituit, credibile valdè eſt, ipſum Apoſtolis inſinuaſſe, cùm eos in Mundum univerſum miſit, ut in Eccleſiis quas fundaturi erant, ſervarent, & ſic à Chriſto edoctos id quod ipſe fecerat, ad eumdem finem Apoſtolos impleviſſe.

XX. Ad objecta verò ex eodem Hieronymo dico, eum ſolùm voluiſſe, in primis Eccleſiæ exordiis Presbyteros eoſdem fuiſſe ac Epiſcopos nomine, non tamen ordine & dignitate. Primum indicat ipſe loco citato in Epiſt. ad Titum dicens: *Sed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore quos & Presbyteros appellabant: propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris* (Paulus) *eſt locutus*. Secundum oſtendit tum quia in prælaudata Epiſt. ad Evagrium: *Quid enim*, inquit, *facit exceptâ Ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Ordine ergo eminet Epiſcopus ſupra Presbyterum: & ideò ibidem de Epiſcopis ubicumque fuerint, ait: *Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt*. Et Epiſt. 54. ad Marcellam hoc diſcrimen inter Catholicos & Montaniſtas ponit: *Apud nos Apo-*

Digitized by Google

Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent: apud eos Epiſcopus tertius eſt. Et præfatam Epiſt. ad Evagrium concludit dicens: *Et ut ſciamus Traditiones Apoſtolicas ſumtas de Veteri Teſtamento: quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vindicent in Eccleſia.* Si ergo cum Aarone Epiſcopos, cum filiis Aaron Presbyteros, & cum Levitis Diaconos componit; ſicut nemo dixerit, Levitas pares fuiſſe cum filiis Aaron, qui Sacerdotes erant, & filios Aaron qui Sacerdotes erant cum Aarone qui Sacerdos Maximus, ſeu Pontifex fuit: ita, ſicut nemo dicet Diaconos pares eſſe Presbyteris, nemo dicet Presbyteros ordine pares eſſe Epiſcopis.

XXI. Hinc reſpondetur ad alia, quæ ex eodem Hieronymo objiciuntur. Et inſuper advertendum eſt, quòd in Epiſcopo duplex eminentia conſiderari poteſt, ſeu duplici ratione Epiſcopi ſupra Presbyteros eminent: primò interiori poteſtate vi Ordinis & characteris Epiſcopalis ipſis eſſentialiter conveniente, quâ Presbyteros & alios Epiſcopos ordinare poſſunt, ſeu non ſolùm Eccleſiæ filios, ſed etiam Eccleſiæ Patres gignere poſſunt. Secundò eminent regimine Eccleſiæ, ſeu myſtici Chriſti Corporis, quod ex poteſtate juriſdictionis eis convenit, quâ poſſunt leges condere, ſancire diſciplinam, peccatores arguere, ab Eccleſia perduelles arcere, lapſis pœnitentiam imponere, pœnitentibus communionem dare, Eccleſiæ mores reformare: eſtò ergo dederim hanc ſecundam poteſtatem in Eccleſiæ exordiis Epiſcopos per ſe ipſos non exercuiſſe ſinè Presbyterorum conſilio, & ſolùm exercere cœpiſſe poſt ſchiſma Corinthiorum, puta circa annum Chriſti 55., ut ſentit Hieronymus, & in hoc fuiſſe Presbyteros pares; non dabo tamen, imò conſtanter aſſeram, priore poteſtate vi Ordinis eis conveniente, nempè ordinandi Presbyteros, ejuſque exercitio, ſemper & ante ortum ſchiſma Presbyteris eminuiſſe, & hoc Divino jure eis competere, ſicut Apoſtolis, quorum in Eccleſia locum tenent, & quorum ſunt Succeſſores, ut ex eodem S. Hieronymo oſtendi.

XXII. Hoc verò magis confirmo: tum exemplo quod ex eodem ſupra attuli, quo Epiſcopos comparat Aaroni, Presbyteros filiis ejus. Tum ex iis quæ idem S. Doctor in Comm. Epiſt. ad Titum ſupra dixit, nimirùm Epiſcopos *debere Eccleſiam regere imitantes Moyſen, qui cùm haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Certum eſt autem Moyſen habuiſſe à Deo collatam poteſtatem, tum in univerſum populum, tum in ipſos Septuaginta Seniores, quamvis in conſortium exercitii ſuæ poteſtatis illos aſciverit. Ergo ſimi-

liter Epiſcopus à Deo habet poteſtatem regendi Eccleſiam,& hanc tum in populum, tum in ipſos Presbyteros, quamvis initio Eccleſiæ ejus exercitium cum iſtis communicaret, ſicut modò etiam in aliquibus communicat. Hæc dixi, ut qualis fuerit vera S. Hieronymi mens innoteſcat. Cæterùm Epiſcopos jure Divino & Chriſti diſpoſitione ad regimen Eccleſiæ fuiſſe conſtitutos, omnes Patres adeò clarè confitentur, ut nemini eos ſincero animo legenti ulla ſupereſſe poſſit dubitatio.

XXIII. Concludam cum S. Epiphanio Hæreſ. 75. num. 4. qui Aerium increpans, Epiſcopum & Presbyterum adæquare conantem: *Hoc enim*, inquit, *conſtare quî poteſt? Siquidem Epiſcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet: Hujus enim eſt Patrum in Eccleſia propagatio. Alter cum Patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerati is lotione producit, non tamen Patres aut Magiſtros. Quînam verò fieri poteſt, ut is Presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habeat? Aut quomodò Presbyter Epiſcopo dici poteſt æqualis? Verùm Aerium iſtum nimia quadam procacitas æmulatioque decepit.* Hâc eâdem deceptione Danæus & ſui, qui eadem cum Aerio ſentiunt, laborare nemo non videt; imò magis, quam iſti in Epiſcopatum tanto odio feruntur, ut vel nomen ipſum à ſuis cœtibus prorsùs deleverint; ubi Aeriani Presbyteros quidem Epiſcopis pares fecerunt, at Epiſcopos ſuſtuliſſe non leguntur.

XXIV. At pro ſua cauſa Danæus inſurgit „ Inſolentes, in„ quit, jam Epiſcopi, & imperitando magis quàm paſcendo gre„ gi aſſuefacti, contra Petri præceptum 1. Petri 5. v. 3. tam libe„ ras adversùs ſuam ſuperbiam inſolentias & tyrannidem voces „ ferre non poterant, & jam tum agebant, quod Romanus Anti„ chriſtus crudeliùs poſtea imitatus & executus eſt, ut haberent „ pro hæreticis quicumque adversùs eorum vitia, vel ordinis „ ipſorum peccata mutire auderent: quamquam illorum faſtus & „ arrogantia, jam Audeanis occaſionem recedendi ab Eccleſia „ præbuiſſet „. Ita, ut ſuam & Aerii ab Eccleſia & fide ſeceſſionem ab hæreſis nota tueatur, in Epiſcoporum arrogantiam crimen rejicit impudenti inſolentiâ, Hæreticis tamen ſolitâ, ipſe Danæus.

XXV. Infeliciter tamen primò: Quia ut mendaciloquorum mos eſt, ſuimet immemor ſecum pugnat. Nam ut ſupra cap. 46. §. 2. adnotavi, ipſe Audianis ut errorem imponit, quòd propter vitia hominum, etiam Eccleſiaſticorum, dum tamen Evangelii doctrinam ſervarent, ab Eccleſia ſeceſſerint. Modò autem Audianos excuſat, & in ſui præſidium arceſſit.

Secundò: Seculo quo exorti ſunt Aeriani, ubi in Epiſcopis arro-

arrogantia, ubi faſtus? An in Athanaſio, an in Gregorio Nazianzeno, an in Baſilio; in quibus cum Catholica fide evangelica moderatio æquè eminebat? Dicat potiùs, tales Epiſcopos Aerianis inviſos fuiſſe, quia contra Arianam hæreſim, qua Aeriani (quidquid in contrarium Danæus aſſerat) polluti erant, acerrimè dimicabant: & idem dicat de Romano Pontifice, quem Antichriſtum veſanus appellat, & hodiernis Epiſcopis, à quibus Danæus & ſui abhorrent; nimirùm ſe eorum obedientiam excuſſiſſe, quia Lutheri, Calvini, & ſimilium impudenti arrogantiâ & erroribus, Eccleſiæ fidem ac diſciplinam funditùs evertentibus paſtorali zelo reſtiterunt & adhuc reſiſtunt, ac oves ſibi concreditas, ne à talibus lupis diſpergantur, invictè cuſtodiunt. Quæ autem de Romano Pontifice, contra quem omnia ſua tela Proteſtantes jaculantur, hic Danæus indicat, à me diſſipata paſſim ſunt in Vera Eccleſia contra Jacobum Piceninum Danæi in errore ſodalem.

XXVI. Prætermittere tamen ad præſens non poſſum, quòd etiam dato quòd in aliquo non eluceat moderatio, quam S. Petrus citato loco in Eccleſiæ Rectoribus requirit, hoc velamine Epiſcopatus everſionem ſuamque rebellionem tegere Proteſtantes non poſſunt. Si enim reſpiciunt ad S. Petrum præſcribentem qualitates, quibus potiri debet qui paſcit gregem, & has in aliquo deſiderari vident: cur ad eundem Petrum non reſpiciunt, qui in dicta Epiſtola cap. 2. dixerat, non eſſe propterea à Regibus & aliis Dominis excutiendam obedientiam, etſi non boni aut modeſti, ſed diſcoli ſint? Cur non audiunt Paulum ad Hebr. 13. v. 17. ſcribentem: *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Et ad Rom. 13. v. 2. *Qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: Qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt?* Si Calvinus ipſe, ut alibi adnotavi, obediendum eſſe dicit Regi aut Principi, etſi in tyrannidem principatum vertat: & hoc quia ſemper Dei vices gerit; cur obediendum non erit Epiſcopo & Paſtori Eccleſiæ eo titulo, quòd ſuo gregi formam in moribus non ſe exhibeat, ſi tamen ſanâ doctrinâ gregem ſuum paſcat? Hæc certè non eſt doctrina Chriſti, qui Scribis & Phariſæis benè docentibus, ſed malè operantibus adhuc obediendum eſſe voluit, quæ tamen faciebant, non imitanda. Sic Matth. 23. à v. 2. Sed hanc rem ſatis ſuperque tractavi.

§. III.

Error contra Suffragia pro Defunctis, & ſtata Jejunia.

I. ERrabat ſecundò Aerius, quia dicebat, Preces & bona opera pro Defunctis facta eis nihil prodeſſe, cùm illis Defuncti juvari non poſſint. Hujus etiam erroris, quia ſui, patrocinium ſuſcipit Danæus. Sed malâ cauſâ pejus patrocinium. Contra hunc, qui omnium Novatorum Danæi ſimilium error eſt, pugnavi tum in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1. art. 10. præcipuè §. 13. & 14. tum Tom. 16. Theologiæ Qu. 4. de Suffragiis mortuorum Dub. 2. quæ ſtudioſus adire poteſt, hic enim ea repetere ſuperfluum eſſet. Aliqua tamen ad rem præſentem adjiciam. Et primò quid Danæus dicat audiatur. De Aerio igitur, poſtquam retulit, eum dixiſſe „ Preces pro Defunctis non eſſe fundendas & „ faciendas, quia ejuſmodi noſtris Suffragiis nequeant juvari „; ſubdit „ Hoc cur Chriſtiani non admittant, non video, quando „ Papiſtæ ipſi genus hominis ſuperſtitioſiſſimum, etiam de ea re „ diverſas Patrum Eccleſiaſticorum ſententias annotarint, ut eſt „ in Can. *Quibus peccata*. Et Can. *In præſenti*. Can. *Tempus* 13. „ quæſt. 2. Et Epiphanius hoc loco negat apertè, Verbo Dei fundari & niti hujuſmodi pro Mortuis conceptas preces, ſed tantùm more & traditione quâdam Majorum. At quidquid ſinè „ fide fit, peccatum eſt. Rom.14. v.23. „ Hæc Danæus in Aerii defenſionem & ſuam, oſtendens, ex Canonibus diverſas de hac proferri ſententias: non Verbo Dei ſtatutas, ſed more & traditione tantùm, & conſequenter peccatum eſſe, quia ſinè fide.

II. Error iſte in hoc fundatur, quòd negat, poſt hanc vitam dari locum medium, qui Purgatorius dicitur, in quo Animæ fidelium ex hac vita decedentes ſinè mortali quidem noxâ, & conſequenter à pœna æterna liberæ, ſed quia à peccatis in hac vita commiſſis, vel eorum reliquiis non plenè expiatæ, ideòque nondum aptæ Regno Cœlorum, purgandæ pœnis quibuſdam detineantur, quibus purgatæ tandem ad Beatorum ſocietatem admittantur. Sed cùm hanc veritatem propugnaverim in Vera Eccleſia contra Jacobum Piceninum Tomo 2. p. 1. toto art. 10., & rurſùs Tom.16.Theol.Qu.3. de Purgatorio Dub.1., ideò illam hìc retractare omitto, & ad ſolam utilitatem Precum, & Suffragiorum demonſtrandam Danæo me reſtringam.

III. Tota ergo Danæi & ſuorum vis in hoc ſita eſt, quòd hoc ex Verbo Dei non conſtet. Eis tamen inter cætera ex Veteri Teſtamen-

ſtamento opponimus factum Judæ Machabæi (L.2. Machab.c.12.) qui pro militibus in prælio cæſis offerri voluit Sacrificium, quam oblationem ut ex religioſa voluntate profectam Scriptura his verbis laudat: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*. Hujus tam clari teſtimonii vim ut eludant Novatores dicunt, Librum illum, utpotè non Canonicum, nullius eſſe auctoritatis.

Reſponſio ſanè impudenti temeritate plena. Nam Librum hunc ab anno 397. in Conc. Carthagin. 3. Can. 47. Canonicis Libris annumeratum, ut talem ſuſcepit ſemper Catholica Eccleſia, & Græca quoque etſi ſchiſmatica veneratur. Qui ergo eſtis vos, ut quem per tot ſecula Eccleſia ut Divinum agnovit, à Canone excludatis? An pluris faciendum eſt privatum veſtrum judicium, quàm totius Eccleſiæ per tot ſecula confirmatum? An dum vobis objiciam, ante mille & trecentos annos fuiſſe hoc ab univerſæ Eccleſiæ Patribus ſemper creditum, & obſervatum, reſpondebitis mihi cum Calvino veſtro L. 3. Inſt. c. 5. §. 10. *aliquid humani paſſos eſſe, ideòque ad imitationem trahendum non eſſe?* Sed cur non aliquid humani, ne dicam diabolici, paſſi eſtis & patimini vos, qui audaci fronte, ut ſequamini homines omni auctoritate ſpoliatos, & ut veſtro inſano adhæreatis judicio inconcuſſam Eccleſiæ ſententiam damnatis? At demus vobis, quòd Librum præfatum Machabæorum ut Canonicum non recipiatis: cur eum ſaltem ut veram hiſtoriam, ſicut & hiſtorias Paganorum non ſuſcipitis, & non admittitis quod in ea narratur, nempè fidelem populum illius temporis credidiſſe, animas poſt hanc vitam poſſe Sacrificiis & oblationibus à pœnis relevari, & hanc apud Iſraeliticam gentem fuiſſe fidem?

IV. Verùm quia tales perditi homines Sacras Scripturas quando & quomodo volunt recipiunt, vel rejiciunt: ideò Scripturis hac in re dimiſſis, conſilium S. Auguſtini Lib. de Cura pro Mortuis cap.1. ſequens dicam: *In Machabæorum Libris legimus oblatum pro Mortuis Sacrificium. Sed ſi nuſquam in Scripturis Veteribus omninò legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio Mortuorum*. Hanc totius Eccleſiæ conſuetudinem inficiari non poſſunt ipſi Pſeudo-Reformatores. Nam præter Calvinum ſupra allatum hanc coguntur fateri, Zuinglius, qui de Can. Miſſæ dicit, quod teſtibus Auguſtino & Chryſoſtomo, mos iſte orandi pro Mortuis *ab Apoſtolis apud eos manet*; & Bullingerus Decad. 4. Serm.10. §.Hi ipſi: *Scio*, inquit, *damnatum eſſe hoc nomine Aerium*,
quòd

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quòd inutiles eſſe crederet orationes pro Defunctis. De hac inconcuſſa Eccleſiæ traditione videnda ſunt quæ ſupra citatis locis dixi.

V. Modò ad Danæum revertens mirari ſatis non poſſum, quo animo Canones ſupra allatos produxerit. Nam vel Canones illos ipſe non vidit, vel ſi vidit, imponere ſimplicibus voluit. Etenim Canon *Quibus peccata* 13. q. 2. ſtatuitur contra eos, qui in gravioribus peccatis non dimiſſis decedentes, ſperabant ſe poſt mortem, ſi in loco ſacro ſepelirentur, veniam poſſe conſequi. Cæterùm Can. *Cum gravia* ſequenti dicitur: *Cum gravia peccata non deprimunt, hoc prodeſt Mortuis, ſi in Eccleſia ſepeliantur, quòd eorum proximi, quoties ad eadem ſacra loca veniunt, ſuorum, quorum ſepulchra aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata gravia deprimunt, non ad abſolutionem potiùs, quàm ad majorem damnationis cumulum, eorum corpora in Eccleſia ponuntur.* Canon *In præſenti* ſtatuitur contra Mortuos jam damnatos, quibus viventium orationes prodeſſe nequeunt: *In præſenti ſeculo ſcimus ſive orationibus, ſive conſiliis invicem poſſe nos coadjuvari. Cùm autem ante tribunal Chriſti venerimus, non Job, non David, nec Noe rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquemque portare onus ſuum.* Quis autem ex Catholicis unquam opinatus eſt, in peccato mortali mortuos & damnatos poſſe viventium precibus juvari?

VI. Equidem ſi Danæus Canones dictæ q. 2. legiſſet, ab eis indicandis prorsùs abſtinuiſſet. Nam ſequenti Can. *Pro obeuntibus* habetur: *Pro obeuntibus quippe conſuluiſſe dignoſceris, ſi liceat oblationes offerre? Sancta ſic tenet Eccleſia, ut quiſque pro ſuis Mortuis verè Chriſtianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum memoriam faciat: & quamvis omnes peccatis ſubjaceamus, congruit, ut Sacerdos pro Mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat, non tamen pro impiis (quamvis Chriſtiani fuerint) tale quid agere licebit.* Canone etiam ſequenti ſic dicitur: *Animæ Defunctorum quatuor modis ſolvuntur, aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut carorum eleemoſynis, aut jejunio cognatorum.*

VII. Canon verò *Tempus*, quem Danæus affert, ex S. Auguſtino in Enchiridio cap. 109. & 110. ſumtus hæc habet: *Tempus, quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet; ſicut unaquæque digna eſt, vel requie vel ærumnâ pro eo quod ſortita eſt in carne dum viveret. Neque negandum eſt, Defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt. Sed hæc eis proſunt, qui cùm viverent, ut hæc ſibi poſtea poſſent prodeſſe meruerunt. Eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat iſta poſt mortem, nec tam malus, ut*

Digitized by Google

ut ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, ut iſta non requirat: & eſt rurſus talis in malo, ut nec his valeat cùm ex hac vita tranſierit adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam relevari quiſpiam vel gravari. Et poſt pauca.

Cùm Sacrificia Altaris, ſive quarumcumque eleemoſynarum pro baptizatis Defunctis omnibus offeruntur: prò valdè bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valdè malis propitiationes ſunt: pro valdè malis, etſi nulla ſint adjumenta Mortuorum, qualeſcumque vivorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, ut ſit plena remiſſio, aut certè ut tolerabilior fiat ipſa damnatio. Ecce in hoc Canone ab Auguſtino expoſita tota Eccleſiæ Catholicæ ſui temporis doctrina circa Suffragia pro Mortuis: ut ſcilicet pro valdè bonis, ideſt Beatis qui eis non egent, gratiarum actiones ſint: pro valdè malis, nempè damnatis, quibus nil proſunt, conſolationes vivorum ſint. Pro nec valdè bonis, nec valdè malis, qui ſcilicet non plenè purgati ex hac vita exeuntes temporalibus purgatorii pœnis adhuc detinentur, vel plena ſint pœnarum remiſſio, vel earum mitigatione tolerabilior fiat ipſa ad pœnas damnatio. Ex his ergo Canonibus nihil pro ſua cauſa Danæus lucratus eſt, ſed eâ prorsùs excidit.

VIII. Iiſdem quoque inſanus apparet Aerii diſcurſus, qui apud Epiphanium Hæreſ.75. num.3. dicebat „ Quæ ratio eſt, poſt obitum Mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona ſua diſpenſet; quid ex ea re tandem ad Mortuum redit? Quod ſi ſuperſtitum preces iis qui ex hac vita diſceſſerint, opitulari poſſunt; nemo piè deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat: ſed amicos ſibi aliquos quâcumque ratione velit, adjungat: ſive pecuniarum largitione, ſive precibus hoc ab illis ſub vitæ finem impetret, ut pro ſe Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium à ſe facinorum pœnæ repetantur „. Stulta, inquam, cogitatio. Nam ſi quis non benè ſed malè in hac vita egerit, amicorum preces nihil eum juvabunt poſt mortem. Illæ enim ut ex Auguſtino dixi eis ſolis proſunt: *Qui cùm viverent, ut ſibi poſtea poſſent prodeſſe meruerunt*, bona nempè agendo, & per viam ſalutis pro viribus incedendo, & ſolum leves lapſus ad aliam vitam ſecum trahendo. Etiam Epiphanius ipſe num. 7. *Cæterum*, inquit, *quæ pro Mortuis concipiuntur preces, iis utiles ſunt, tametſi non omnes culpas extinguant. Verùm ex eo proſunt, quòd plerumque dum adhuc in terra degimus, ſpontè aut inviti titubemus: ut id quod perfectius eſt ſignificetur.*

IX. Per-

IX. Perſiſtit Danæus, quòd cùm, etiam Epiphanio aſſerente, preces & oblationes pro Defunctis ex conſuetudine & traditione Eccleſiæ, non autem ex Verbo Dei ortum habuerint, rejiciendæ ſunt. Sed in hoc falli Danæum & cæteros ſui ſimiles oſtendi in Vera Eccleſia Tom. 1. p. 1. art. 4. & alibi. Modò audiat ipſe de re præſenti Epiphanium, qui num. 8. ait: *Neceſſariò illud facere Eccleſiam dico, quæ traditum ſibi ritum illum à Majoribus acceperit. Poteſt verò quiſpiam maternam ſanctionem aut legem patris evertere? Quemadmodum à Salomone ſcriptum eſt* (Prov. 1. v. 8.) „ Audi fili ſermones Patris tui, & ne repellas legem Matris tuæ „: *Quibus Patrem, hoc eſt Unigenitum Deum cum Spiritu Sancto declarat partim ſcripto, partim ſinè ſcripto docuiſſe: Matrem verò noſtram Eccleſiam decreta quædam habere penès ſe, quæ diſſolvi evertique nequeunt. Quæ quidem cum in Eccleſia conſtituta ſint, præclara quidem, ac penitùs admiranda, ex hoc ipſo capite veterator ille convincitur.*

Huc ſpectat regula S. Auguſtini Epiſt. 54. aliàs 115. cap. 5. *Si Divinæ Scripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum, quin ita facere debeamus ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, ſed quomodo Sacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam ſi quid horum tota per Orbem frequentat Eccleſia. Nam & hinc quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Cùm ergo preces pro fidelibus defunctis tota per Orbem frequentet Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare inſolentiſſima Danæi Calvini & ſimilium inſania eſt. Cùmque ſinè lege imò contra legem, quæ præcipit obedire Eccleſiæ, ſit, grande etiam peccatum eſt.

X. Errabat tertiò Aerius, quia docebat, Jejunia ab Eccleſia ſtatuta non eſſe ſervanda. Hunc errorem ita exponit Epiphanius num. 3. *Sed neque Jejunii, inquit, inſtituendi ulla ratio eſt. Hæc enim omnia Judæorum propria ſunt, & cuidam ſervitutis jugo ſubjecta* „ Quippe juſto nulla lex poſita eſt, ſed parricidis ac matricidis dumtaxat, & id genus aliis „ (1. Timoth. 1. v. 9.) *Nam ſi jejunare omninò decreverim, quácumque libuerit die, ſpontè & integrá libertate jejunabo. Hinc eſt, quòd iſti Dominicá die jejunare potiùs affectant; quartá verò ſextáque feriá veſcantur. Quamquam ſæpenumero quartá feriá jejunent, non ullá lege, ſed voluntate, ut aſſerunt, inducti. Porrò diebus ipſis Paſchatis; quod tempus humi cubando, caſtimoniam ſervando, affligendoque corpora, necnon & aridorum ciborum uſu, precibus, vigiliis, jejuniis, ac reliquis id genus ſaluberrimis corporis cruciatibus celebrare ſolemus; illi è contrario jam tum diluculò obſonari ſolent, & carnibus vinoque diſtenti cachin-*

cachinnari, ridere, eoſque qui illam Paſchatis hebdomadem ſanctiſſimis illis religionibus traducunt, ludibrio habere.

XI. Hæc quæ Epiphanius de Aerianis refert, an noſtri temporis Hæreticis literaliter conveniant, nemo in controverſiam vertet. Vidit hoc Danæus, nec aliter ſe evadere comperiens, Aerianorum cauſæ tamquam propriæ ſe patronum conſtituit, dicens: „ Certis ſtatutiſque annuatim diebus & ſolemnibus jejunia non „ præfigenda & alliganda, quale erat jejunium Quadrageſimale „ & Septimanæ, quæ Paſcha præcederet. Eſſe enim hoc totum „ jejuniorum anniverſariorum genus Chriſtianis hominibus & „ fugiendum & ſuperſtitioſum, & in uſum veteres de jejunio ſeptimi menſis cæremonias revocare. Quod verum certè quidem „ eſt. Jejuniorum igitur uſum non damnant Aeriani (in quo „ ipſe ſanè damnandi eſſent) ſed illam tantùm de certis diebus „ anniverſariis obſervationem, quæ ſuperſtitionem dierum à Pau- „ lo damnatam non tantùm ſapit ſed retinet Rom. 14. Hoc caput „ cur improbari potuerit, nulla ratio eſt, ſi quam ex Dei verbo „ quærimus, unde peti debet „. His Danæus Aerianos ac ſe ipſum eadem cum illis ſentientem ab errore liberare, quin & Catholicæ Eccleſiæ, quæ contrarium ſemper profeſſa fuit & adhuc religiosè profitetur, ſuperſtitionis notam inurere conatur.

XII. Inanem tamen ne dicam impium eſſe ejuſmodi conatum, fusè probavi in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1. art. 6. ſ. 3. &c. quare paucis me expediam. Interim Danæo dicam. Cur ſuperſtitioſam obſervantiam Jejuniorum Quadrageſimæ & aliorum, quæ tota per Orbem frequentat, & ſemper frequentavit Eccleſia, appellas? Nonne hæc inſolentiſſima inſania eſt? Non invenis ſcriptum: at invenis continuâ ſucceſſione Traditum, & ab omnibus Eccleſiis ſuſceptum: & humili obſequio non acquieſcis? Audi Tertullianum Lib. de Carne Chriſti cap. 2. Tu qui hæc negas *ex qua, oro te, auctoritate* negas? *Si Propheta es, prænuntia aliquid: ſi Apoſtolus, prædica publicè: ſi Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti: ſi tantummodo Chriſtianus es, crede quod Traditum eſt: ſi nihil horum es, meritò dixerim, morere, nam & mortuus es.... Et eò magis mortuus es, quò magis non es Chriſtianus, qui cùm fuiſſes excidiſti, reſcindendo quod retrò credidiſti.... Porrò quod traditum erat, id erat verum, ut ab eis traditum, quorum fuit tradere.* Quorum autem fuerit tradere diſcas ex eodem Tertulliano Lib. de Præſcript. cap. 21., ubi poſtquam dixit, quòd ſi Chriſtus Filius Dei miſit Apoſtolos ad prædicandum, eiſque revelavit quid prædicarent, ſubdit: *Quid autem prædicaverint, ideſt quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam, non aliter probari debere niſi per eaſdem Eccleſias, quas*

ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam vivâ (quod ajunt) voce, quàm per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſinè dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum Apoſtolorum & Chriſti & Dei. Quam Eccleſiarum doctrinæ veritatem Tertullianus demonſtrat ex ordine & ſucceſſione Epiſcoporum, qui talia docuere ſemper.

Hæc doctrina, quam ſeculo tertio & ante Aerium Eccleſia profitebatur ut hauſtam ex Paulo 2. Theſſal. 2. v. 15. dicente: *Itaque fratres ſtate: & tenete Traditiones quas didiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*, manifeſtè oſtendit, contrariam quam docuit Aerius, & quam moderni Hæretici excitarunt, de tollendis ab Eccleſia Epiſcopatu, Suffragiis pro Defunctis, necnon conſuetis Jejuniorum diebus, falſam & erroneam, quin & hæreticam eſſe, & pro ea tuenda Danæum in vanum laboraſſe.

§. IV.

Error de Paſchate.

I. Errabat quartò Aerius, quia docebat, Paſcha nullum eſſe à Chriſtianis celebrandum. Quod auctoritate Pauli confirmare ſe putabat, qui 1. Cor. 5. v. 7. *Paſcha noſtrum*, inquit, *immolatus eſt Chriſtus*: ergo non reſtat ſacrificandum. Propterea Aerium etiam in hoc ab errore abſolvere ſtudet Danæus dicens: ,, Quòd ſi obſervetur Paſcha iterum & ad legales cæremonias revolvimur, & Chriſtum in carne advenіſſe negemus neceſſe eſt, ,, ſimulque, ut ait Joannes, Antichriſti. Quare nec hæc ipſa Aerianorum ſententia damnari debuit, quia vera eſt, & manifeſtiſſimè inter Cœnam Domini & Paſcha diſtinguendum eſſe ,, docet ,,.

II. Si de celebratione Paſchatis eo modo, ritu, ac fine quo illud celebrabant Judæi, locutus fuiſſet Aerius, & loqueretur Danæus, certè eſſet iterum ad cæremonias legales revolvi, & Chriſtum in carne veniſſe tacitè negare. Sed celebratio Paſchatis in memoriam peracti Sacrificii Chriſti, cujus figura & typus erat Paſchale Sacrificium Judæorum, quo pacto illud celebrant Chriſtiani, non eſt redire ad cæremonias legales, & negare, Chriſtum in carne veniſſe, ſed potiùs fateri eas jam per adventum Chriſti in carne

carne fuiſſe impletas. Unde S. Auguſtinus Epiſt. 119. modò 55. ad Inquiſ. Januarii cap. 16. oſtendens, quomodo in veritate concinendâ duo Teſtamenta concordent: *Occiditur*, inquit, *ovis, celebratur Paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus datur Lex ad timorem ſcripta digito Dei. Occiditur Chriſtus, qui tamquam ovis ad immolandum ductus eſt, ſicut Iſaias teſtatur, celebratur verum Paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus datur ad caritatem Spiritus Sanctus qui eſt digitus Dei.*

Et in eadem Epiſt. cap. 1. oſtendens, Paſcha à Chriſtianis celebrari, nedum in memoriam rei geſtæ, ſed & in Sacramentum rei futuræ, ait: *Eo itaque modo agimus Paſcha, ut non ſolùm in memoriam quod geſtum eſt revocemus, ideſt quòd mortuus eſt Chriſtus & reſurrexit; ſed etiam cætera quæ circa ea adteſtantur ad Sacramenti ſignificationem non omittamus. Quia enim ſicut dicit Apoſtolus* ,, Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram ,,: *tranſitus quidam de morte ad vitam in illa paſſione Domini & reſurrectione ſacratus eſt;* ubi oſtendit, Paſcha Hebræa ſignificatione *tranſitum* ſignificare. Qui tranſitus à vita ſcilicet mortali ad immortalem à nobis modò agitur per fidem in ſpem vitæ æternæ, diligentibus Deum & proximum promiſſæ.

III. Hoc eſt Paſcha quod celebrant & celebrarunt ſemper Chriſtiani in teſtimonium, quòd Chriſtus verè in carne ſit paſſus & verè reſurrexerit. Nec unquam inter Catholicos controverſia fuit, an Paſcha celebrari deberet, ſed quâ die, an ſcilicet Lunâ quartadecimâ cum Hebræis, an Dominicâ ſequente. Et hoc ſecundum in Concilio Nicæno ſtatutum fuit, ut etiam in die celebrationis Chriſtianum Paſcha à Judaico diſcerneretur. Quare in hoc falſum dicunt Aerius & Danæus, quòd Paſcha celebrare ſit ad veteres cæremonias redire. Soli Manichæi teſte S. Auguſtino Lib. contra Epiſt. Manichæi cap. 8. Paſcha vel nullum habebant, vel ex iis pauci, & quidem tepidiſſimâ celebritate celebrabant. Sed quare? Quia ut idem Auguſtinus refert, Chriſtum veram carnem habuiſſe & verè paſſum negabant. Quis ergo Chriſtum in carne veniſſe negat & eſt Antichriſtus? Nos, qui in hujus veritatis memoriam Paſcha celebramus: An Aerius & Aerii patronus Danæus, qui Paſcha à Chriſtianis celebrandum negant: & hoc velut errorem immeritò reprehendi, damnarique contendunt?

IV. Neque illis favet Apoſtolus dum ait 1. Cor. 5. v. 7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Nam ut obſervat Epiphanius n. 6. Act. 20. v. 16. de eo dicitur: *Feſtinabat, ut celebraret Pentecoſten Jeroſolymis*. Quare ſubdit: *Ecquam verò Pentecoſten Paulus age-*

ret, niſi Paſcha priùs obiiſſet? Paulus ergo ibi non intendit, Paſcha à Chriſtianis nullatenus eſſe peragendum: ſed ſolùm à Paſchate Judæorum velut à typo præſcribere modum, quo Chriſtiani celebrare ſpiritualiter debent ſuum. Sicut enim Paſchatis diebus eliminato à domibus eorum omni fermento ſolis puris azymis Judæi veſcebantur: ita vero Paſchate Chriſto, cujus illud typus fuerat, immolato, non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis modò celebrari debeat, ut quod tunc materialiter agebatur, modò ſpiritualiter fiat. Hanc eſſe Pauli mentem indicat verba ſequentia: *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.* Imò S. Joannes Chryſoſt. Hom. 15. in 1. ad Cor. ſentit hìc, Apoſtolum non loqui de ſolo tempore Paſchatis, ſed de toto vitæ tempore: *Cum enim dixit feſtum celebremus; non quòd Paſcha, non quòd Pentecoſte adeſſet, hoc dicebat; ſed oſtendens tempus omne diei feſti tempus eſſe Chriſtianis, ob ubertatem collatorum bonorum.* Quocumque modo exponatur, Paulus Aerio non favet.

V. Aerianis præter præfatos alii tribuuntur errores, inquit S. Auguſtinus Hæreſ. 53. *Quidam perhibent, iſtos, ſicut Encratitas, vel Apoſtatitas non admittere ad communionem ſuam niſi continentes, & eos qui ſeculo ita renuntiaverint, ut propria nulla poſſideant. Ab eſca tamen carnium, non eos abſtinere dicit Epiphanius. Philaſter verò & hanc eis tribuit abſtinentiam.* Damaſcenus tamen Hæreſi 76. contrarium ſentit, dicens de Aerio *Carnium & ciborum genus omne ad vitam abſque timore adhibet.* Hìc Danæus ait „ Quæ de „ inducta carnium abſtinentia, & conjugiis ab iiſdem improbatis, „ de Aerianorum approbatione Epiſcopi addunt, reponuntque „ inter Aerianæ hæreſes hypotheſes, ſi vera ſunt certè errarunt „ Aeriani, ſin minùs (& mihi quidem ex hac ipſa Auguſtini ora- „ tione, & titubatione, qui totum hoc dubium eſſe ſcribit, pror- „ sùs in eos calumniæ causâ commentitia & conficta videntur) „ ex hæreticorum numero Aerianos eximemus: & inter ſchiſma- „ ticos potiùs habebimus, ſi benè conſtitutum Eccleſiæ ordinem „ temerè perturbare ſunt conati. Quod tamen ab iis factum fuiſſe „ hactenus non apparet. Quare hos inter hæreticos minimè no- „ tavimus „. His Danæus Aerium & Aerianos ab hæreſi, & à ſchiſmate abſolutos dimittit.

VI. Vide Lector, quò unius Sectarii procedat audacia, imò & inſolentia. Aerianos, quos Eccleſia antiqua & recens damnat in eo quòd Epiſcopatum Presbyteratu ſuperiorem eſſe, preces pro Defunctis fundendas, & ſtata Jejunia ſervanda eſſe negabant, quia cum ipſo eadem negante conveniunt, privato ſuo judicio Hæreticos

cos non eſſe ſententialiter pronuntiat. Si verò continentiam à conjugio, abſtinentiam à carnibus, bonorum abdicationem profeſſi fuerint, quia hæc ſuæ Sectæ contraria ſunt, illicò eos hæreticos declarat: quia vèrò putat eos non ita ſenſiſſe, tam ab hæreſi quàm à ſchiſmate abſolvit. Sic quos vult hæreticos facit, quos non vult non facit. Hoc ſingulare privilegium ſibi arrogant Pſeudo-Reformati.

Nos autem veræ fidei, quam ſemper profeſſa fuit Eccleſia, ejuſque decretis inhærentes, Aerianos & Pſeudo-Reformatos ad Hæreticos amandamus tam in iis, quæ contra Epiſcopatum, preces pro Defunctis, & contra Jejunia ab Eccleſia ſtatuta blaterant, quàm quoad ea quæ contra uſum conjugii, carnium uſum, & bonorum poſſeſſionem Aeriani ſtatuebant (ſi tamen ſtatuebant) eodemque anathemate quo ſupra Tatianos, Encratitas, Manichæos, alioſque ſimiles eos proſcribimus.

CAPUT L.

De Aetianis & Eunomianis.

§. I.

Qui fuerint Aetius & Eunomius.

I. AETIANI & Eunomiani ab Aetio & Eunomio nuncupati Arianæ hæreſis fœda ſoboles extitere, eamque novis ac turpioribus blaſphemiis auxerunt. Dicti etiam fuerunt Eudoxiani ab Eudoxio Germanicienſi Epiſcopo, & Theophroniani ac Eutychiani à Theophronio & Eutychio ejuſdem hæreſis propagatoribus. Atque etiam cùm Theodoſii edicto urbibus omnibus expulſi in deſertis locis & in cavernis habitare ac in eis cœtus ſuos habere coacti eſſent, Trogloditæ ideſt Cavernarum habitatores appellari cœperunt, Theodorito teſte L. 4. Hær. Fab. cap. 4., fortè ſumto nomine à Trogloditis apud Hebræos, qui in abditis & ſpeluncis latitantes ibi Idola colebant abominationeſque execrandas operabantur, quas in ſpiritu Hieruſalem adducto Ezechieli oſtendit Dominus, ut habetur cap. 1. Ezechielis. De his Philaſter Hæreſ. 14. *Troglodytæ*, inquit, *qui ita dicuntur in Judæis, qui in ſpeluncis habitantes abditis Idola colere non deſinebant*, *ut ait Ezechiel Propheta monſtrante Domino quomodo in ſpeluncis abſconditis Seniores populi tenentes thuribula Idolis ſacrificabant*, *atque ea cæcis mentibus adorabant*. Gothicos etiam appellatos cenſet Danæus

næus cap. 54. quòd ut refert Sozomenus Lib. 6. cap. 37. Gothorum magna pars duce Ulphilâ eorum Epiſcopo hunc errorem ſecuta ſit. Nunc de auctoribus & propagatoribus erroris agam.

II. Aetius ergo hujus Sectæ princeps, quòd malè de Deo ſentiret *Athei* cognomen adeptus in Cœleſyria propè Antiochiam (ſeu Antiochiæ) ut vult Socrates L. 2. c. 35. viles natales habuit. Pater ejus profeſſione miles ob rem malè geſtam juſſu Provinciæ Præſidis interemtus fuit, & bona ejus Fiſco applicata. Quare Aetius adhuc adoleſcens ad ſummam egeſtatem unà cum matre redactus, ut victum ſibi compararet, ærariam artem, vel ut alii volunt, aurificam diſcendam ſuſcepit. Cùmque hanc artem ſatis diù exercuiſſet, eam dimiſit, non ſcientiarum genio, ut vult Philoſtorgius, & ipſe Aetii partibus addictus L. 3. c. 15., ſed quia teſte Nyſſeno Lib. 1. in Eunomium, cuidam mulieri, quæ monile aureum reaptandum illi tradiderat, cùm æreum reſtituiſſet, furti in judicio convictus ac punitus, ei arti renunciare coactus fuit. Poſt hæc cujuſdam medici, ſeu veriùs circulatoris, diſciplinæ & famulatui ſe dedit, ac brevì medicum ſe venditans, & à quodam Armeno viro ſimplici ſuſceptus ac multâ pecuniâ donatus, medicam artem exercere ac medicorum cœtibus intereſſe cœpit, ubi diſputationibus & clamoribus magis quàm ſcientiâ non paucos in ſui exiſtimationem traxit.

III. Intereà mortuâ matre, nec ampliùs egeſtate preſſus, medicinâ rejectâ Philoſophiæ audaci quo pollebat ſpiritu totum ſe dedit, ut indè ad cæteras ſcientias viam ſibi pararet. Priùs ergo Paulini, qui ab Euſebianis è Tyria ad Antiochenam Eccleſiam translatus fuerat, auditor fuit. Sed Paulino poſt ſex menſes defuncto, ab Eulalio, qui ejus locum impleverat, multitudine adversùs eum ob nimiam in dicendo temeritatem commotâ, Antiochiâ Aetius expulſus fuit. Qui Anazarbum in Cilicia ſe conferens ibi artem ſuam reſumſit, nec tamen à dicendi libertate temperans, quod anno 331. contigiſſe fertur. At poſtea à quodam Grammatico in famulum ac diſcipulum aſſumtus, cùm auderet magiſtrum ſuper intelligentiâ Scripturarum publicè reprehendere, ab eo velut ingratus domo ejectus fuit: ab Athanaſio tamen Anazarbi Epiſcopo inter Euſebianos celebri ſuſceptus, ac ſimul Sacra Evangelia edoctus.

IV. Verùm cùm nec Athanaſius ſuperbo ejus ingenio ſatisfaceret, Tarſum conceſſit, ubi ſub quodam Antonio Presbytero Ariano S. Pauli Epiſtolas lectione ac ſtudio percurrit. Sed Antonio illius urbis Epiſcopatum adepto, nec particularem hominem inſtruere ampliùs valente, Aetius Antiochiam rediit: ibi ſub Leon-

Leontio tunc Presbytero (qui S. Luciani Martyris diſcipulum ſe jactabat) poſtea illius Urbis Epiſcopo in Prophetis ac præſertim Ezechiele inſtructus fuit. Ab iſto Diaconus deſignatus, & ad docendi munus in Eccleſia delectus, Aetius diaconatum ſuſcipere veritus, docendi munus non rejecit (ut Philoſtorgius aſſerit, ſed falsò ut dicam): hoc ante annum 348. contigit. Sed cùm linguæ ſuæ temeritatem ac doctrinæ impietatem non compeſceret, ideò, non invidiâ, ut Philoſtorgius aſſerit, ſed meritò indè etiam ejectus fuit.

V. In Ciliciam reverſus cum quodam Borborianæ Sectæ apud Gnoſticos turpioris, diſputatione initâ, & ab eo convictus, præ rabie vix non interiit ſed (ut imponit Philoſtorgius) cœleſti viſione (ſeu veriùs magico præſtigio) relevatus fuit, quâ ſibi promittebatur, impoſterum de omni diſputatione victoriam reportandam. Indè Antiochiam rediens & Alexandriam in Ægyptum progreſſus, cum quodam Aphtonio Manichæo medico ingenii ſubtilitate celebri diſputatione habitâ, eum ita confudit, ut neſciens quid repeteret, præ dolore morbo decumbens poſt ſeptem dies mortem obierit. Quibus apparet, Aetium artem medicam apprimè calluiſſe.

VI. Dum Alexandriæ moraretur, ut impietati ſuorum dogmatum dialecticas ſubtilitates adjungeret, apud Sophiſtam quemdam ſcholæ Ariſtotelicæ profeſſorem ſophiſmata & fallacias didicit, quibus audacior factus diu noctuque involvendis ſub ſyllogiſmorum & Geometriæ figuris fidei myſteriis vacabat, ac iis præcipuè, quæ Verbi generationem concernunt. Ita Socrates L. 2. c. 35. *Nam cum Alexandriæ leviter admodum inſtitutus fuiſſet, indè reverſus eſt Antiochiam Syriæ, ex qua civitate erat oriundus. Illic à Leontio, qui tunc Antiochenæ urbis Epiſcopatum gerebat, Diaconus eſt ordinatus: extemplo igitur eos quibuſcum loquebatur ſermonum novitate obſtupefecit. Id autem agebat fretus Categoriis Ariſtotelis (is liber eſt ab auctore ita inſcriptus) ex quarum præceptis diſputans, non animadvertit, ſe in ſuam ipſius fraudem captioſas argumentationes componere: nec ipſius Ariſtotelis mentem didicit ab eruditis.... Quamobrem intelligentiâ aſſequi non potuit, quomodo eſſet ingenita generatio, & quâ ratione id quod genitum eſt, coæternum eſſet illi qui genuit.* Indè proſequitur, quòd Aetius licèt Sacrarum Scripturarum imperitus, contendendi ſtudio ſe ſolum ſcire ſuperbè ac vanè exiſtimans, contemtis veteribus, qui eas interpretati fuerant, compoſuit Epiſtolas ad Imperatorem Conſtantium & alios, ſophiſticis argumentis plenas; quibus Catholicos in ſpretum vocat *Temporarios*, quamobrem *Atheus* eſt cognominatus: adeò enim blaſphemè

phemè de Deo loquebatur, ut licèt eadem cum Arianis ſentiret, ab eis ut hæreticus habitus, fuerit ab Eccleſia ſegregatus, licèt ipſe ab eorum communione ſe diceret diſceſſiſſe, quòd Arius in gratiam Imperatoris Nicænæ fidei ſubſcripſiſſet. Hæc ex Socrate.

VII. De Aetio eadem refert Epiphanius Hæreſ. 76. num. 2. his verbis: *Tandem verò cum Alexandriæ Ariſtotelico cuidam Philoſopho ac Sophiſtæ navaſſet operam ab eoque dialecticam didiciſſet, totus in illud incubuit, ut Divinarum rerum rationem omnem quibuſdam figuris explicaret. Id quod ſummo in otio à prima luce ad veſperam uſque ſedens pertinaci operâ contendebat: nimirùm ut Geometricas figuras ad res tractandas, definiendas, docendaſque transferret. Atque ut ſe ſe in Arianorum Sectam altius immerſerat, & inſanam Arii doctrinam hauſerat, illorum velut affrictu quodam attrituque longè peſtilentior evaſit, & adversùs Dei Filium & Spiritum Sanctum linguam ſuam in dies exacuit. Sed à nonnullis ad Conſtantium delatus, in ſubjectam Tauro monti regionem relegatur. Ibi pernicioſam ſuam doctrinam longè latèque propagavit, ac palam & audacter, perſtrictiorique quàm antea fronte, acerbiſſimum erroris illius, quem evomuerat, virus in medium ſinè ulla intermiſſione protulit. Auſus eſt enim diſſimilem Patri Filium, nec eundem Divinitate eſſe cum illo profiteri.* Hæc Epiphanius: qui ſubinde integrum Aetii opuſculum, illiuſque errorem de ingenito & genito pluribus ſophiſmatibus refertum, exhibet ac refutat.

VIII. In hoc tamen ſingularis eſt Epiphanius, quòd, ubi omnes Hiſtorici ſentiunt, quòd Aetius fuerit Diaconus ordinatus à Leontio Epiſcopo Antiocheno, ipſe num. 1. à Georgio Alexandrino Arianorum pariter & Meletianorum Epiſcopo ordinatum fuiſſe ſcribit, Georgio, inquam S. Athanaſii hoſti infenſiſſimo, ac Sedis Alexandrinæ invaſori, qui Juliano imperante ob Gentilium oſſa è ſepulchro extracta ac ludibrio Chriſtianorum expoſita ab ipſis paganis Alexandriæ commorantibus ad camelum alligatus, tractus ac dilaceratus unà cum camelo ipſo igne combuſtus fuit. De quo Socrates L. 3. cap. 2. Quem tamen martyrem non fuiſſe S. Epiphanius ibi oſtendit, quia non propter Chriſtum, nec veram ejus fidem, ſed propter violentias, quas Epiſcopatus ſui tempore exercuit, occiſus fuit. Cæterùm Leontius Antiochenus, non iſte Alexandrinus Georgius, Aetii ordinator fuit, ut omnes uno excepto Epiphanio conveniunt. Hæreſim ſuam prodere cœpiſſe Aetium circa annum 360. ſub Conſtantio & Liberio Pontifice fertur. Nunc de Eunomio.

IX. Eunomius gente Cappadox in urbe *Dacora* ſita in agro Argæno à Monte Argæo dicto propè Euphratem, ſive in pago *Olti-*

Oltiſera natus parentem habuit nomine Priſcum vilis conditionis: qui de fructibus agri, quem ſuis manibus colebat, ſe ſuamque familiam ſuſtentabat. Sed cùm vitam in ſudore degere Eunomio ingenio acri diſpliceret, legere ac ſcribere jam edoctus, apud quemdam conſanguineum ſuum divertit, ſcriptoris & filiorum pædagogi munere fungens: quo tempore ſtudio Rhetorices etiam vacavit: Attamen quodam adoleſcentiæ defectu patriam relinquere compulſus Conſtantinopolim petiit, ubi arma etiam geſtaſſe fertur. Porrò videns, parum ſibi hoc genus vitæ eſſe propitium, audienſque Aetium ſub Georgii patrocinio Alexandriæ ſuam vitam tranſigere, ad eum ſe contulit, factus ejus ſcriba & diſcipulus circa ann. 356. Hæc ex S. Gregorio Nyſſeno Lib. 1. in Eunomium.

X. Eunomius igitur Aetii diſcipulus & notarius factus, & *cum illo diu verſatus* (ut ait Socrates Lib 4. cap. 7.) *ſophiſticum ejus diſſerendi modum imitatus eſt: & inanibus quibuſdam voculis nimiùm deditus, fallaces argumentationes in ſuum ipſius damnum impudens contexuit. Ob hæc arrogantiâ elatus in blaſphemiam prolapſus eſt, dum Arii quidem opinionem ſectatur, veritatis autem doctrinam variis modis impugnat*. Poſtea pergit Socrates, quòd Scripturarum licèt ignarus, eas interpretari auſus fuit, & præcipuè Epiſtolas Pauli, verborum quidem copiâ abundans, ſenſum tamen Apoſtoli nunquam aſſecutus. Aetii magiſtri ſui audaciſſimè doctrinam prædicans, novis auxit erroribus. Cizicenus Epiſcopus in locum Eleuſii ab Eudoxio deſtinatus, illum acceptare abnuit, donec Aetius magiſter ſuus ab exilio revocaretur. Cùmque Cizicum adventaſſet, tumultus populi ejus impiâ doctrinâ excitatus eſt, adeò ut mandante Conſtantio Eudoxius ipſe vel nolens eum deponere coactus fuerit. Plura de hoc impio omittam. Solùm addam, quòd à Conſtantio demum in exilium actus Eunomius, in Pamphiliæ ſolitudine miſeram ac infelicem vitam trahens, ac juſtas ſuæ impiepietatis pœnas luens, tandem ſub Valente mortuus Aetianorum furores adeò auxit, ut ab eo Eunomiani crebriùs quàm Aetiani fuerint impoſterum appellati.

XI. Eudoxius præcipuus Eunomii in propagando errore fautor Germaniciæ priùs Epiſcopus: poſtea Antiochiam intruſus, ſed in Synodo Seleucienſi depoſitus, ſuo errore voce non tamen corde retractato, Epiſcopus Conſtantinopolitanus evaſit, ac Eunomium iterum deſerere compulſus fuit. *Arabiſſi* in Minori Armenia natales traxit Eudoxius, Cæſario patre, qui impuram quam traxerat vitam martyrio purgavit, ac fortè ille fuit de quo Martyrol. Rom. 28. Decembris. Eudoxius filius genio levis ac deliciis deditus à Ca-

Catholicis ut Clericus fieret obtinere non potuit, ad Arianas verò & Eunomianas partes tranſiens, nedum Clericatum ſed Epiſcopatum conſecutus fuit.

XII. De Theophronio & Eutychio Aetianæ & Eunomianæ ſectæ priùs diſcipulis, dicit Socrates L. 5. c. 24. ab Eunomianis in aliquibus ſecedentes, hæreſim ſuo nomine nuncupatam reliquiſſe, quæ errorem potiùs augeret quàm minueret. Ut Theophranii ſectatores vulgò *Eunomiotheophroniani*, Eutychii verò *Eunomieutychiani* vocarentur. In hoc autem ab Eunomio præcipuè diſcrepaſſe dicit Sozomenus L. 6. c. 26. quod aſſererent, Sacrum Baptiſma non in Trinitatem, ſed in Chriſti mortem adminiſtrari oportere; de quo certè Eunomium nihil in hac parte innovaſſe, pro comperto habetur. Sed de hoc infra.

§. II.

Error de Filio Dei &c. de cognitione Dei, de Chriſto, de Baptiſmo, de Reliquiis, de Fide.

I. PRimus Aetii, Eunomii, eorumque Sectæ error fuit, quòd Filium Dei diſſimilem Patri aſſerebant, unde *Anomæi*, ideſt *diſſimiles* dicti fuere. Volebant enim, eum eſſe creaturam Patris ab eo ex ſuperveniente voluntate procreatam; Ut nec eſſentiâ, nec poteſtate, nec voluntate par, ac ne ſimilis quidem Deo Dei Filius eſſet. In quo pejores erant hi Anomæi quàm qui Filium tantum Heterouſion aſſerebant, ideſt diverſæ *uſiæ* ſeu eſſentiæ. Heterouſii enim hæretici diverſæ quidem eſſentiæ, ſimilem tamen Deo Patri in cæteris attributis Filium Dei eſſe dicebant: ubi iſti in omnibus eum Patri diſſimilem fatebantur, ſeu veriùs blaſphemabant. Exponit hoc S. Auguſtinus L. 15. de Trinit. c. 20. his verbis: *Ridenda eſt dialectica Eunomii, à quo Eunomiani hæretici exorti ſunt: qui cùm non potuiſſet intelligere, nec credere voluiſſet, Unigenitum Dei Verbum, per quod facta ſunt omnia, Filium Dei eſſe naturâ, hoc eſt de ſubſtantia Patris genitum: non naturæ vel ſubſtantiæ ſuæ ſive eſſentiæ dixit eſſe Filium, ſed Filium voluntatis Dei, accidentem ſcilicet Deo volens aſſerere voluntatem, quâ gigneret Filium: videlicet ideò quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus, quaſi non propter iſta mutabilis intelligatur noſtra natura: quod abſit ut in Deo eſſe credamus.* Quibus oſtendit, quòd ſi Deus genuit Filium non naturâ, ſed liberâ voluntate, fiet ut natura Dei mutabilis ſit, ſicut noſtra natura, quâ volumus, quod antea non volebamus.

Et

Et poſt pauca ſubdit: *Acutè ſanè quidam reſpondit hæretico interroganti, utrum Deus Filium volens an nolens genuerit: ut ſi diceret, nolens, abſurdiſſima Dei miſeria ſequeretur; ſi autem volens, continuò quod intendebat velut invictâ ratione concluderet, non naturæ eſſe Filium ſed voluntatis. At ille vigilantiſſimè viciſſim quæſivit ab eo, utrum Deus Pater volens an nolens ſit Deus: ut ſi reſponderet, nolens, ſequeretur illa miſeria, quam de Deo credere magna inſania eſt: ſi autem diceret, volens, reſponderetur ei, ergo & ipſe Deus eſt ſuâ voluntate, non naturâ.*

II. Quia verò Aetii & Eunomii præcipua argutiola erat, quòd cùm Deus Pater ſit naturâ ingenitus, Filius verò ſit naturâ genitus, Filium naturâ diſſimilem Patri eſſe oporteat. Huic fallaciæ reſpondent pluribus Baſilius Lib. 2. contra Eunomium & Epiphanius Hæreſ. 76., nimirùm Genitum & Ingenitum non diverſam eſſentiam, ſed diverſum tantùm exiſtentiæ modum ſignificare. Quod exemplo manifeſtum eſt. Adam enim *ingenitus* dici poteſt, quia primus homo à nullo patre eſt genitus; Seth autem *genitus*, quia ex Adamo eſt: nec tamen propterea diverſa Sethi & Adami natura & eſſentia eſt, imò uterque verus homo etſi diverſo modo naturam acceperit. Sic in Deo Pater & Filius ejuſdem naturæ ſunt, quamvis eam Pater à nullo, Filius à Patre acceperit, & in ea diverſo modo exiſtant. Id enim diverſitatem indicat, non in ſubſtantia, ſed in modo & proprietate.

Exponit hoc S. Baſilius Lib. 2. contra Eunomium n. 4. dicens: *Sed quis mentis compos ad hanc ſententiam acceſſerit, quòd quorum nomina ſunt diverſa, horum etiam ſubſtantias diverſas eſſe neceſſe ſit? Petri & Pauli, & in ſumma hominum omnium appellationes ſunt quidem diverſæ, ſed tamen omnium una ſubſtantia eſt. Quapropter in plurimis iidem inter nos ſumus, & ſolis proprietatibus, quæ in unoquoque conſiderantur, alter ab altero differimus. Unde & appellationes, non ſubſtantias, ſed proprietates quibus quiſque deſignatur, ſignificant. Itaque cum audimus* Petrum, *non ejus ſubſtantiam hoc nomine intelligimus (ſubſtantiam autem nunc dico materiale ſubjectum, quod nequaquam eo nomine ſignificatur) ſed proprietates, quæ circa eum conſiderantur, cogitatione depingimus. Illicò enim per hanc vocem intelligimus Jonæ filium, qui fuit ex Bethſaida, Andreæ fratrem, qui ex piſcatore ad Apoſtolatus miniſterium vocatus eſt.* Sicut ergo Petrus filius Jonæ proprietate quidem à Jona patre diverſus eſt, ut nec Petrus poſſit eſſe Jonas, nec Jonas Petrus; uterque tamen ejuſdem ſubſtantiæ eſt, & uterque homo: ita Deus Pater ingenitus, proprietate quidem à genito Filio diverſus eſt, ut nec Pater ſit Filius, nec Filius Pater; in ſubſtantia tamen unum

ſunt, & unus Deus. Et ſubſtantia Dei, quia una & immutabilis, eadem omninò ſub diverſa appellatione & proprietate perſonali in Patre & Filio eſt. Sed hæc ſatis ſunto: plura enim de Arianis dicta Lector inveniet.

III. Secundus & conſequens error fuit, quòd Spiritum Sanctum dicerent facturam Filii, ideòque nedum Patri, ſed & Filio in ſubſtantia diſſimilem & inferiorem. Ita Eunomius ipſe apud Baſilium num. 5. *Tertius*, inquit, *ordine & naturâ, Patris quidem præcepto, operatione verò Filii factus, tertio loco honoratus, tanquam qui ſit primum omniumque maximum & ſolum hujuſmodi opificium Unigeniti, deitate & creandi potentiâ carens*. Impium hoc Eunomii aſſertum, & præcipuè ea parte quâ Spiritum Sanctum Deitate ſpoliat, fusè impugnat S. Baſilius à Studioſo videndus: cùm enim de hoc ſupra egerim contra Arianos, & Macedonianos Cap. 45. & 48. eadem hic recoquere ſuperfluum eſſet. Solùm adducam quæ Eunomius pro ſe aſſerebat. Spiritum Sanctum creaturam dictum probat ex illo Amos 4. v. 13. *Qui format tonitruum & creat Spiritum*. Et ex illo Joan. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Sed ad primum reſpondet Baſilius, verba illa non ad Sanctum Spiritum, ſed ad communem flatum aeris pertinere. De facto enim Vulgata legit, *Creans ventum*. Ad ſecundum verò dicit, illis verbis *omnia per ipſum facta ſunt* Spiritum Sanctum non comprehendi: *Etenim ſi unus eſt Spiritus Sanctus & ſolus, quomodo qui ſingularis cujuſdam naturæ eſt, unà cum omnibus comprehendi poteſt?* Sed de his, locis ſupra citatis.

IV. Errores Eunomii de Trinitate exponit Philaſter Hær. 68. his verbis: *Eunomiani ab Eunomio diſcipulo Arii in omnibus inimici veræ fidei ajunt, tres eſſe diverſas qualitatis ſubſtantias, ut auri, argenti, & æris: & Patrem quidem feciſſe Filium, & iterum Filium, qui ſit creatura, feciſſe Spiritum: & adſerunt Filium non Patri eſſe ſimilem, quia creatura eſt: neque Spiritum Filio ſimilem, quia à Filio factus eſt: magis impietati paganæ, & iniquitati Judaicæ conſentientes apertiſſimè, quàm Chriſtianæ doctrinæ ac fidei Catholicæ parere volentes*. Hæc Philaſter. Qui tamen dum vocat Eunomium Arii diſcipulum, idem intelligit ac hæreſis imitatorem. Non enim Arium ipſum anno 336. mortuum audivit Eunomius, ſed Aetium, & ab anno 356. & uſque ad annum 396. vitam perduxit. Nam anno ſaltem 392. adhuc in vivis erat Eunomius, S. Hieronymo teſte Lib. de Script. Eccl. cap. 120., ubi de eo dicit: *Uſque hodie vivere dicitur in Cappadocia, & multa contra Eccleſiam ſcribere*.

V. Tertius Eunomii error fuit, quòd diceret, ſe Deum ita perfectè cognoſcere, ſicut Deus ipſe ſe cognoſcit: unde ipſum cognitio-

gnitione comprehenſivâ ſe attingere Anomæi cum auctore ſuo impudenter gloriabantur. Ita refert Socrates Lib.4. cap.17. *Ipſius*, inquit, *Eunomii verba audiamus, ſic enim loquitur: Deus de ſua ipſius eſſentia nihilò plus intelligit quàm nos; neque ea ipſi magis eſt cognita & perſpecta quàm nobis: ſed quod nos de ea ſcimus, idem omninò & ipſe ſcit: ac rursùs quod ille novit, idem in nobis viciſſim reperies.* Idipſum teſtatur Theodoritus Lib. 4. Hær. Fab. cap. 3. his verbis: *Auſus eſt enim* (Eunomius) *dicere, ſe nihil ex rebus Divinis ignorare, ſed ipſam etiam Dei ſubſtantiam exactè ſcire, eamdemque habere de Deo cognitionem quam ipſe de ſe ipſo habet Deus. Hoc ejus furore perciti qui ſunt execrandæ illius Sectæ participes, audent apertè dicere, ſe ita Deum noſſe, ut ipſe ſe ipſum.* Adeò inſana eſt iſta temeritas, ut Vazquez in 1. p. Diſp. 37. cap. 3. abnuat id credere & dicat: Non ita fuiſſe amentem Eunomium, ut ſcientiam ſuam cum Divina componeret. Sed cùm hoc veterum omnium teſtimonio comprobetur, acquieſcere Vazquez debuiſſet.

VI. Propterea Patres hanc Eunomii dementiam aſpernantur, ſed non negant. Baſilius Epiſt. 168. modò 16. Eunomium provocans ad ſibi explicandam naturam formicæ, ait: *Qui ergo de eorum quæ ſunt cognitione gloriatur, interim formicæ nobis explicet naturam, atque ita demum ejus poteſtatis, quæ intellectum omnem ſuperat, naturam ſcrutetur. Quòd ſi minutiſſimæ formicæ naturam nondum cognitione apprehendiſti, quomodo incomprehenſibilem Dei naturam imagine tuâ comprehenſam eſſe gloriaris?* Idem confirmat S. Gregorius Nyſſenus Orat.12. adv. Eunom. dicens: *Si itaque ima creatura, quæ noſtros uſque ad ſenſus pertingit, modum humanæ cognitionis ſuperat, quomodo qui ſolâ voluntate univerſum conſtituit, in noſtra comprehenſione contineretur?*

VII. Epiphanius item Hæreſi 76. Eunomium temerariò dicentem: *Tam Deum intelligo quàm me ipſum: imò tam me ipſum non novi, quàm Deum*, redarguens ait: *Quòd ſi quis illum aut ejus diſcipulos rogaret: Ne tu mihi incomparabilis & incomprehenſibilis Dei ſcientiam jactites, cujus formam quidem ac naturam aſſequi nemo poteſt, fide verò ab ipſius ſervis utcumque cognoſci poteſt.* Indè ab eo poſtulat: *Sed hoc velim nobis ediſſeras: fundamenta terræ quæ ſint: quæque abyſſi penitiora receptacula: maris venas; inferorum domicilium, aeris menſuras, cæleſtium orbium formam, ac craſſitudinem: quodnam ſummum ſupra? quod infra ſit infimum: quid ad dexteram ſit: quid ad ſiniſtram. Ad hæc creatarum rerum naturam, tuique adeò molitionem explices: tum eorum omnium numerum modoſque quæ terris infinita continentur.*

Hæc cùm illis objiciuntur, ut ab illius ſectatoribus audire memini,

Digitized by Google

mini, ad ſophiſtica quædam commenta cavillationeſque ſe ſe convertunt, & ex illius præſcripto ita reſpondent: Hæc omnia corporea ſunt, nec à nobis percipi poſſunt. Deum verò qui hæc ipſa condidit, manifeſtè cujuſmodi ſit, quove modo ac qualis, quiſque ſit, intelligimus. Quis hæc ſine riſu poſſit audire? Eſt enim longè illud ſanè ſtultiſſimum: ſummum illum atque incomparabilem opificem, qui nullo ſermone declarari poteſt, ſcire ſe atque accuratè percepiſſe profiteri. (Atque utinam fide ſaltem illum ipſum ſcire ſe, non velut contrectare manibus incredibili audaciâ prædicarent!) interim verò creatas ab incomparabili illo res omnes, quæ in ſua quæque ſpecie conſideratæ ſpectatores ipſos ſui in admirationem trahere poſſunt, negare illum cum ſuis à ſe cognoſci. Præſertim cum ubique Sacræ Literæ de Deo teſtentur, neque oculis ipſum percipi, neque comprehendi, nec animo cogitari poſſe: ſed id unum de illo ex rei veritate percipi: Quòd ſit; quòdque diligentes ſe remuneretur (Hebr. 21. v. 6.) Ex his apparet Anomæorum cæcitas, qui fatebantur ſe hæc corporalia oculis ac ſenſibus patentia planè ſcrutari non poſſe, & præſumebant, Deum qui lucem habitat inacceſſibilem ſe comprehendere, & noſſe ſicut ipſe noſcit ſe ipſum. Imò ſecum ipſi pugnabant: ſi enim videbant Deum ſicut Deus videt ſe ipſum, cùm Deus videndo ſe videat omnia à ſe; cur ipſi ſe non videre hæc corporalia eaque ſcrutari non poſſe aſſerebant? Sic mentitur iniquitas ſibi.

VIII. Ex hac inſania ad aliam rapiebantur. Cùm enim ſe Deum non fide ſolâ, ſed clarâ viſione comprehendere jactarent, Fidem noſtram irridebant: unde Aetius & Eunomius, teſte eodem Epiphanio num. 5., eam aſſimilabant vitiatæ, ac ſurdæ, cæcæ, mutæque virgini, cui illatum ſtuprum omnes norunt: at ipſa rogantes quis eam vitiaverit, audire non poteſt ob ſurditatem, nec illius nomen indicare quia muta, nec illum videre quia cæca. Ac proinde Prophetas & Apoſtolos contemnentes, contumeliis illos afficiebant. Quare ſi eorum auctoritatibus premebantur: Quis eſt Apoſtolus? dicebant, ut homo locutus eſt. Quid mihi objicis Teſtamentum Vetus? *Quod quidem minimè mirum eſt*, inquit Epiphaphanius, *ſi dictum illud Salvatoris conſideretur* (Matth. 10. v. 25.) „ Si Patremfamilias Beelzubub vocaverunt, quantò magis domeſticos illius „? *Si Dominum ipſum ac verum decus ejus abnegare non dubitant, quantò magis Prophetas illius & Apoſtolos negabunt?*

IX. Quartus eorum fuit error: Quòd Verbum Divinum animam non aſſumſit, ſed animæ vices Divinitas ſupplevit. Hunc in Arianis ſupra Cap. 45. §. 5. à num. 15. refutavi. Diſcipuli tamen Eunomii teſte Nemeſio Lib. de Natura Hominis c. 3. addiderunt: *Divinum Verbum cum corpore unitum fuiſſe, non ſubſtantiâ, ſed facul-*

culta-

cultatibus utriuſque: neque enim ſubſtantias unitas, vel inter ſe comparatas, ſed facultates corporis facultatibus Divinis eſſe commixtas. Hunc errorem ex S. Ambroſio Lib. de Expoſit. Fidei refutat Theodoritus Dialogo 2. Inconfuſus. De hoc redibit ſermo cum de Apollinari agam.

. X. Quintus error fuit circa Baptiſma. Primò enim non baptizabant verbis à Chriſto inſtitutis, ſed ut ait Epiphanius ſub hac formula: *In nomine Dei increati: & in nomine Filii creati: & in nomine Spiritus Sanctificantis, & à creato Filio procreati*. Ideoque baptizatos non ſolùm à Catholicis, ſed & ab Arianis ad eos venientes ſub præfata formula rebaptizabant, addito juramento, ſe numquam ab eorum Secta diſceſſuros, teſte Epiphanio. Fatetur tamen Sozomenus Lib.6. cap.26. Eunomium, nil de Baptiſmo immutaſſe: ſed innovatores fuiſſe Polychronium & Eutychium, qui ab Eunomio recedentes, baptizare cœperunt non in Trinitate, ſed tantùm in Chriſti mortem: ideòque Anomæorum Baptiſma à Concilio Conſtantinopolitano I. reprobatur.

Secundò, Baptiſmi ritus mutarunt. Non enim trinâ ſed unâ tantùm merſione baptizabant, & quidem ad pectus uſque aquâ madefacientes, reliquas inferiores corporis partes tamquam execrandas madefacere prohibentes. Quaſi exiſtimarent, partes ſuperiores corporis humani eſſe à bono Deo, inferiores autem à malo. Unde S. Ambroſius Lib. 1. de Officiis cap. 25. *Quomodo*, inquit, *ſapiens Marcion atque Eunomius, qui malunt Deum malum, quàm bonum habere?* Ritum quem in baptizando Eunomiani ſervabant deſcribit Theodoritus Lib. 4. Hæret. Fab. cap. 3. his verbis: *Porrò autem baptizantes, ad pectus uſque aquâ madefaciunt, reliquis autem corporis partibus tamquam abominandis aquam adhibere prohibent. Qua de cauſa quando in ſolio* (balnei alveo) *quidam baptizabant, cùm hominem extra id ſtatuiſſent, ejus caput uſque ad pectus ſemel in aqua deprimebant. Poſtquam autem contigit ſauciari quempiam, cùm caput ad ſolium impegiſſet, excogitarunt aliud genus Baptiſmatis. In aliquo enim ſubſellio pronum hominem, extra id autem caput ſublime erigentes, effundunt aquam, quæ nullam aliam partem attingit. Alii verò ex iis alium quoque modum Baptiſmatis invenerunt. Maximam enim urnam componunt, eamque conſecrant, & eâ hominem ad ungues uſque involvunt à pectore incipientes, deinde ſic aquam infundunt*. Ita Theodoritus. Addit Sozomenus Lib. 6. cap. 26. quòd *apud eos in confeſſo eſt, eos qui nondum baptizati ſunt, Baptiſmum aliis conferre non poſſe*. Quo errorem antiquum jam proſcriptum renovabant.

XI. Sextus Eunomii error fuit, quòd Sanctorum Reliquias con-

contemnebat, & miracula ad eorum invocationem à Deo patrata Dæmonum præſtigias eſſe effutiebat. Ita ex S. Hieronymo Lib. adverſus Vigilantium, ubi eum his verbis perſtringit: *Rides de Reliquiis Martyrum, & cum auctore hujus hæreſeos Eunomio, Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis, nec tali ſocietate terreris, ut eadem contra nos loquaris quæ ille contra Eccleſiam loquitur? Omnes enim ſectatores ejus Baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrediuntur, ut ſcilicet mortuum adorent Eunomium, cujus libros majoris auctoritatis arbitrantur, quàm Evangelia: & in ipſo credunt eſſe lumen veritatis.*

Hæc eadem, quæ contra Eunomianos & Vigilantium pronuntiat Hieronymus, verti poſſunt in modernos Proteſtantes, in contemnendis SS. Reliquiis Eunomii & Vigilantii pediſſequos; & in Danæum præcipuè, qui hìc Sacrarum venerationem Reliquiarum ab eo tempore jam exortam ſuperſtitionem vocat, & audet apertè dicere, quòd *ſuperſtitionem Reliquiarum colendarum jam naſcentem damnaret Eunomius, certè non fuit error*. At deſipit Danæus. Quomodo enim error non eſt, quem ut errorem ſemper damnavit Eccleſia, & illam profitentes tamquam hæreticos anathemate quovis tempore feriit? Sed contra hoc ſatis egi in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 2. art. 15., & Tom. 16. Theol. q. 7. de Cultu Sanctorum Dub. 4. Certè de iſtis repeti poteſt quod de Eunomianis dicit Hieronymus, Baſilicas Apoſtolorum & Martyrum non ingrediuntur, ut cum Eunomio ac Vigilantio Lutherum Calvinum aliosque ſuos Pſeudo-Reformatores adorent; quorum libros, imò & proprium privatum judicium pluris faciunt, quàm judicium Eccleſiæ & Evangelia.

XII. Errabant ſeptimò cum ſuo Magiſtro Eunomiani, quòd docebant, malam vitam conjunctam cum fide, quam ipſi prædicabant, nihil obeſſe, ſic ut quibuſcumque peccatis quis irretitus, & in eis perſeverare volens, dummodo fidem ſuam ſervaret, vitæ æternæ particeps eſſet. Ita ex S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. 54., & Epiphanio Hæreſ. 76. n. 4., ad ſuum errorem trahendo verba Chriſti Joann. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Ita Epiphanio teſte ajebant Aetius ejuſque ſectatores Anomæi: *Nihil aliud à nobis flagitare Deum, quàm ut cognoſcamus ipſum quemadmodum Chriſtus declaravit his verbis: Da ipſis Pater habere in ſe ipſis vitam. Hæc eſt autem vita, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*

XIII. Perditiſſimam hanc & totius moralis diſciplinæ everſivam doctrinam etiam facto Eunomium (vel Aetium) comprobaſſe,

ſe, ex teſtimonio eorum qui audierant, refert Epiphanius: *Cùm quidam ob ſtuprum feminæ illatum accuſarentur, & ab aliis damnarentur, nihil illum commotum; ſed factum illud riſu ac ludibrio proſequentem dixiſſe, nullius hoc eſſe momenti: corporis enim hanc eſſe neceſſitatem, ac functionem, quemadmodum aurem nonnumquam ſcalpimus... Sed ut, inquiebat, pinnulá vel feſtucá aurem ſcalpimus, atque hoc modo pruritus deſinit: ſic & id naturaliter nobis evenit; neque quiſquam eá re faciendá peccat*. Sic per Aetium & Eunomium Diabolus agebat, ut captatas ſenſus illecebris hominum animas in exitium traheret. Nec attendere volebant ad ea quæ cuidam interroganti: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Reſpondit Chriſtus Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*. Quæ autem ſint hæc mandata expoſuit Marci 10. v.19., & Lucæ 18.v.18. Fides in Deum & Jeſum eſt velut fundamentum, ſuper quod ad vitam æternam conſequendam ſuperædificare bona opera quiſque debet. Ideòque monet Paulus 1. Cor.3. v.10. *Unuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet*.

XIV. Hunc in Aetio & Eunomio verum fuiſſe errorem, inficiari non audet Danæus: imò dicit honeſtam vitam, & veram fidem eſſe res inſeparabiles, & velle unam ab alia divellere, ut Eunomiani volebant, fuiſſe antiquum Severianorum hæreticorum dogma. Hanc tamen veritatem ſuo errore involvere fatagit dicens „ Quamquam enim opera bona, quæ Dei ſpiritu impulſi fa- „ cimus, non ſunt ſalutis noſtræ cauſa, ſunt tamen fidei noſtræ „ effectus, quæ ſinè illis vera eſſe non poteſt, vel viva. Jacobi 2. „ Itaque à ſe ſe ſeparari non poſſunt „. Quibus errorem ſuum ac cæterorum noſtri ævi ſui ſimilium Danæus inſinuat, qui opera quidem bona cum fide ad ſalutem eſſe neceſſaria admittere non recuſant, ſed ea ad ſalutem quidquam per modum cauſæ meritoriæ operari pertinaciter negant. Sed cùm de hoc contra ipſos egerim in Vera Eccleſia Tom.2. p.1. art.9., & rursùs Tomo 3. in 1. 2. Tract. de Merito Qu.1. Dub.2., ubi oſtendi, opera bona facta per gratiam eſſe meritoria de condigno vitæ æternæ: ideò illuc Studioſum remitto.

XV. Alius error, & quidem eorum Sectæ fundamentalis, Aetio & Eunomio tribuitur: quòd nempè omnia Attributa, quæ de Deo prædicantur, velut bonitatem, ſapientiam, potentiam, eò magis quæ in Perſonis relativa & propria cuique ſunt, velut eſſe innaſcibilem & ingenitum in Patre, nullo prorsùs modo, ne cogitatione quidem, ab eſſentia diſtingui putarent; imò eandem omninò eſſe potentiæ, ſapientiæ, Perſonæ, ac eſſentiæ notionem. Ex quo inferebant, cùm Filius in proprietate Perſonali diſſimilis

ſit Patri, quia Pater ingenitus & innaſcibilis ſit, Filius verò genitus & naſcibilis, Pater & Filius eſſent etiam diſſimiles in eſſentia. Ita Gregorius Nyſſenus Orat. 12. adv. Eunomium ejus verba referens: *Non aliud quid*, inquit, *eſt vita, quàm eſſentia, ne aliqua compoſitio in ſimplici natura intelligatur, in id quod participat, & quod participatur notione diviſa: Sed idem*, inquit, *quod eſt vita eſt etiam eſſentia. Sed quomodo orationem ad ſcopum concluſit? Si quod principio caret ſignificantes, vitam ſignificamus, hanc autem vitam eſſentiam dicere, veritatis ſermo compellit, ipſius Divinæ eſſentiæ*, inquit, *ſignificativum eſſe ingenitum*. Idipſum Eunomii præceptor Aetius apud S. Epiphanium Hæreſi 76. in Capitulis ſuis aſſerit; Capit. enim 12. *Si ingeniti vox*, inquit, *Dei eſſentiam minimè ſignificat, ſed incomparabile iſtud nomen humanæ cogitationis eſt, Deus ob iſtud ingeniti commentum, iis qui repererint, gratiæ debitor eſt, cum tanto nomini reſpondentem excellentiam in eſſentia ſua non habeat*. Idem repetit Capit. 13.

XVI. De diſtinctione proprietatum Perſonalium, & modo diſtinctionis ab eſſentia Divina, egi Tom. 4. in 1. p. Tract. de Trinit. Qu. 3. Dub. 2. ubi oſtendi, Attributa, ſeu proprietates relativas in Deo non diſtingui ab ejus eſſentia diſtinctione reali, nec pura humanæ mentis cogitatione, ſed diſtinctione virtuali, quam S. Thomas q. 8. de Potentia art. 2. ad 2. ita explicat, nimirùm *Quòd alia eſt ratio ſubſtantiæ & relationis, & utrique reſpondet aliquid in re, quæ Deus eſt. Non tamen aliqua res diverſa, ſed una & eadem. Et hoc præcipuè convenit, quòd duabus rationibus reſpondet una res, quando natura perfectè comprehendit ipſam rem: & ſic eſt in propoſito.* Videri poteſt S. Doctor citato art. 2. ubi rem hanc mirè pertractat.

Eâdem ergò ratione, quâ Pater Divinus ponitur increatus, ponitur ingenitus (dicit Epiphanius) quia ſicut ſi creatus ponatur quærendus erit alter à quo creatus ſit: ita ſi non ponatur ingenitus, ſed genitus, quærendus erit alter à quo ſit genitus, & de iſto eadem quæſtio erit: & ſic in infinitum. Sicut ergo licèt increatus alia creare poteſt: ita licèt ingenitus filium de ſua ſubſtantia generare poteſt. Sed hæc ſatis.

XVII. Eunomii ſecta, quæ, ut dixi, circa annum 360. ab inferis emerſit, magno fidelium damno ad annum uſque 14. Theodoſii ſenioris perduravit. Eam tamen religioſiſſimus Imperator anno 381. Eunomio adhuc vivente legibus latis coercuit; decernens ut neque Eccleſias in Civitatibus habere ſinerentur, neque cœtus ullos agere, neque creare Sacerdotes, imò & ut Codices tamquam blaſphemiæ pleni ſub ipſis Auctorum oculis comburerentur. Adversùs illam S. Baſilius quinque Libros conſcripſit:

Sanctus

Sanctus verò Gregorius Nyſſenus Baſilii frater contra eandem Orationes duodecim edidit, veritatis & fratris patrocinium ſuſcipiens. Secta Anomæorum, ideſt Diſſimilium dicta fuit, quia licèt ut vidimus alios profiteretur errores, ejus palmaris error, à quo Secta nomen accepit, erat, quòd Filium naturâ Patri diſſimilem & Spiritum Sanctum Filio, & utrumque meram creaturam aſſereret. Hanc à multis ſeculis ſepultam, ipſo Danæo teſte, moderni Hæretici Servetiani, Sylvaniſtæ, & Neariani Pſeudo-Reformatorum proles excitarunt.

CAPUT LI.

De Apollinariſtis.

§. I.

Apollinaris perſona, & occaſio hæreſis.

I. Apollinaristæ nomen & errorem ab Apollinari ſumſere. Diverſi tamen Apollinaris nomine fuerunt. Unus hâc hæreſi antiquior, Jerapoli in Phrygia Epiſcopus, vir pius & doctus, qui Libros ſcripſit de Veritate contra Paganos, & contra Montaniſtarum ſeu Cataphrygum hæreſim tunc naſcentem: De quo Euſebius Lib.4. Hiſt. cap.27. & Lib.5. cap.16. Alter hâc hæreſi poſterior, qui Juſtiniano imperante Alexandrinam rexit Eccleſiam, & Concilio Conſtantinop. Œcumenico V. interfuit teſte Evagrio Lib. 4. Hiſt. cap. 38. & Lib.15. cap.16. Tertius huic hæreſi coævus Laodicenus fuit Baſilii Magni & Gregorii Nazianzeni ætate, quem Philoſtorgius Lib.8. Hiſt. iſtis ſynchronum facit, doctrinâ celebrem, imò & Epiſcopum, ac Danæus fidei Nicænæ propugnatorem fuiſſe dicit. Quæ valde ſuſpecta ſunt, cùm potiùs erroribus fuiſſe inquinatum Socrates & alii tradant, nec inveriſimile ſit, hunc Apollinarem eundem eſſe, qui hujus hæreſis auctor fuit. Sed his omiſſis.

II. Apollinariſtarum Secta duos Apollinares auctores habuit, Patrem & Filium. Pater Laodicenæ Eccleſiæ Presbyter, Filius ejuſdem Eccleſiæ Lector fuit. Ambo humanioris literaturæ magiſtri: Grammaticæ Pater, Filius Rhetoricæ. Pater Alexandrinus genere primùm Beryti ſcholam aperuit, deinde Laodiceam commigrans, ibi duxit uxorem, ex qua filium ſuſcepit cognominem. Uterque eodem tempore Laodiceæ floruit, quo Epiphanius Sophiſta, cum quo maxima illis interceſſit familiaritas. Tunc

Digitized by Google

Laodicenæ Eccleſiæ præerat Theodotus Epiſcopus, qui metuens, ne hominis ethnici familiaritas ipſis in perniciem, Eccleſiæ verò in ſcandalum verteretur, Epiphanii conſuetudine & colloquio eis interdixit. Nec levis aut imprudens Theodoti metus erat. Nam Epiphanius Hymnum tunc in Bacchi laudem ediderat, ad quem audiendum tum è Chriſtianis plurimi, tum uterque Apollinaris conveniebant. Ut primùm Sophiſta Hymni recitationem aggrediebatur, eos quidem qui Bacchi myſteriis initiati non eſſent, ethnicos foràs mittebat; Chriſtianos tamen, & maximè duos Apollinares, non ægrè ferebat. Id cum reſciviſſet Theodotus, laicis objurgatis veniam conceſſit: utrumque verò Apollinarem, quia Eccleſiaſtico miniſterio addictum, ab Eccleſia ejecit. Sed cùm quodam temporis præterlapſo intervallo peractâ pœnitentiâ, cum lacrymis & jejuniis veniam imploraſſent, denuò in Eccleſiam recepti ſunt.

III. Theodoto vitâ functo, cùm Georgius Arianæ ſectator hæreſis Laodicenæ Eccleſiæ regimen ſuſcepiſſet, accidit, ut Sancto Athanaſio fortè tunc Laodiceam pertranſeunti obvius factus junior Apollinaris, & cum Sancto Antiſtite familiariter congreſſus, ipſius ſibi devinxerit amicitiam. Id indignè ferens Laodicenus Epiſcopus Georgius (tantum erat in Athanaſium Arianorum odium) grande piaculum initam cum Athanaſio communionem ratus, Apollinarem ab Eccleſia confeſtim excluſum declaravit, nec quamvis iteratis precibus ut reſtitueretur ſupplicanti indulgere voluit. Contigit hoc anno Chriſti 349. Quam repulſam contumeliæ loco ducens, ac proinde animo exaſperatus Apollinaris, ut cauſam ſuæ condendæ hæreſis arripuit. Hactenus ex Socrate L.2. cap.46., & Sozomeno Lib.6. cap.25. locutus ſum.

IV. Hic rem obſervatu dignam præcipuè ab Eccleſiæ Rectoribus addit Sozomenus de Georgio & Apollinari dicens: *Sed cùm eum flectere non poſſet, dolore ſuperatus, Eccleſiam turbare & dogmatum novitatem, ſupradictam videlicet hæreſim, inducere aggreſſus eſt: eâ arte, quâ plurimùm valebat, dicendi ſcilicet facultate, inimicum ulciſcens: & quòd hominem in Sacrarum Literarum doctrinâ præſtantiorem ipſe inferior depoſuiſſet redarguens. Ita privatæ inter Clericos inimicitiæ, Eccleſiam ſubinde maximo detrimento affecerunt, & Chriſtianam Religionem varias in Sectas diſciderunt. Cujus rei argumentum hinc ſuppetit. Nam ſi Georgius pœnitentem ſuſcepiſſet Apollinarem, perinde ac Theodotus, hæreſis illa, quæ ab ejus nomine nuncupata eſt, hodie, ut opinor, non extaret. Naturâ enim ita comparati ſunt homines, ut deſpecti quidem inſoleſcant, & contentioni ac rebus novis ſtudeant: ubi verò æquum adepti ſunt, moderatè*

ratè ſe gerant, & in eodem ſtatu permaneant. His Sozomenus zelum & juſtitiam cum prudentia & caritate componere intendit.

V. Idem ulciſcendi ſpiritus Apollinari in ſua evulganda hæreſi adjutorem Vitalem quemdam miniſtravit. Hoc initio citati Capitis idem Sozomenus refert, ubi poſtquam dixit quòd *Apollinaris, hæreſis ab ipſo cognominatæ ducem ſe præbuit: multoſque ab Eccleſiæ corpore abducens, ſeorſum collegit*; ſubjungit: *Quem quidem in ſtabilienda hæreſi adjuvit Vitalis, Presbyter Antiochenus ex Meletii Clero: vir præ cæteris ob vitæ ac diſciplinæ ſeveritatem illuſtris, & in regendis iis, quibus præerat, ſedulus, eáque de cauſa plebi venerabilis. Verùm paulò poſt cùm ſe à communione Meletii abſtraxiſſet, Apollinari adhæſit: iiſque qui Antiochiæ eamdem opinionem ſectabantur præfuit, ob vitæ ſuæ ſanctimoniam haud paucos auditores habens, qui ab ipſo cognomentum ſortiti Vitaliani etiamnum ab Antiochenſibus appellantur. Hunc autem prolapſus eſſe dicitur ex offenſione animi, eò quòd deſpectus fuiſſet à Flaviano tunc compresbytero, poſtea verò Antiochenſis Eccleſiæ Epiſcopo, à quo prohibitus fuerat, ne Epiſcopum more ſolito videret. Contemni enim ſe arbitratus, humani quidpiam paſſus eſt, & ad Apollinarem tranſgreſſus, ſocietatem & amicitiam cum eo junxit*. Ita ex animorum amaritudine, & ulciſcendi ſpiritu hæreſis hujus exordia prodiere.

VI. Deinde ejuſdem progreſſus recenſens, *Ab hinc* (inquit Sozomenus) *in aliis quoquè Civitatibus ſeparatim conventus agere cœperunt ſub Epiſcopis ſuæ Sectæ, & ritibus uſi ſunt ab Eccleſia Catholica alienis: Præter Sacros Hymnos, qui in Eccleſia cani ſolent, cantica quædam numeris adſtricta pſallentes, quæ ab Apollinare erant excogitata. Namque hic præter reliquam eruditionem, poetices quoque, & omnis generis carminum gnarus, multis ejuſmodi oblectamento captis, ut ipſi adhæreſcerent perſuaſit. Denique viri in conviviis, & dum opus facerent; mulieres verò inter texendum, cantica ejus pſallebant. Etenim pro labore atque otio, pro diebus feſtis ac reliquis omnibus, brevia quædam compoſuerat carmina, cuncta ad laudem Divini nominis ſpectantia*. Hac arte rudibus ac ſimplicibus ſuos errores Apollinaris blandè inſinuabat.

§. II.

Apollinaris hæreſis damnatio.

I. Latere tamen diù fraus non potuit. De ea enim certior factus (inquit Sozomenus) *Primus Damaſus Epiſcopus Urbis Romæ, & unà cum illo Petrus Alexandrinus Antiſtes, cùm hanc hæreſim latiùs ſerpere intellexiſſent, Concilio Romæ congregato, eam ab*

ab Eccleſia Catholica alienam eſſe decreverunt. De anno, quo Synodus hæc vocata à Damaſo fuit, controvertitur. Valeſius in Notis ad dictum Caput Sozomeni putat, eam fuiſſe convocatam anno Chriſti 377. vel 378. cui adhæret Tilmontius. Baronius tamen anno 373. eam conſignat; nam, ut dicit Sozomenus, Petrus Alexandrinus eidem interfuit. Hic autem Romam venerat anno 372.

II. Quidquid tamen ſit de anno, quo à Damaſo in præfata Synodo Apollinaris damnatus ſit: ex hoc facto, ut notat Natalis Alexandre in Hiſt. Seculi 4. art. 14. §. 1., colligere licet, ſolemnem tunc fuiſſe Eccleſiæ morem cauſas graviores, & præſertim fidei, ad Romanam Sedem ab ipſis etiam Orientalibus Epiſcopis judicandas deferri: conſtat ex ejuſdem Damaſi ad Orientales Epiſtola Synodica, quam refert Theodoritus Lib. 5. Hiſt. cap. 10. in cujus exordio: *Quòd*, inquit, *debitam Apoſtolicæ Sedi reverentiam exhibet caritas veſtra, in eo vobis ipſis plurimum præſtatis, filii cariſſimi. Etſi enim in Sancta Eccleſia, in qua Sanctus Apoſtolus ſedens docuit, decet nos præcipuè quodammodo clavum tenere, quem regendum ſuſcepimus, tamen hoc honore inferiores nos eſſe profitemur... Scitote igitur, quòd profanum olim Timotheum Apollinaris hæretici diſcipulum unà cum impio ejus dogmate damnavimus, nec reliquias ejus deinceps ullâ ratione valituras confidimus. Quòd ſi antiquus ille Serpens ſemel atque iterum percuſſus, adhuc in ſuum ſupplicium reviviſcit, qui extraneus eſt ab Eccleſia, & qui lethalibus ſuis venenis quoſdam infidelium conatur inficere, hunc vos tamquam peſtem quamdam declinate. Et memores Apoſtolicæ fidei, ejus potiſſimùm, quæ Nicææ à Patribus conſcripta & publicata eſt, firmo gradu ſtabiles in ea atque immobiles permanete: nec patiamini poſthac, ut Clerici & Laici veſtri has ſermonum vanitates & quæſtiones abolitas auſcultent. Jam enim ſemel formam dedimus, ut qui ſe Chriſtianum eſſe profitetur, id quod ab Apoſtolis traditum eſt, cuſtodiat. Cùm dicat Beatus Paulus: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit*. Et infra: *Quid igitur depoſitionem Timothei à me denuò poſtulatis: Qui & hìc judicio Sedis Apoſtolicæ, præſente etiam Petro Alexandrinorum urbis Epiſcopo depoſitus eſt unà cum magiſtro ſuo Apollinare, & in die judicii debita ſupplicia patietur?* His patet, Apollinaris fuiſſe diſcipulum quemdam Timotheum, qui tunc jam defunctus erat.

III. Sub idem tempus degebat Antiochiæ Vitalis (de quo ſupra §. 1.) alter Apollinaris diſcipulus, qui præceptoris ſui errores ibi diſſeminabat. Eâ de cauſâ in crimen vocatus, ad cauſam ſuam dicendam coram Damaſo Romam venit: atque editâ Fidei formulâ

mulâ, ſe injuſtè accuſatum de hæreſi conqueſtus eſt. Cùm igitur edito ad nutum Pontificis libello ſubſcripſiſſet, ab eo in communionem ſuſceptus, & exinde ab aliis Epiſcopis Orthodoxis admiſſus eſt: & præcipuè à Gregorio Nazianzeno, qui cùm ejus fraudem poſtea detexiſſet, de communione & familiaritate cum Vitali initâ ſe excuſat Orat. 52. ſive Epiſtola 2. ad Cledonium his verbis: *Ne autem nos hoc nomine accuſent, quòd Vitalii viri nobis cariſſimi fidem, quam ita poſtulante Beato Damaſo Romæ Epiſcopo literis conſignatam reddidit, priùs quidem probaverimus, nunc verò repudiemus, de hac quoque re pauca differemus. Iſti enim apud fidos ſuos diſcipulos & arcanorum conſcios, quemadmodum Manichæi apud eos quos Electos vocant, de Divinis diſputant, totum morbum ipſis detegentes, vix etiam carnem Salvatori tribuunt: cùm autem communibus de humanitate ſententiis, quas Scriptura exhibet, convinci ac premi ſe vident, pias quidem dictiones confitentur; verùm circa mentem dolum ſtruunt, non quidem animæ, nec rationis ac mentis expertem, nec imperfectum hominem confitentes; cæterùm animæ & rationis ac mentis loco Divinitatem inducentes, perinde atque ipſa ſola cum carne temperata & copulata fuerit, ac non etiam humanæ noſtræ res & proprietates.* Et poſt multa: *Quoniam igitur eædem voces, ſi rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ ſunt, ſi perperam exponantur, impietate non carent, quid mirum ſi Vitalii quoquè verba, nos quidem ita ſuadente voluntate, in pium ſenſum accepimus, alii autem ad eorum quæ ſcripta ſunt mentem exaſperantur & inflammantur?*

IV. Quod & Damaſum compertâ Vitalis fraude feciſſe eum anathemate expungendo, ait: *Quod etiam in cauſa fuiſſe reor, cur ipſe quoque Damaſus, cùm poſtea rectiùs edoctus fuiſſet, ſimulque in priſtinis eos expoſitionibus perſtare audiiſſet, eos ab Eccleſiæ cœtu abdicarit, fideique libellum cum anathematiſmo deleverit: tum etiam quòd fraudem eam, in quam per ſimplicitatem inciderat, permoleſtè ferret.* Ex quibus colligitur, Damaſum Romanum Pontificem nec Apollinari, nec ejus errori faviſſe, quamdiu agnovit eorum perfidiam; & ſolùm admiſiſſe Vitalem Orthodoxiæ larvâ, & formulæ Catholicæ ſubſcriptione errores ſuos tegentem. Idem accidiſſe Zephyrino, vel Eleutherio Pontif. cum Montaniſtis abſque præjudicio indefectibilitatis Sedis Apoſtolicæ, oſtendi ſupra c. 23. §.2. num.15. & ſeq.

V. Cæterùm Damaſus detectâ Vitalis, Timothei, & Apollinariſtarum vafritie, & agnito, quod re verâ animo ſentirent, eos damnaſſe conſtat ex Theodorito Lib. 5. Hiſt. cap. 9. ubi ait: *Quin etiam laudatiſſimus Damaſus cùm hanc hæreſim exortam eſſe] didiciſſet,*

Digitized by Google

ſet, non Apollinarem modò, verùm etiam Timotheum ejus diſcipulum depoſuit, & ab Eccleſiæ communione alienos pronuntiavit. Idque Orientalibus Epiſcopis per literas ſignificavit. Has literas ſupra expoſui ex eodem Theodorito cap.10., qui cap.11. referens aliam Epiſtolam Synodicam Damaſi, quâ diverſas hæreſes proſcribit, contra Apollinariſtas ita pronuntiat: *Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationabili dicunt Dei Verbum in humana carne verſatum; cùm ipſe Filius & Verbum Dei, non pro anima rationabili & intelligibili in ſuo corpore fuerit, ſed noſtram, ideſt, rationabilem & intelligibilem ſine peccato animam, ſuſceperit atque ſalvaverit.*

VI. Damaſi exemplo, Apollinaris hæreſim damnavit Synodus Antiochena, quæ poſt novem ab obitu Baſilii menſes anno 378. habita eſt, cujus meminit Concilium Conſtantinopolitanum I. Œcumenicum II. in Epiſtola Synodica anno 383. in qua hæc etiam dicit: *Incarnationis quoquè Doctrinam incorruptam ſervamus: neque animæ neque mentis expertem, aut imperfectam carnis diſpenſationem ſuſcipientes; ſed totum ſcientes perfectum, ante ſecula Dei Verbum perfectum, in noviſſimis diebus ſalutis noſtræ gratiá hominem factum.*

VII. Adversùs hanc hæreſim pro Catholica veritate pugnarunt Patres. S. Athanaſius in Epiſt. ad Epictetum Corinthi Epiſcopum, in Libro de Incarnat. Chriſti, & in altero de Salvatoris Chriſti adventu contra Apollinarium, & in Sermone contra omnes Hæreſes. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 46. 51. & 52. S. Gregorius Nyſſenus Lib. contra Apollinarem ad Theophylum Epiſcopum Alexandrinum. S. Epiphanius Hæreſ. 77. S. Ambroſius Lib. de Dominicæ Incarnationis Myſterio. S. Auguſtinus locis infra referendis. S. Fulgentius Lib. ad Traſimundum à cap.8. ad 19. Theodoritus Lib.4. Hæret. Fab. cap.10. Lib.5. Divin.Decr. Epitome cap.13. & Dialogo 3. qui inſcribitur *Impatibilis*, præter alios.

VIII. Hæreſim ſuam Apollinaris, vel non ſtatim concepit, vel conceptam diù diſſimulavit, neque enim ſub Conſtantio, neque ſub Juliano Apoſtata, neque ſub prioribus annis Valentiniani & Valentis ut hæreticus innotuit. Imò pro fide Chriſtiana zelo emicuit. Cùm enim, ut refert Sozomenus Lib. 5. Hiſt. cap. 18. Apoſtata Julianus Edicto ſuo vetuiſſet, ne Chriſtianorum filii Poetas atque Oratores Græcos ediſcerent, Apollinaris, qui in eis plenè eruditus erat ac ingenio pollens, in gratiam Chriſtianæ juventutis, loco Homeri totam Hebræorum Hiſtoriam uſque ad regnum Saulis heroico carmine deſcripſit, ſuiſque numeris diſtinxit. Comœdias quoquè inſtar Fabularum Menandri; Euripidis quoque

quoquè Tragœdias & Pindari Lyram imitatus compoſuit: & hoc ut ſumtis ex Sacra Scriptura argumentis brevi tempore liberalium diſciplinarum notitiam Chriſtiani adoleſcentes adepti, Imperiale Edictum eluderent. Quamvis autem, ut notat Danæus, Sacroſanctum Dei Verbum poeticis fabulis involvere indecens ſit: ſi tamen ſpectentur circumſtantiæ & finis, ob quem Apollinaris hoc excogitavit, reprehendendum non eſſe ob id præcisè cenſerem.

IX. Idem alios quoquè edidit Libros, & unum præcipuè adversùs Julianum, ſeu adversùs Philoſophorum Gentilium vanitatem & errores; quem cùm Julianus ipſe legiſſet, irridens ad Epiſcopos ſcripſit: *Legi, intellexi, damnavi*: cui illi reſponderunt: *Legiſti quidem, ſed non intellexiſti. Nam ſi intellexiſſes, non condemnaſſes.* Hæc ex Sozomeno ſupra citato. Interim tamen ſummâ vafritie errorem, quo Chriſtianam Religionem contaminare meditabatur, tegebat, adeò ut Sancti Patres decepti, cum ipſo non ſolùm communionem, ſed amicitiam foverint. Hinc S. Baſilius de communione cum Apollinari in crimen ab æmulis adductus eſt, ut ipſe teſtatur Epiſt. 345. modò 224. ad Genethlium datâ. Eum S. Hieronymus Laodiceæ habuit præceptorem, ut ipſe fatetur in Epiſt. 65. modò 41. ad Pammachium: & S. Epiphanius Hæreſ. 77. num. 2. aſſerit, ſibi ac S. Athanaſio Apollinarem tanto in pretio olim fuiſſe, ut dicat: *Principio quidem cùm id nobis nonnulli ex ejus diſcipulis narrarent, fidem non habebamus, neque veriſimile putabamus à tanto viro errorem ejuſmodi profectum.*

X. Innotuit tandem palàm quod latenter inſinuaverat virus circa annum 372. Quare delatus ab ipſo S. Baſilio ad Damaſum Apollinaris auctor, ab ipſo, ut dixi, & ſucceſſivè ab aliis damnatus fuit, non tamen extinctus error. Quin & latiſſimè propagatus, primùm Ciliciam, deinde totam Aſiam, & maximè Antiochiam tabefecit. Et ut ait Sozomenus Lib. 6. Hiſt. cap. 27. *Parum certè abfuit, quin Orientis omnes Provinciæ à Cilicia uſque ad Phœnicem Apollinaris hæreſim amplecterentur.* Hoc valdè adjuvit, tum opinio, quæ de externa ſanctimonia & auſteritate vitæ illius hæreſis auctorum divulgabatur, ut ſcribit Epiphanius Hæreſ. 77. Tum quia aſſuefacta jam & imbuta multâ rerum curioſitate, propter jam enatas diverſas hæreſes, Syrorum Chriſtianorum ingenia facilem aditum etiam huic præbuerunt.

XI. De tempore, quo Eccleſiam turbavit; S. Auguſtinus Enarrat. 2. in Pſalm. 29. dubitat, an ſuo tempore Apollinariſtarum reliquiæ adhuc ſuperſint. Ex Theodorito tamen Lib. 5. Hiſt. cap. 38. colligitur, quod Cœleſtino Pontifice Antiochiæ pravum

iſtud ſemen adhuc vigebat, quod licèt Theodorus Epiſcopus purgare & Catholico aggregare ſtuduerit, in multis tamen contaminatum permanſit. Apollinariſtas ſub nomine *Dimæritarum* proponit Epiphanius, ideſt Dividentium, quia Chriſtum, ut dicam, dividebant, dicentes in eo Verbum aſſumſiſſe corpus, ſed non animam præſertim rationis compotem. Porrò cùm, ut ſupra dixi, hæreſis hæc à duobus Apollinaribus patre & filio nomen acceperit, dubitari poteſt, an ambobus ſumſerit etiam errorem. Crederem unum ſolum Apollinarem hæreſis auctorem ei nomen dediſſe, & quidem filium; Sive, quia cùm de ea ſermo eſt, unius tantùm Apollinaris ut auctoris ſit mentio, ingenio ac eruditione à Patribus celebrati, quæ Apollinari filio Rhetorices profeſſori magis quàm patri Grammatico convenire videntur. Quare cùm filius hæreſim pandere cœpit, vel patrem præmortuum, vel in ea condenda nullam partem habuiſſe crediderim. Apollinarem hunc Epiſcopum fuiſſe, dicit Philoſtorgius Lib. 8. Hiſt. At dicit Photius ſe neſcire, unde hauſerit. Aliqui tamen Philoſtorgio conſentiunt.

XII. Præterire hìc nolo ſalutarem zelum, quo Lirinenſis in ſuo Commonitorio num. 11. exemplo hujus Apollinaris monet omnes, ne de ſuo ingenio & ſcientia nimis præſumant, ſed Traditioni & Eccleſiæ judicio ſe ſe ſubmittant. Sic ergo ait: *Apollinaris exemplo iſtius, Eccleſiaſticæ tentationis periculum diſcimus, & ſimul ad obſervandæ diligentiùs fidei cuſtodiam commonemur. Etenim iſte auditoribus ſuis magnos æſtus & magnas generavit anguſtias; quippe cùm eos huc Eccleſiæ traheret auctoritas, huc magiſtri retraheret conſuetudo, cùmque inter utraque nutabundi & fluctuantes, quid potiùs ſibi ſeligendum foret non expedirent. Sed forſitan ejuſmodi ille vir erat qui dignus eſſet facilè contemni? Immo verò tantus ac talis, cui nimiùm citò in plurimis crederetur. Nam quid illo præſtantius, acumine, exercitatione, doctrinâ? Quàm multas ille hæreſes multis voluminibus oppreſſerit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio eſt Opus illud triginta non minùs librorum nobiliſſimum ac maximum, quo inſanas Porphyrii calumnias magnâ probationum mole confudit. Longum eſt univerſa ipſius opera commemorare; quibus profectò ſummis ædificatoribus Eccleſiæ par eſſe potuiſſet, niſi profanâ illâ hæreticæ curioſitatis libidine novum neſcio quid adinveniſſet, quo & cunctos labores ſuos velut cujuſdam lepræ admixtione fœdaret, & committeret, ut doctrina ejus non tam ædificatio, quàm tentatio potiùs Eccleſiaſtica diceretur.* Hæc eadem hæreticæ curioſitatis libido in perniciem traxit prætenſos Eccleſiæ Reformatores, & qui eos ſequuntur adhuc trahit: ut qui reædificatores ſe jactabant & jactant, facti ſint Eccleſiæ tentatores ac deſtructores.

§. III.

§. III.

Apollinaris error de Chriſti humanitate.

I. Primus & palmaris Apollinaris error fuit, quòd naturam hominis in Chriſto ſemiplenam putavit, hoc eſt, animâ carentem, cujus vices ſupplebat in corpore Verbum caro factum. Hunc errorem ab Ario accepit, contra quem egi ſupra Cap. 45. ſ. 5. à num. 15., & Tom. 1. in 3. p. Quæſt. 5. de Natura aſſumta Dub. 5. ſ. 1. Proceſſu autem temporis fortè videns, hoc poſito deſtrui Incarnationem, errorem emollire ſtuduit, ac dicere, non totam penitùs animam Chriſto defuiſſe: extitiſſe enim in illo illam partem animæ, quâ vivimus, ſentimus, & communia cæteris animantibus officia præſtamus: ſed partem illam animæ ei defuiſſe tantùm, quâ rationales ſumus, ideſt Mentem, ac Verbum ipſum pro mente in Chriſto fuiſſe. Ita expreſſè S. Auguſtinus in Lib. de Hæreſ. cap. 55. *Apollinariſtas*, inquit, *Apollinaris inſtituit, qui de Anima Chriſti à Catholica diſſenſerunt, dicentes, ſicut Ariani, Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe. In qua quæſtione teſtimoniis Evangelicis victi, mentem quâ rationalis eſt anima hominis, defuiſſe animæ Chriſti, ſed pro hac ipſum Verbum in eo fuiſſe dixerunt.* Idem fatetur S. Athanaſius Lib. de Incarnat. contra Apollinarium his verbis: *Deinde, inquiunt, vice interioris, qui in nobis eſt, hominis, mentem cæleſtem ineſſe Chriſto. Nam figurâ illa quâ induebatur, inſtar organi uſus eſt: neque enim poſſibile erat, perfectum hominem illum fieri. Ubi enim perfectus homo, ibi & peccatum... Alioqui in Chriſto erit ea, quæ in nobis eſt, pugna peccati: opuſque erit ei illâ apud nos fieri ſolitâ purgatione... Sed aſſumſit, inquiunt, corpus abſque mente, ut ipſe mens in illo eſſet, expers omninò peccati, cum ratione Divinitatis, tum ratione carnis, quæ abſque mente ſit.* Hæc Athanaſius.

II. Concordant cæteri Patres: S. Gregorius Nazianzenus Epiſtola 1. ad Cledonium, ſeu Orat. 51. S. Cyrillus Alexandrinus in Lib. de Recta ad Deum Fide c. 17. S. Auguſtinus etiam Tract. 47. in Joann. ubi ait de Apollinariſtis: *Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, ſubtraxerunt hominis. Sed illi abſtulerunt Chriſto rationem, non tenendo rationem.* Idem Theodoritus Lib. 4. Hæret. Fab. c. 8. & alii. Nihil tamen apertiùs de hoc proferri poteſt, quàm teſtimonium Vitalis Apollinaris diſcipuli (apud Epiphanium Hæreſ. 77. n. 23.) de quo hæc habentur: *Igitur Vitalis humanam à Chriſto animam*

 ſuſce-

ſuſceptam eſſe confeſſus eſt. Sic enim ajebat: Omninò perfectus homo Chriſtus extitit. Deinde poſtquam de anima & carne ſuſcitati ſumus, tum demùm iſtud ab eo quæſivimus: Mentemne Chriſtus Dominus accepit? Sinè ulla cunctatione negavit. Tum nos ex adverſo; quſnam igitur perfectum illum hominem fuiſſe cenſes? Ad hæc ille intimos animi ſui ſenſus nobis aperuit: Et eatenus, inquit, perfectum hominem fuiſſe dicimus, ſi Divinitatem illi loco mentis adſcribamus, & carnem atque animam adjungamus: ſic ut perfectus homo ex carne, anima, Divinitate, quæ ſit mentis inſtar, exiſtat. Ita Vitalis in Colloquio cum S. Epiphanio Antiochiæ habito.

III. Hunc errorem teſte Nemeſio in Libro de Natura Hominis initio hauſerunt Apollinariſtæ ex Platonicæ Philoſophiæ fontibus: *Quidam enim*, inquit, *è quibus eſt Photinus, aliud eſſe animam, & aliud mentem ſtatuentes, ex tribus conſtare volunt hominem, è corpore, animâ, & mente. Hos ſecutus eſt Apollinaris Laodiceæ Epiſcopus. Hoc enim jacto fundamento ſententiæ ſuæ, reliqua dogmati ſuo conſentanea ſuperſtruxit.*

IV. Contra hoc egi dicto Tomo 1. in 3.p.qu.5. de Nat. aſſumta Dub.5. §.2. ubi oſtendi inter alia, quòd hoc poſito Verbum non aſſumſiſſet carnem humanam, ſed beſtialem juxta S.Auguſt. L.83. Quæſt. qu. 80. *Belluam quandam cum figura humani corporis ſuſcepiſſet*: quia per ſolam mentem Anima humana à beſtiali ſecernitur. Rursùs ſi animam humanam non habuit Chriſtus, quid igitur moriturus Patri commendavit? Lucæ 23. v.46. *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum?* Animam ſenſitivam, an Verbum? quid quæſo moriens tradidit, cum Joan.19. v.30. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum?* non Verbum, quod ab eo numquam receſſit: non animam ſenſitivam, quæ in morte non traditur, ſed perit. Præterea ſi animam mente carentem ſuſcepit, ad quid liberandum hominem venit? Homo peccaverat ſecundùm mentem, vel ergo liberavit Verbum, ſi hoc in Chriſto locum mentis habebat, vel nihil in homine liberavit.

V. Quia verò, ut ex Athanaſio dixi, negabant Verbum aſſumſiſſe mentem, ſeu animam rationis compotem, ut eſſet ſinè peccato, ubi enim eſt perfectus & integer homo (ajebant) ibi eſt pugna peccati. Reſpondetur, peccatum & pugnam peccati ineſſe animæ rationis compoti, non neceſſitate naturæ; ſed ei advenisse ex voluntaria tranſgreſſione primi parentis, à quo per originem in animam deſcendit: cùmque ad eam à tali labe liberandam Verbum naturam humanam aſſumſerit, oportuit, ut eam totam & integram ad ſe ſumeret, ut parti infirmæ ac ſauciatæ mederetur. Cum enim natura rationalis, quæ ob peccatum mortis damna-

damnationem incurrerat, ſe ipſam liberare non poſſet (ait Chryſomus Lib. 2. contra Apollinarem) *Venit ipſe Dei Filius, ut eam in natura ſua per novam originem & mirabilem generationem reſtauraret. Non quò eam quæ ab initio facta erat, conſtitutionem divideret; ſed quò ſuperſeminatam abrogationem abrogaret .... Quòd ſi in natura quæ peccaverat impeccabilitas non apparuiſſet, cur peccatum in carne damnatum eſſet, cùm neque caro peccati actum habeat, neque in Divinitatem peccatum cadat? Quare Apoſtolus dicit* (Roman. 5. v. 20.),, Ubi abundavit peccatum ibi ſuperabit & gratia ,, *non locum judicans, ſed naturam ſignificans*,, Ut ſicut, *inquit*, per unum ,, hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per pecca- ,, tum mors; ita per unum hominem Jeſum Chriſtum gratia re- ,, gnet per juſtitiam in vitam æternam ,,. *Ut per quam naturam peccatum proceſſit, per eandem juſtitiæ ſpecimen daretur: & hic humaná naturá à peccato liberatá Diaboli opera ſolverentur, Deoque gloria daretur*. Hactenus Chryſoſtomus.

VI. Addere...u, quòd ponere in Chriſto animam hominis, ſed non rationalem, eſt paſſionem & mortem ejus omni merito apud Deum Patrem ſpoliare: contra dictum Apoſtoli ad Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum* &c. Si enim in eo mens ac voluntas humana non fuit, ſed ſolum Divina; per quid factus fuit obediens, per quid meruit? non per naturam & voluntatem Divinam quâ æqualis eſt, & non ſubjectus Deo: non per animam purè ſenſitivam: hæc enim incapax meriti aut demeriti eſt, quia incapax libertatis. Hinc Damaſus Papa in Epiſt. Synodica contra Apollinarem (apud Theodoritum Lib. 5. Hiſt. cap. 10.) *Chriſtus enim*, inquit, *Filius Dei Dominus noſter, generi humano pleniſſimam ſalutem paſſione ſuá contulit, ut totum hominem peccatorum nexibus implicatum ab omni peccato liberaret. Hunc ſi quis humanitatem aut Deitatem imperfectam habuiſſe dixerit, ſpiritu Diaboli plenus, ſe gehennæ filium oſtendit*.

VII. Suum errorem fundabant Apollinariſtæ in illis verbis Jo. 1. *Verbum caro factum eſt*. Ex quibus inferebant, quòd ſolam carnem vegetantem quidem & ſentientem, ſed non rationem ac totum hominem aſſumſerit Verbum. Sed hanc inſanam intelligentiam deſtruit S. Auguſt. Epiſt. 140. aliàs 120. ad Honoratum cap. 4. Tract. 23. in Joan. & præcipuè Lib. 83. Quæſt. q. 80., ubi oſtendit, ideò Verbum carnem potiùs dici factum, quàm factum hominem, ad commendandam Verbi dignationem, quâ uſque ad carnem viſibilem & infirmam humiliare majeſtatem ſuam voluit. Et inſuper addit: *Si ubicumque caro fuerit nominata & ani-*

& anima tacita, ſic intelligendum eſt, ut anima ibi non eſſe credatur, nec illi habebunt animam, de quibus dictum (Lucæ 3. v.6.) „ Et videbit omnis caro ſalutare Dei„ . *Et illud in Pſalmo* 64.v.3.„ Exaudi preces meas: ad te omnis caro veniet „. *Et illud in Evangelio* (Jo. 17. v.2.) „ Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti ei non pereat, ſed habeat vitam æternam „. *Unde intelligitur ſolere homines per nominationem ſolius carnis ſignificari, ut ſecundùm hanc locutionem etiam illud poſſit intelligi, ut, quod dictum eſt* „ Verbum caro factum eſt „ *nihil ſit dictum, niſi Verbum homo factum eſt. Sicut enim à parte totum, plerumque nominatâ ſolâ animâ, homo intelligitur, ſicut eſt illud* Gen. 46. v.22. „ Tot animæ deſcenderunt in Ægyptum „: *ſic rursùs à parte totum ſolâ carne homo intelligitur, ſicut ſunt iſta quæ poſuimus*. Ita S. Doctor. Imò ſi per carnem ſola caro ſinè anima rationali intelligatur: cur non etiam ſinè anima ſenſitiva? Quod tamen Apollinariſtæ ſaltem omnes non admittunt?

§. IV.

Error de Chriſti Corpore.

I. Secundò errabant, quòd Chriſti carnem & corpus ex conjunctione cum Verbo ei Conſubſtantiale evaſiſſe & increatum aſſerebant. Ita S. Athanaſius Lib. 1. de Incarn. adv. Apollinarem dicens: *Atque interdum increatam cæleſtemque Chriſti carnem, aliquando Deitati ajunt eſſe conſubſtantialem*. Idipſum de illis fatetur Epiphanius Hæreſ. 77. num. 6. & Theodoritus Dialogo 3. qui inſcribitur Impatibilis, de hoc diſputans cum Eraniſte Apollinaris cauſam ſuſcipiente.

II. Hunc errorem primò evertit Athanaſius citato loco ſic: *Undenam vobis prædicatum eſt, carnem increatam eſſe dicendam: ita ut, aut Deitatem Verbi in carnem delapſam & mutatam fuiſſe comminiſcamini; aut œconomiam paſſionis, mortis & reſurrectionis meram phantaſiam exiſtimetis? Sola enim Sancta Trinitas Deitatis eſt increata & æterna, immutabilis & invariabilis. Cùm autem Chriſtus ſecundùm carnem ex hominibus duxerit, ortum ſcilicet ex fratribus noſtris, ut ſcriptum eſt, ac paſſibilis ſit, & primogenitus ex reſurrectione mortuorum, lege idipſum prænuntiante, quomodo quod increatum eſt, paſſibile dicitis? aut quomodo quod paſſibile eſt increatum vocatis? Etenim cùm increatam Verbi ſubſtantiam paſſibilem dicitis, in Divinitatem blaſphematis. Et dum paſſibilem carnem, quæ oſſibus, ſanguini, animæ, & univerſo noſtro corpori adaptata eſt, quæque palpa-*

palpabilis & viſibilis eſt, increatam dicitis, duplici lapſu conciditis: aut enim exhibitionem & tolerantiam paſſionis phantaſiam exiſtimatis juxta Manichæorum impietatem: aut talem eſſe ſtatuitis increatæ Deitatis ſubſtantiam. Ecquid adhuc reprehenditis, eos (Anthropomorphitas)*qui in humana forma ſecundùm carnem Deum comminiſcuntur?*

III. *Sed dicitis, increatum factum eſſe, quòd unitum ſit cum increato. Hinc autem veſtrum errorem ſe ſe falſi arguere oſtenditur.* Et poſt multa: *Naſcitur ergo Chriſtus in Bethlehem Judææ, Joſephque patrem ſuum vocat, qui eamdem quam Maria ex Davide originem ducebat: in pannis repoſitus, à Simeone in Templo geſtatus, & ad circumciſionem carnis ſecundùm legem adductus eſt, augmentumque accepit ætatis atque ſtaturæ. Si itaque increatus illâ unione factus eſt, quomodo non ſtatim perfectus apparuit, ſed pro voluntate Verbi corpus augmentum accipiebat? Increato autem incrementum adſcribere impium eſt. Nam quod increatum eſt, naturâ ſuâ increatum dicitur, nec acceſſionem, vel diminutionem admittit.* His & aliis ad internecionem Apollinariſtas ferit Athanaſius.

IV. Sed & in Epiſtola ad Epictetum Corinth. Epiſcopum: *Heu vos*, inquit, *qui eò animum appuliſtis, ut Corpus diceretis eſſe Verbi conſubſtantiale?.... in Divinis certè Scripturis nihil comparet hujuſmodi: nam ipſæ Deum in humano fuiſſe corpore affirmant: ſed etiam Patres qui Nicææ convenerunt, non corpus, ſed ipſum Filium dixerunt eſſe Patri conſubſtantialem, & hunc quidem ex ſubſtantia Patris, corpus verò ex Maria eſſe ex Scripturis item declararunt. Quamobrem, aut Nicænam repudiate Synodum, & utpotè hæretici hæc aliena inducite: aut ſi vultis Patrum illorum filii eſſe, ne diverſam ab eorum ſcriptis ſententiam confectemini. Hâc quoquè ratione illud quantæ ſit abſurditatis advertite: ſi Verbum corpori, quod ex terra naturam tenet ſuam, eſt conſubſtantiale, & aliunde Verbum itidem juxta Patrum confeſſionem eſt Patri conſubſtantiale; ipſe Pater corpori ex terra facto conſubſtantialis erit. Ecquid ultra Arianos inſectemini, quòd dicant Filium eſſe creaturam, cùm ipſi Patrem rebus creatis eſſe conſubſtantialem affirmetis, & in aliam impietatem tranſeuntes dicatis, in carnem, oſſa, capillos, nervos, & in totum corpus converſum eſſe Verbum, & à propria mutatum eſſe natura?* Et poſt multa: *Quænam item neceſſitas Verbi adventus, ut vel illud quod ſibi conſubſtantiale erat indueret, vel mutatum à propria natura corpus efficeretur? Non enim ſeipſam Deitas aſſumſit, ut quod ſibi conſubſtantiale eſt induat. Sed neque peccavit Verbum, quòd aliorum peccata redemit, ut mutatum in corpus ſe ipſum pro ſe ipſo in ſacrificium offerret, ac ſe ipſum redimeret.* Hucuſque & quidem invictè Athanaſius.

V. Hanc

V. Hanc S. Athanaſii Epiſtolam per extenſum affert S. Epiphanius Hæreſ. 77., qui multis oſtendit, corpus in Chriſto ejuſdem conditionis cum noſtro, eaſdemque conditiones, neceſſitates, egeſtates, affectiones, quas alia corpora, habuiſſe. Idemque demonſtrat Theodoritus in prælaudato Dialogo *Impatibilis*: quæ Studioſus percurrere poterit: ne enim prolixior ſim, ab iis referendis abſtineo.

VI. Errabant tertiò, quòd dicebant, Verbum Divinum carnem ex Maria non ſumſiſſe, ſed è Cœlo attuliſſe. Hic error ex antecedenti conſequens erat. Si enim ponebant corpus in Chriſto conſubſtantiale eſſe Verbo Divino, neceſſe erat, ut aliunde, quàm à Maria matre illud proceſſiſſe aſſererent: ideòque teſte Euthymio in Panoplia p.2. tit.3. Catholicos, qui Chriſti corpus ex Maria ſumtum profitebantur, *hominicolas* per contemtum vocabant, eiſque improperabant, quòd non Trinitatem, ſed quaternitatem ſtatuerent, nempè præter tres Perſonas Divinas, quartam ſubſtantiam extraneam & diverſam. Quod tamen veriùs ut ſtatim dicam exprobrari eis poterat, qui præter tres Divinas Perſonas ponebant Chriſti corpus eis conſubſtantiale. Hunc errorem ex parte à Valentino hauſerunt, contra quem ſupra egi cap. 9. §. 3. & Tomo 1. in 3.p. q.5. Dub.2.

VII. Audiatur interim Athanaſius in præcitata Epiſt. ad Epictetum, eos Catholicis quaternitatem objicientes ita redarguens: *Hæc cùm ita loquuntur, non cogitant, quo pacto ſecum ipſi pugnent. Etenim licèt ex Marià corpus eſſe negarint, ſed ipſi Verbo conſubſtantiale dixerint: nihilominus... eo ipſo juxta eorum mentem quaternitatem illos dicere demonſtrabitur. Quemadmodum enim Filius, juxta Patrum doctrinam, quamvis ſit Patri conſubſtantialis, non eſt ipſe Pater, ſed Filius Patri dicitur conſubſtantialis; ſic corpus Verbo conſubſtantiale non eſt ipſum Verbum, ſed aliud à Verbo diſtinctum, cùmque aliud ſit, Trinitas ex ipſorum ſententia quaternitas erit.*

VIII. Quòd verò corpus, quod in Chriſto unitum Verbo fuit, de Maria Virgine ſumtum fuerit, præter ea quæ dixi contra Valentinum cap.9. ſupra citato, addit S. Athanaſius Epiſt. ſuprà laudatâ, hoc eſſe non poſſe, quòd Chriſti corpus ante Mariam fuerit ab æterno, his verbis: *Sed non ita res ſe habet* „ Nam ſemen Abrahæ apprehendit, *ut ait Apoſtolus* (Hebr. 2. v.16.) unde debuit per omnia fratribus ſimilari „ *& corpus aſſumere nobis ſimile. Propterea igitur adeſt verè Maria, ut ab ea illud aſſumat, & tamquam proprium nobis illud offerat. Illamque Eſaias quidem indicavit dicens* (cap.7. v.14.) „ Ecce Virgo „ *Gabriel verò ad eam mittitur* (Lucæ 1.

(Lucæ 1. v.27.) *nec ſimpliciter ad Virginem*, *ſed* „ ad Virginem deſponſatam Viro „: *Ut ex Sponſi mentione indicaret*, *Mariam verè hominem eſſe*, *Partumque memorat Scriptura*, *& ait* (Lucæ 2. v.7.) „ Pannis eum involvit „. *Ac beata prædicabantur* (Lucæ 11.v.27.) *ubera*, *quibus ipſe lactatus eſt*, *& quaſi partu vulvam adaperiente oblatum eſt ſacrificium*: *hæc autem omnia parientis Virginis erant indicia*. *Et Gabriel quidem cautè ac prudenter annuntiabat illi dicendo*, *non ſimpliciter quod* „ in te naſcetur „ *ne extrinſecùs corpus ipſi inductum putaretur*; *ſed* „ ex te „ *ut quod gignebatur*, *ortum ex illa duxiſſe crederetur*, *liquidò hoc ipſum naturâ demonſtrante*, *nempè impoſſibile eſſe*, *Virginem citra partum hoc habere* &c. His & aliis, & maximè quòd Chriſtus corpore priùs infans, poſtea puer fuit crevit adolevit, demonſtrat corpus illud non eſſe è Cœlo delatum, ſed in terris, ſicut cætera, partu (ſinè tamen viri opera) conceptum, & ex utero natum.

IX. Huic tamen ſuo errori teſte S. Gregorio Nazianzeno Orat. 46. favere putabat Apollinaris Apoſtolum ad Epheſios 4. v.10. dicentem: *Qui deſcendit*, *ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes Cœlos*. Et 1. Cor. 15. v. 47. *Primus homo de terra terrenus*: *ſecundus homo de Cœlo cœleſtis*.

Ad hæc Pauli verba pro ſuo errore tuendo confugiebat etiam Valentinus; ſed inaniter, ut oſtendi Tomo 1. in 3. p. q.5. Dub.2. §.1. n.5. & 6. Ad primum enim Pauli textum dixi, fuiſſe eandem Perſonam Verbi, quæ deſcendit, & quæ aſcendit, ſed non ſecundùm idem: Deſcendit enim ſecundùm Divinitatem non deſerendo Cœlum, ſed aſſumendo corpus; aſcendit autem ſecundùm humanitatem eam in Cœlum aſſumendo. Quare variatur appellatio à perſona quæ deſcendit ad id ſecundùm quod deſcendit. Ad alterum ejuſdem Pauli textum dixi, quòd ideò Chriſtus dicitur homo de Cœlo cœleſtis, non quia de Cœlo corpus attulerit: ſed quia, vel pars prior quæ in illo eſt, nempè Divinitas, cœleſtis eſt: vel quia caro ejus licèt de terra, cœleſti tamen Spiritus Sancti virtute de Virgine concepta eſt. Videantur ibi à me dicta.

Modò addo S. Auguſtinum Serm. 362. (aliàs 121. de Diverſis) cap.14. ita dicentem: *Si quis autem quærit*, *cur hominem ſecundum non* in Cœlo *dixerit*, *ſed* de Cœlo, *cùm & ipſe Dominus de terra corpus acceperit*, *quia utique Maria ex Adam & Eva erat progenita*; *intelligat terrenum hominem ſecundùm terrenam concupiſcentiam dictum*: *& quoniam affectus ille terrenus eſt*, *quo per concubitum maris & feminæ naſcuntur homines*, *trahentes etiam ex parentibus originale peccatum*; *corpus autem Domini nullo tali affectu ex utero virginali creatum eſt*, *quamvis de terra Chriſtus aſſumſerit*

 car-

carnem, quod intelligitur Spiritus Sanctus ſignificare, dicens (Pſal. 84. v. 12.) „ Veritas de terra orta eſt „ ; *non tamen terrenus, ſed cæleſtis homo & de cælo dicitur*. Hæc & alia S. Doctor.

X. Errabant quartò, quòd Divinam ipſam Verbi ſubſtantiam in carnem fuiſſe converſam effutiebant. In quo Eutychiano errori, de quo infra, præluſerunt. Hunc tamen & duos præcedentes errores ejus diſcipulis potiùs, quàm ipſi Apollinari aliqui tribuunt: & demonſtrant ex ejuſdem Epiſtola ad Serapionem (quæ extat apud Caniſium Tom. 5. Antiqu. Lect.) in qua S. Athanaſii Epiſtola ad Epictetum hos refellentem errores approbat, quos etiam errores damnat, tum ibi, tum Epiſt. 1. ad Dionyſium (apud eundem Caniſium) ubi ait: *Epiſtolam Domini mei* (Athanaſii) *Corinthum miſſam magnoperè approbavimus. Eorum autem qui dicunt carnem Deo conſubſtantialem, magnam inſaniam damnavimus. Quòd autem nemo hæc objicere poteſt, quæ contra quoſdam dicta ſunt, manifeſtum eſt ex iis quæ ſemper ſcripſimus, neque carnem Salvatoris è Cælo eſſe: neque carnem ejuſdem ſubſtantiæ eſſe cum Deo, quatenus eſt caro*. Et infra: *Anathema igitur ſit, qui non dicit carnem ex Maria, & qui dicit eam carnem eſſe naturæ non creatæ &* Homouſion *Deo, imò & qui dicit Divinitatem eſſe paſſibilem, & ex ipſa eſſe paſſiones animæ*.

His Apollinaris tres præfatos errores à ſe abjicere contendit. An verò ex corde & ſincerè, an ſubdolè & fraudulenter, ut Hæretici indolis eſt, non definio. Hunc certè de converſione Divinitatis in carnem ipſius Apollinaris fuiſſe, oſtendit Eulogius apud Photium Cod. 230. ubi ipſius verbis demonſtrat illum ex Divinitate & carne unam conſtituiſſe naturam. Et Leontius in Lib. adversùs fraudes Apollinariſtarum, referens fragmentum quoddam ex Oratione diſputatoria Apollinaris, ejus hæc verba prodit: *Organum, & quod movet inſtrumentum, unam naturaliter perficiunt operationem. Cujus autem eſt una operatio, una ſubſtantia eſt. Una ergo ſubſtantia facta eſt Verbi & inſtrumenti*.

XI. Cujuſcumque tamen, an Apollinaris, an diſcipulorum fœtus ſit, error monſtruoſus eſt: & quidem meo judicio cum ſecundo ſupra refutato pugnans. Nam ſi Divinitas Verbi in carnem converſa eſt; quomodo Chriſti corpus erit Divinitati conſubſtantiale, cùm conſubſtantialitas detur inter duo diſtincta? Hunc errorem S. Athanaſius in Epiſt. ad Epictetum ita perſtringit: *Non enim, ut nonnulli ſuſpicati ſunt, ipſa Verbi ſubſtantia mutata circumciſa eſt, cum ſit invariabilis & immutabilis .... Sed in corpore circumciſo, geſtato, edente, bibente, laborante, cruci affixo & patiente erat impaſſibile & incorporeum Dei Verbum. Illud ipſum corpus*

Digitized by Google

pus in ſepulchro poſitum erat, cùm Verbum abiit, licèt à corpore minimè ſegregaretur, ut prædicaret,, his qui in carcere erant ſpiritibus ,, *ut ait Petrus* (1. Petri 3. v. 19.) *Quod potiſſimum eorum ſtultitiam arguit, qui dicunt, Verbum in oſſa & carnem mutatum fuiſſe: ſi enim hoc eſſet, monumento ſanè opus non fuiſſet*. Et Lib. 2. adv. Apollinarem dicit, quòd ſi confiteantur, Chriſtum quatenùs homo eſt, paſſibilem, quatenùs verò Deus eſt, impaſſibilem, ad has anguſtias redigi eos oporteat, ut vel paſſionis & mortis ac reſurrectionis œconomiam ad meram ſpeciem cum Marcione & aliis reducant; vel Divinitatem paſſibilem ſecundùm Arium, ejuſque ſequaces nominent.

XII. Accedunt alii Patres. Gregorius Nyſſenus in Opuſc. contra Apollinariſtas, S. Ambroſius Lib. de Incarn. cap. 6. S. Leo I. Epiſt. 83. modò 97. ad Monachos Palæſtinos cap. 2. ubi ait: *Eutyches quoquè eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum Hæreticorum volutatus errores, tertium Apollinaris dogma delegit: ut negatâ humanæ carnis & animæ veritate, totum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unius aſſerat eſſe naturæ, tanquam Verbi Deitas ipſa ſe in carnem animamque converterit, & concipi & naſci, nutriri & creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere, & aſcendere in Cœlum, & in Patris dextera, unde ad judicandos vivos & mortuos veniet, conſidere, Divinæ tantùm eſſentiæ fuerit, quæ nihil horum in ſe ſinè carnis recipit veritate ..... Non dubiè in Manichæi & Marcionis tranſit inſaniam, & Mediatorem Dei & hominum Hominem Jeſum Chriſtum, ſimulatoriè omnia credit egiſſe, nec humanum in ipſo corpus, ſed phantaſticam corporis ſpeciem oculis apparuiſſe cernentium*. Ita S. Leo. Sed de hoc contra Eutychen redibit ſermo. De præfatis Apollinariſtarum erroribus fusè agit S. Epiphanius Hæreſ. 77.

§. V.

Errores de Trinitate & Regno millenario:

I. PRæter ſupradictos, Apollinari ſeu Apollinariſtis alii duo affinguntur errores. Unus circa Trinitatem, circa quam varius & ſubdolus fuit. Aliquando Trinitatem perſonarum confundebat, ut videretur cum Sabellio ſentire. Ita Theodoritus Lib. 4. Hæret. Fab. cap. 10. *In nonnullis ſcriptis hypoſtaſeon, ſeu perſonarum proprietates confundebat, & idem faciebat in Trinitate, quod in œconomia* (videlicet Incarnationis, in qua, ut ſupra, Deitatem cum carne confundebat). *Unde etiam inſimulatus eſt, quòd*

eſſet Sabellianus. Aliquando autem tres quidem Perſonas Divinas in unitate ſubſtantiæ confitebatur: ſed quia inter Perſonas diverſitatem excellentiæ ponebat; aſſerebat enim Spiritum Sanctum Magnum, Filium Majorem, Patrem verò Maximum; unitatem ſubſtantiæ deſtruebat, & ad Arium accedebat. Ita Theodoritus citato loco: *Nonnullis quidem ſcriptis, quod de Trinitate pronuntiatum eſt non violavit, ſed quemadmodum & nos, unam quoquè Divinitatis ſubſtantiam & tres hypoſtaſes ſeu Perſonas prædicavit: in nonnullis autem gradus dignitatum definit, ſe Divinæ diſtributionis diviſorem conſtituens. Ejus enim inventum eſt illud Magnum, Majus, Maximum, tanquam Magnus quidem ſit Spiritus, Major autem Filius, Maximus autem Pater. Quid autem hoc magìs ridiculum eſſe poteſt? Si enim unam re verâ eſſe dicit Trinitatis ſubſtantiam, quomodo eandem & parvam & magnam exiſtimavit?* Idem aſſerit Lib. 5. Hiſt. cap. 3.

II. Gregorius item Nazianzenus Orat. 51. ſeu Epiſt. 1. ad Cledonium ait: *Illud ſcire neceſſe eſt, Apollinarium, quamvis Deitatis nomen Spiritui Sancto dederit, vim tamen Deitatis minimè cuſtodiiſſe. Siquidem ex Magno, & Majori, & Maximo, hoc eſt, ex Spiritu Sancto, & Filio, & Patre, tamquam ex ſplendore, radio, & Sole, Trinitatem conſtituere (quod quidem in illius libris apertè ſcriptum eſt) Deitatis ſcala eſt, non in Cælum ſubvehens, ſed è Cælo dejiciens. At nos Deum quidem Patrem & Filium & Spiritum Sanctum agnoſcimus: hæc autem non nuda nomina diſpares dignitate aut potentias ſecantia, ſed unam eamdemque, ut appellationem, ita Divinitatis naturam & eſſentiam ac potentiam.*

Apollinarem malè quoque de Trinitate ſenſiſſe, confirmat S. Baſilius Epiſt. 59. modò 129., cujus in opinando inconſtantiam Epiſt. 74. modò 263. ex intemperanti libidine libros evulgandi proceſſiſſe dicit: *Cùm enim ſcribendi facilitate lingua ei ad omne argumentum prompta ſit, replevit ſcriptis ſuis Orbem terrarum, contemtâ objurgatione illius qui dicit* (Eccleſ. 12. v. 12.) „ Cave facere libros multos „: *ita quoquè profectò in multitudine peccata multa ſunt. Quomodo enim poſſit in multiloquio peccatum vitari? Illius igitur de Theologia diſputationes non petitis è Scriptura probationibus, ſed humanis argumentis nituntur.*

III. Hinc alter illius de Reſurrectione fuit error (inquit ibi Baſilius) *Sunt autem illi, & de Reſurrectione elucubrationes fabulosè ſcriptæ, vel potiùs judaicè: in quibus ait, nos rurſùs ad legalem reverſuros cultum, rurſùsque circumciſum iri, & Sabbata obſervaturos, atque abſtenturos à cibis, & victimas oblaturos Deo, & adoraturos Jeroſolymis in Templo, ac omninò Judæos ex Chriſtianis futuros:*

turos: quibus quidnam magis ridiculum eſſe poſſit, aut ab Evangelico dogmate magis alienum? Hoc Apollinarem errore notant etiam Gregorius Nazianzenus Orat. 52. ſeu Epiſt. 2. ad Cledonium. Epiphanius quoque Hæreſ. 77. Hunc tamen errorem refutavi Tom. 2. in 1. p. Tract. de Viſione Dei Qu.2. Dub.2. de quo aliqua etiam dixi ſupra cap. 6. in Cerintho §. 5. n. 3. quæ videri poſſunt. Quia verò Regnum hoc millenarium Apollinaris cum Cerintho conſtituebat in omni genere voluptatum, & in innovatione Legis Moſaicæ, oſtendit hic Epiphanius, voluptates ac delicias futuri ſeculi non fore carnales & corporeas, ſed ſpirituales, teſtimonio ipſius Chriſti Matth. 22., qui interrogatus de muliere quæ ſeptem viros hic habuit, cujus futura ſit in reſurrectione uxor, reſpondit v. 29. & 30. *Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cælo.* Nec obſtat quòd Lucæ 22. v. 30. dicat Diſcipulis: *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Et Marci 14. v. 35. *Non bibam de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in Regno Dei;* nam verba iſta intelligenda non ſunt de cibo & potu corporeo & viſibili; ſed de ſpirituali & inviſibili, ut explicat Paulus 1. Cor. 2. (ex Iſaia 64. v.4.) *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Nec dicant, hoc quidem futurum, ſed ſolùm elapſo illo millenario curriculo, ut ex Apocalypſi cap.20.: nam quomodo accipiendi ſint illi mille anni, de quibus Joannes ibi loquitur, declaravi jam Tomo 2. in 1. p. citato. ex S. Auguſtino Lib. 20. de Civit. Dei cap.9.

Quod verò dicunt de Judaicis cæremoniis tunc renovandis, ineptiſſimum eſt. Hoc enim eſſet, ait Epiphanius laudatus, poſtquam à Pædagogo, qualis erat Lex teſte Paulo Galat. 3. v. 24. *Lex Pædagogus noſter fuit*, liberati per Chriſtum fuimus, & in libertatem redacti, iterum nos Pædagogo & ſervituti ſubjicere, & de ſtatu perfecto ad imperfectum nos revocare, & fructum redemptionis inanem reddere. Sed de hoc ſatis.

Alium Apollinari errorem tribuunt Nemeſius & Hieronymus in præfat. Lib.18. in Eſaiam, in cap.36. Ezechiel, & Epiſt.82. cum exiſtimaſſe, animas hominum ex traduce procreari, *ut quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur ex anima; & ſimili cum brutis ratione ſubſiſtat.* Puto tamen, eum de anima purè ſenſitiva locutum fuiſſe, non de rationali, quam altioris eſſe originis fatebatur.

CA-

CAPUT LII.

De Antidicomarianis.

§. I.

De hujus hæreſis ortu, ac de Helvidio.

I. HÆresis hæc, non ab Auctore, ſed à dogmate & errore nuncupata eſt. Antidicomariani enim ſeu Antidicomarianitæ dicti ſunt, quia contra Sanctam Virginem Mariam pugnabant, ei perpetuam Virginitatem auferentes. Primum hujus erroris inventorem fuiſſe Apollinarem ſeu Apollinariſtas, cenſent cum Epiphanio Hæreſ. 78. & alii, inter quos P. Le Quien in Notis ad Hæreſ. 77. Damaſceni. Ita ergo Epiphanius loquitur: *Ex Antidicomarianitarum grege nonnulli, quaſi præcipuo quodam in Virginem odio ſuſcepto, ut ejus gloriam obſcurarent, ſive invidiâ, ſive erroris tenebris obcæcati, quo mortalium animos inquinarent, eò temeritatis progreſſi ſunt, ut Sanctiſſimam Mariam poſt Chriſtum in lucem editum cum viro ſuo Joſeph conſuetudinem habuiſſe dicerent. Quam quidem opinionem, ut ſupra dixi, ab ſene illo Apollinari, aut ab ejus diſcipulis manaſſe prædicant; de quo nondum mihi liquidò conſtat. Utcumque ſe ſe res habeat, cùm neceſſariò à nobis illi refutandi ſint, ne eundem laborem denuò repetamus, ſubjiciam illam ipſammet Epiſtolam, quam in Arabiam à me antea ſcriptam memoravi.* Deinde Epiſtolam præfatam refert, de qua aliqua inferiùs adnotabo.

II. Ex præfatis Epiphanii verbis apparet, hos Hæreticos dictos fuiſſe Antidicomarianitas ſeu Antidicomaritas, vel Antidicomarianos, ideſt Mariæ Adverſarios, ejuſque perpetuæ Virginitati contradictores, ac fuiſſe Apollinariſtarum putidum ſemen, qui ſicut carnem Chriſti à Maria acceptam negarunt, ut Cap. præcedenti oſtenſum eſt, ac eam maternitate ſpoliare auſi fuere, ita quoquè perpetuam Virginitatem eripere non erubuerunt. Apparet etiam, hanc hæreſim in Arabiam primùm aſportatam (à quo tamen ignoratur) ibi propagatam fuiſſe. Ortum ejus ad annum Chriſti 388. Theodoſio Magno Imperatore & Siricio Romano Pontifice aliqui conſignant. Indè in Galliam & Italiam trajecit auctore Elvidio ſeu Helvidio, qui Gennadio teſte Auxentii Ariani Mediolanenſis Epiſcopi diſcipulus fuit, & S. Hieronymo coævus, qui contra eum ſcripſit. Sed cùm viri magni nominis

Digitized by Google

ejus patrocinium non ſuſceperint, unico excepto Bonoſo Epiſcopo quodam Sardicenſi, in Synodo Capuana de hoc crimine accuſato anno 389. cujus cauſa ad Anyſium in Illyrico Epiſcopum, ut eam cum Collegis ſuis cognoſceret, demandata fuit teſte S. Ambroſio Epiſt. 79.; idcircò ſtatim repreſſa ſaltem in Occidente citò conticuit.

III. De Helvidii hæreſi agit S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. c. 84. ſub his verbis: *Helvidiani exorti ab Helvidio, ita Virginitati Mariæ contradicunt, ut eam poſt Chriſtum alios etiam filios de viro ſuo Joſeph peperiſſe contendant. Sed mirum, ni iſtos prætermiſſo Helvidii nomine Antidicomaritas Epiphanius appellavit.* Quibus videtur Auguſtinus in opinione fuiſſe, Antidicomaritas & Helvidianos ab eodem, nempè Helvidio, fuiſſe auctore prognatos.

IV. Epiphanius contra hæreſim iſtam prolixam ſcripſit Epiſtolam, cujus ſupra memini. In ea priùs deflet ſuorum temporum calamitatem, in quibus Chriſtianæ Religionis veritas erroribus & blaſphemiis undique impetebatur: *Quidam enim*, inquit, *in Patrem univerſorum Deum contumelias jaciunt, quales ſunt qui Gnoſtici dicuntur. At Marciones & Archontici, necnon illorum aſſeclæ Manichæi, qui non ſinè Divina quadam providentia furioſum illud nomen ſortiti videntur. Igitur omnes iſti cum pleriſque aliis hæreſibus Cainorum, Sethianorum, Melchiſedecianorum, Colorbaſiorum, Cerdonianorum, ac cæteris id genus, eundem illum univerſorum Patrem contumeliis afficiunt, dum ipſum negant Deum illum extitiſſe, qui in Lege & Prophetis locutus eſt; quique jure à creatis rebus omnibus tanquam & opifex adoratur: cujus illi cultum unà cum dominatu ac poteſtate conantur evertere, ut & illum, qui re verâ eſt, ejurent Deum, & alterum qui nuſquam eſt falsâ ac fabulosâ opinione ſuâ confingant, ut & illum qui re verà eſt ejurent Deum, atque & verum illum amittant, & quem falsò ſibi proponunt, nequaquam aſſequantur.*

V. Deinde enarratis aliis, qui blaſphemi fuere in Filium Dei, qui ab eodem Patre re verâ eſt ſinè ullo initio ac tempore genitus, ejuſdem ſubſtantiæ cum illo, quique ab eo & cum eo ſemper exiſtit: Aliis, qui Spiritum Sanctum à communione Deitatis ſeparatum abjudicarunt: aliis, qui Verbi Incarnationem vel ſuſtulerunt, vel turpibus erroribus adulterarunt, concludit: *Sic igitur Mundus iſte vehementiori & inſanabili infidelitatis vulnere confoſſus eſt, ut iniquitas, quæ humanum genus funditus perdit, nihil ad ſummam nequitiam, perfidiam, ignorantiamque prætermittat. Quâ ratione miſeros iſtos, qui priorem illam in Sacroſanctam Trinitatem contumeliam effugerant, otioſa ac nequiſſima ſua cogitatio ad alia*

quæ-

quædam tranſverſos abripuit, ne quis peccatum ſuum diſſimulare poſſit. Etenim neſcio quem audio adversùs Sanctiſſimam perpetuamque Virginem Mariam meditari nonnibil, ac contumelioſá quádam opinione illius honorem inceſſere. His ſuorum temporum calamitates Epiphanius concludit, dum qui ante contumelioſi & impii in Sanctam Trinitatem fuerant, contumelias in Matrem Dei verterunt, perpetuæ Virginitatis honore eam ſpoliantes.

§. II.

Antidicomarianitarum ſeu Helvidii error refutatus.

I. UT probet perpetuam B. Mariæ Virginitatem, aliqua ibi Epiphanius ſupponit, quæ tamen communior & verior ſententia non admittit. Nempè S. Joſephum Mariæ Virginis Sponſum aliam uxorem priùs habuiſſe, & ex ea plures filios ſuſcepiſſe; quâ orbatum, cùm jam octuagenariam ageret ætatem, ac proinde generationi non ampliùs idoneam, Mariam Virginem ei fuiſſe traditam, non ut cum illo copularetur, ſed ut ad futurorum teſtimonium ſervaretur. Verùm hæc omnia ex apocryphis monumentis hauſta eſſe, oſtendi ſupra Tomo 4. p. 1. hujus Operis: ubi Cap. 4. ſ. 6. num. 58. S. Joſephum conjugium cum Maria iniiſſe, dum eſſet ætatis, nec junioris, nec decrepitæ, ſed maturæ & gravis, probabilius exiſtimavi. Non fuiſſe viduum, & ex priori conjuge filios habentem, ſed prorsùs cælibem cùm Mariæ nupſit, eodem Cap. ſ. 7. à num. 67. ſatìs probavi, & ad ea quæ opponuntur reſpondi: quæ hic repetere ſuperfluum eſſet. Dubitat inſuper Epiphanius ibi, an Maria Virgo mortua ſit. At eam verè mortuam eſſe dicto Tomo 4. p. 2. Cap. 40. ſ. 1. demonſtravi. ſ. autem 2. locum mortis. ſ. 3. ætatem & genus mortis. ſ. 4. funus deſcripſi. Ad quæ omnia Studioſum remitto.

II. Quòd verò Maria & Joſeph poſt Chriſti ortum in perpetua etiam à conjugali opere continentia & omnimoda Virginitate vixerint, quod Antidicomariani Helvidiani inficiebantur, licèt dicto Tom. 4. p. 1. cap. 4. ſ. 7. à num. 73. fusè demonſtraverim, & contraria diſſolverim; quod præſtiti etiam Tom. 1. in 3. p. q. 5. Dub. 4. ſ. 2. nihilominùs in mei Lectoris commodum aliqua repetam, & alia adjiciam.

III. Et quidem primò: Ut Helvidius & Antimariani admittebant, Maria Virgo manens concepit Chriſtum: in hoc enim mirabili conceptu nullam partem ſe habuiſſe, Joſeph ipſe fidem facit. Nam cùm antequam conveniret cum ea, eam inveniſſet in utero

utero habentem Matth. 1. v. 18. conſcius, ſe in hoc partem non habuiſſe, & adhuc inſcius de myſterio, cogitavit illam occultè dimittere, donec ab Angelo in ſomnis admonitus, ne timeret, quia quod in ea natum erat de Spiritu Sancto erat, & filius ex ea naſciturus futurus erat Meſſias, in eaque impletum erat Iſaiæ vaticinium cap. 7. v. 14. *Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum Nobiſcum Deus*. Quo audito accepit Joſeph eam in conjugem, nec eam ante partum tangere auſus fuit.

IV. Reſpondeat ergo cum ſuis Antimarianis Helvidius. Quare Joſeph abſtinet à tactu Virginis uſque ad diem partus? Dicet, non alia de cauſa, niſi ob reverentiam ejus quem geſtabat in utero, de quo ſibi talia ac tanta ab Angelo nuntiata fuerant. Repetam ego. Qui igitur ob Angeli vocem quod futurum erat nuntiantis, ante partum abſtinet, non abſtinuiſſe credendus eſt poſt partum, cùm oculis ſuis in Puero nato miracula ejus Divinitatem oſtendentia vidit, nempè Mariam ſinè dolore parientem, ſinè obſtetrice, cùm audivit multitudinem Angelorum canentem *Gloria altiſſimis Deo*: cùm vidit Paſtores cum admiratione accedentes, Magos adorantes? Nemo, niſi impius id cogitabit. Quomodo enim Joſeph vir juſtus violare tentaſſet Portam, per quam ſciebat intactam Dominum fuiſſe egreſſum, & neminem per eam tranſiturum? Debuit ergo impleri etiam Ezechielis oraculum cap. 44. v. 2. *Porta hæc clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael egreſſus eſt per eam*. Quam Portam de Maria ſemper Virgine exponit S. Hieronymus Comment. in dictum locum.

V. Opponebat tamen Helvidius: Primò, Scriptura nullibi dicit, quòd Joſeph Mariam poſt partum nunquam carnaliter cognoverit. Secundò, imò oppoſitum indicat Matthæus cap. 1. v. 18. dicens: *Antequam convenirent inventa eſt in utero habens*; & v. 25. *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum*. Hæc autem indicant, poſtea conveniſſe, & eam cognoviſſe, cùm peperit: & maximè quòd Jeſum filium non appellat *Unigenitum*, ſed *Primogenitum*, quod Verbum ad alios ſecundò genitos refertur: & hoc Evangelia confirmant, in quibus *Fratres Domini* ſæpè memorantur.

VI. Sed hæc inania ſunt. Primum quidem. Nam dato, quòd Scriptura id expreſsè non aſſerat. Hoc tamen ut Catholicum dogma perpetuò profeſſi ſunt Veteres Patres, & univerſa Eccleſia veritatis ac Fidei cuſtos approbavit, quæ vix auditum Helvidium oppoſitum effutientem velut blaſphemum hæreticum declaravit.

Quæ verò ſecundò opponebat ex Matthæo videri poſſunt jam à me ſoluta tum Tom. 1. in 3. p. q. 5. Dub. 4. §. 2. tum Tom. 4. hujus Operis p. 1. cap. 4. §. 7. à num. 75. ubi auctoritate Patrum oſtendi, verborum Matthæi legitimum ſenſum. Addam tamen hic, quòd verba illa: *Antequam convenirent*, & iſta *Non cognoſcebat eam donec peperit*: oſtendunt quidem id quod ante factum non fuerat: ſed quod poſtea factum fuerit, ſaltem determinatè non inferunt. Ita S. Hieronymus in cap. 1. Matth. & in Lib. adv. Helvidium, & S. Jo. Chryſoſtomus Hom. 5. in Matth. *Illud* Donec *hic poſuit* (inquit) *non ut ſuſpiceris, illam poſtea cognoviſſe Joſephum, ſed ut ſcias, Virginem uſque ad partum intactam fuiſſe. Cùm itaque ait* donec peperit: *Hic mos loquendi in Scripturis ſæpè obſervatur; ita ut hæc vox non pro definito quodam tempore ponatur. Nam de Arca loquens* (Gen. 8. 7.) *ait* „ Non reverſus eſt Corvus, donec ſiccaretur terra „ *etſi poſtea reverſus non ſit. De ipſo etiam Deo ſic loquitur* „ A ſeculo & uſque in ſeculum tu es (Pſal. 98. v. 21.); *nullos hic terminos ponens; rursùsque prænuntians* „ Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis donec auferatur Luna (Pſal. 71. v. 7.) *nullum terminum pulchro huic elemento ſtatuit.*

Ita & hoc loco donec *dixit, ut quæ partum antecedebant firmaret, & quæ ſequebantur tibi conſideranda relinqueret. Quod enim ab eo tibi diſcendum erat, hoc dixit, nempè Virginem uſque ad partum intactam manſiſſe: Quod autem ex dictis conſequi & in confeſſo eſſe videbatur, tibi intelligendum reliquit. Nempè virum illam juſtum, eam quæ ſic mater effecta, ac tam novo & inſolito puerperio dignata fuerat, tangere non auſum fuiſſe.* Hactenus Chryſoſtomus.

VII. Nec officit, quòd Mariæ Virginis partus vocetur *Primogenitus*. Nam (inquit Hieronymus in Lib. adv. Helvidium) *Omnis unigenitus & primogenitus: non omnis primogenitus & unigenitus. Primogenitus eſt, non tantùm poſt quem & alii, ſed ante quem nullus:* „ Omne, *inquit Dominus ad Aaron* (Exodi 34. & Numer. 18.) „ quod aperit vulvam, ab omni carne quæ offertur, ab homine „ uſque ad pecus tibi erunt: tantummodò pretiis redimant pri- „ mogenita hominum, & primogenita pecorum immundorum „. *Definivit ſermo Dei, quid ſit primogenitum* „ Omne, *inquit*, quod aperit vulvam „. *Alioqui ſi non eſt primogenitus, niſi is tantum, quem ſequuntur fratres, tamdiù Sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiù & alia fuerint procreata, ne fortè partu poſtea non ſequente unigenitus ſit, & non primogenitus.*

VIII. Minùs obeſt, quòd Evangelia ſæpè nominent *Fratres Chriſti*. Hi enim non erant fratres, quia filii Mariæ, ſed quia cognatione aliquâ juncti. Alioquin ſi fratres illi fuiſſent Mariæ filii,

filii, ut obſervat Hieronymus, cur Chriſtus è Cruce pendens non iſtis potiùs, quàm Joanni Mariam matrem commendavit? Quia verò opponebat Helvidius: *Unde fratres Domini dicti ſunt, qui non erant fratres?* ait Hieronymus: *Jam nunc doceberis, quatuor modis in Scripturis Divinis fratres dici, naturâ, gente, cognatione, affectu. Naturâ, Eſau, Jacob, duodecim Patriarchæ; Andreas & Petrus, Jacob & Joannes.* Gente, *quâ omnes Judæi inter ſe fratres vocantur* (ut Deuter. 15. 12. & cap. 22....) *Porrò Cognatione fratres vocantur qui ſunt de una familia, ideſt* patria, *quas Latini* paternitates *interpretantur, quum ex una radice multa generis turba diffunditur.* In hoc ſenſu Abraham & Loth dicuntur fratres Gen. 13. v. 8. Tandem affectu fratres duobus modis dici poſſunt: vel ſpiritualiter; *& ſic omnes Chriſtiani fratres vocamur*, ut Pſal. 133. v. 1. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*; & Pſal. 21. v. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*; & Joann. 20. v. 17. *Vade, dic fratribus meis*. In communione autem, *quia omnes ex uno patre nati pari inter nos germanitate conjungimur*. Iſaiæ c. 66. (juxta LXX.) *Dicite his qui oderunt vos, fratres noſtri eſtis*. Et Apoſtolus ad Corinthios 1. 5. v. 11. *Si quis frater noſter fornicator, aut avarus, aut Idolis ſerviens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum ejuſmodi nec cibum ſumere*.

Ita Hieronymus. Deinde ad Helvidium converſus, ait: *Interrogo nunc, juxta quem modum fratres Domini in Evangelio intelligas appellari. Juxta naturam? Sed Scriptura non dicit: nec Mariæ eos vocans filios, nec Joſeph. Juxta gentem? Sed abſurdum eſt, ut pauci ex Judæis vocati ſint fratres, quum omnes qui ibi erant hâc lege Judæi, fratres potuerint appellari. Juxta affectum humani juris ac ſpiritus? Verùm ſi ſic: qui magis fratres, quàm Apoſtoli, quos docebat intrinſecùs: quos matres vocabat & fratres? Aut ſi omnes, quia homines, fratres, ſtultum fuit nuntiari quaſi proprium*,, Ecce fratres tui quærentes te,, *quum generaliter omnes homines hoc jure ſint fratres. Reſtat ergo ut juxta ſuperiorem expoſitionem fratres eos intelligas appellatos cognatione; non affectu, non gentis privilegio, non naturâ: Quomodo Loth Abrahæ: quomodo Jacob Laban eſt appellatus frater* (Gen. 14.): *quomodo & filiæ Salphaad accipiunt Clerum inter fratres ſuos: quomodo & Abraham ipſe* (Gen. 28. & 29.) *Saram ſororem ſuam habuit uxorem: etenim ait* (Gen. 20. v. 12.) ,, Verè ſoror mea eſt de patre, ſed non de matre, *ideſt fratris eſt filia, non ſororis*. His & aliis ad internecionem Helvidium confodit S. Hieronymus.

IX. Unde ſubjungit: *Imperitiſſime hominum, iſta non legeras, & toto Scripturarum pelago derelicto, ad injuriam Virginis tuam rabiem*

biem contuliſti in exemplum ejus quem fabulæ ferunt, quum vulgò eſſet ignotus, & nihil boni poſſet facinoris excogitare, quo nobilis fieret, Dianæ incendiſſe Templum: & nullo prodente ſacrilegium, fertur ipſe in medium proceſſiſſe clamitans, ſe ſe incendium ſubjeciſſe: ſciſcitantibus Epheſi principibus, quam ob cauſam hoc facere voluiſſet, reſpondiſſe: ut quia benè non poteram, malè omnibus innoteſcerem. Et hoc quidem Græca narrat hiſtoria (Strabo Lib. 14.) *Tu verò Templum Domini corporis ſuccendiſti, tu contaminaſti Sanctuarium Spiritus Sancti, ex quo vis quadrigam fratrum & ſororum proceſſiſſe congeriem. Denique cum Judæis voce ſociatâ dicis* (Matth. 13. 55. & Marci 6. 3.) „ Nonne hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joſeph, & Simon, & Judas, & ſorores ejus omnes apud nos ſunt „? *Omnes niſi de turba non dicitur. Quis te, oro, ante hanc blaſphemiam noverat, quis dupondii ſupputabat? Conſequutus es quod volebas, nobilis factus es in ſcelere. Ego ipſe qui contra te ſcribo, quum in eadem tecum urbe* (Romæ) *conſiſtam, albus, ut ajunt, aterve ſis, neſcio*. Hæc quæ de Helvidio dicit Hieronymus, penſitet Lector, an meritò de recentioribus hæreticis Luthero, Calvino, Zuinglio, & aliis dici poſſint. Quis enim horum vel nomina noſſet, niſi notos ſe feciſſent ex ſcelere, quo Eccleſiam Dei incenderunt?

§. III.

Danæi calumniæ diſſipantur.

I. HAnc veritatem de perpetua B. Virginis Virginitate ejurare auſi non ſunt Calvinus, aliique Catholicæ Eccleſiæ incendiarii. Horum nomine Lambertus Danæus cap. 56. de Antidicomarianitis eam profitetur, quamvis, ut infra apparebit, ſuæ Sectæ odium contra ſtatum Virginitatis diſſimulare non poſſit: ait ergo „ Accedo eorum ſententiæ, qui Mariam Matrem Chriſti „ ſelectiſſimum Dei organum fuiſſe ſentiunt, & ante, & poſt partum virginem manſiſſe & vixiſſe ſcribunt; (non quòd tamen eam conjugem votum virginitatis voviſſe, idque Marito ſignificaſſe aſſentiar: ut eſt in Can. Beata, & in Can. Sic quippè 27. q. 2.) ex Auguſt. in Joan. Evangel. Tract. 28. Sicut enim in ſepulchro, ubi poſitum eſt corpus Domini, nec antea nec poſtea mortuus jacuit: ſic uterus Mariæ nec antea nec poſtea quicquam mortale concepit „. Quibus Danæus volens nolens fatetur quidem Matrem Dei ante & poſt partum Virginem manſiſſe, Votum tamen Virginitatis admiſiſſe inficiatur.

II. Hanc

II. Hanc quæſtionem de Voto Virginitatis à Maria Matre Dei emiſſo,& de tempore & modo, quod illud emiſit contra Danæum, & alios Virginitatis hoſtes reſolvi ſuperiùs Tom.4. p.1. cap.3. ſ.6. & 7. unde ibi dicta Lectori meo videnda relinquo. Porrò ut appareat, quàm inverecundè Canonem *Beata* Danæus rejiciat, placet illum referre: *Beata Maria propoſuit ſe ſervaturam votum Virginitatis] in corde: ſed ipſum votum Virginitatis non expreſſit ore. Subjecit ſe Divinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeveraturam virginem, niſi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo Virginitatem ſuam Divinæ diſpoſitioni conſenſit in carnalem copulam, non illam appetendo, ſed Divinæ inſpirationi in utroque obediendo. Poſtea verò filium genuit, & quod corde conceperat, ſimul cum viro labiis expreſſit, & uterque in Virginitate permanſit. Conſenſus ergo cohabitandi & individuam vitæ conſuetudinem retinendi interveniens, eos conjuges fecit. Individua verò vitæ conſuetudo eſt, talem ſe in omnibus exhibere viro, qualis ipſa ſibi eſt, & è converſo. Ad individuam itaque conſuetudinem pertinet, abſque legitimi conſenſu viri, & orationi aliquando non poſſe vacare, nec continentiam profiteri. Quia ergo iſte conſenſus fuit inter eos, patet eos conjuges fuiſſe.*

III. Quid ergo in hoc Canone Danæo diſplicet? Quòd Maria & Joſeph in conjugio cælibes perpetuò vixerint? At hoc & ipſe approbat. An quod hoc non obſtante declaretur verum interceſſiſſe conjugium? Hoc non crediderim: quia eſſet contra Evangelium, in quo Maria & Joſeph tamquam veri conjuges proponuntur: & ut oſtendi Tom.4. p.1. cap. 4. ſ.2., eſſentia conjugii etiam ſinè actuali carnali copula in ſola indiviſibili conjunctione animorum ſubſiſtit. An quia in eo ſupponitur, quòd Maria votum Virginitatis emiſerit, & illud viro ſuo manifeſtaverit? Hoc eſt profectò quod diſplicet. Sed cùm dicatur hoc votum non fuiſſe abſolutum ſed conditionatum, nimirùm ſi Deus aliter non diſpoſuiſſet, & conſequenter actum religionis ſimul & obedientiæ, & ad quod ſervandum conſenſus viri etiam requirebatur: quid in tali voto reprehenſione & cenſura dignum notare poteſt Danæus, niſi quòd fuerit votum perpetui cælibatus, à quo tota ejus Secta abhorret?

IV. Non contentus Danæus votum Virginitatis à Maria eripuiſſe, plura adversùs cælibatum congerit mendacia. Poſtquam enim dixit quòd ex perpetua Mariæ Virginitate ,, Confirmatur articuli fidei noſtræ & veræ, Natus de Maria Virgine, ſententia, eripiturque Judæis occaſio elevandæ in eo Evangelii certitudinis, quæ in dubium revocari videtur, ſi Maria poſt partum Domini noſtri Jeſu Chriſti à Joſepho cognita dicatur ,,. Ad-

versùs

verſùs cælibatum, & ſtatum Virginitatis impiè debacchari incipiens, ait „ Ex hujus Virginitatis præpoſterâ & immodicâ certè
„ defenſione & commendatione, auctæ ſunt colendæ adorandæque Mariæ, & conjugii vituperandi cælibatuſque extollendi in
„ immenſum occaſiones: adeò ut Siricius ipſe, ſub cujus Pontificatu diſceptatio hæc agitata eſt, apertiſſimè pronuntiarit, ſed
„ tamen impiiſſimè, conjugium eſſe Deo exoſum, & qui conjuges ſunt, in carne vivere, nec Deo placere poſſe, cujus ſententia extat in Decreto diſtinct. 82. Denique eò tandem ventum
„ eſt, ut ſoli cælibes beati, felices, Regno Cœlorum digni, vel
„ participes cenſerentur, contra manifeſtam ſpiritus Dei vocem
„ Hebr. 13. v. 4. 1. Tim. 4. v. 3.: & ut Maria Virgo apertè jam in
„ Dei Eccleſia Templis Ariſque coleretur, & Numen Deo par
„ obtineret &c. „

V. Ita contra B. Mariæ Virginitatem, quam negare non audet, tacitè oblatrat Danæus, quaſi ejus cultui nimiùm extollendo, & conjugio damnando contulerit. Quæ contra immodicum Mariæ cultum profert, non nos, ſed Collyridianos feriunt; ideòque in Capite ſequenti ponderanda reſervamus. Quæ verò contra virginitatis & cælibatus ſtatum intorquet putidiſſima mendacia ſunt à me jam detecta, & diſſipata, tum in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1. art. 5. tum in Colloquiis Theologico-Polemicis Claſſe 1. contra Jacobum Piceninum, eadem hæretico ore eructantem. Ne tamen prorſùs jejunum Danæum dimittam, ea quæ hìc opponit meras calumnias eſſe, paucis oſtendam.

Et quidem, ex quo Jeſus Chriſtus ex Matre Virgine & Virginitatem perpetuò cuſtodiente naſci, & ex quo ipſe vitam cælibem ducere voluit, magnum Virginitati ac cælibatui decus acceſſiſſe, puto Danæus non negabit. Ideòque in Lege Evangelica nuptiæ quidem bonæ ſunt, ſed Virginitas nuptiis ut melior antefertur. Unde 1. Cor. 7. v. 38. Paulus ait: *Et qui matrimonio jungit Virginem ſuam, benè facit, & qui non jungit, melius facit.* Et hoc quia ut ſuperiùs dixerat v. 34. *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Quod & de viris antea v. 32. & 33. dixerat: *Qui ſinè uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.*

VI. Ex hac Pauli doctrina Viris & Virginibus, quæ in Monaſteriis uni Deo vacare, & eorum quæ mundi ſunt ſolicitudinem abjicere proponunt, Eccleſia nuptias interdixit; non quia in ſe malas, ſed quia fini, quem ſibi ſpontè propoſuerunt, directè contrarias.

Digitized by Google

trarias. Ex hac doctrina Siricius, & cum eo Concilia Evangelii Miniſtros à conjugio duxerunt arcendos, non quia conjugium Deo ſit exoſum, ſed quia qui ſpiritu Deo toti inſervire debent, non decet in carne vivere, ideſt carnalibus voluptatibus commiſceri. Nam ſi in Lege Veteri, in qua Sacerdotibus concedebantur uxores, eò quia nemo niſi ex una tantùm Tribu & familia Aaronis poterat Sacerdotio fungi; in anno tamen vicis ſuæ Deò ſic præcipiente debebant Sacerdotes ſeparati ab uxoribus, & omni carnali commercio in Templo vivere: quò magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus Sacerdotium, vel Miniſterium ſinè ſucceſſione eſt: nec præterit dies, quâ, vel Sacrificiis Divinis, vel Baptiſmatis officio non vacent? Nam ſi Beatus Paulus Apoſtolus ad Corinthios (1. Cor. 7. v. 5.) ſcribit dicens; Abſtinete ad tempus, ut vacetis orationi; & hoc utique Laicis præcepit: multò magis Sacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi juge officium eſt, ſemper debebunt ab hujuſmodi conſortio abſtinere &c. Hæc eſt doctrina Innocentii I. & Siricii diſt. 82. à Danæo citata, quam omnia ſubſequentia ſecula ut ſacram cuſtodiere. Cui cùm refragari auſus eſſet Jovinianus, ita nuptias prædicans, ut Virginitati detraheret, pro Hæretico & Epicuro Chriſtianorum ab Eccleſia habitus fuit: ut ex S. Hieronymo Lib. 1. adv. Jovin. in initio.

VII. Quænam ergo eſt doctrina impiiſſima? Ea quam in Siricio Danæus damnat, & quam Eccleſia à primis uſque ad noſtra ſecula profeſſa eſt, & adhuc profitetur: an ea, quam Danæus cum ſuis verè Chriſtianis Epicureis ab inferis excitarunt, cælibatum tanquam Deo exoſum Sacris Miniſtris, & Deo unicè vacare volentibus, prohibentes? At non mirùm. Qui enim ab Eccleſia Sacrum Sacrificium, & omnia Sancta Miniſteria auferre contenderunt, conſequens erat, ut omnes ſuos carnalibus nuptiis implicatos vivere vellent. Noverint tamen, ſe ab errore excuſari non poſſe, inquit S. Auguſtinus Lib. de Virginitate cap. 19. *Nam cùm error uterque ſit, vel æquare ſanctæ Virginitati nuptias, vel damnare: nimis invicem fugiendo duo iſti errores adverſâ fronte confligunt, quia veritatis medium tenere noluerunt; quo & certâ ratione, & Sanctarum Scripturarum auctoritate, nec peccatum eſſe nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis continentiæ, vel etiam actualis æquamus. Alii quippè appetendo virginitatem nuptias tamquam adulterium deteſtandas eſſe putaverunt: alii verò defendendo connubium excellentiam perpetuæ continentiæ nihil mereri ampliùs, quàm conjugalem pudicitiam voluerunt; quaſi vel Suſannæ bonum Mariæ ſit humiliatio, vel Mariæ majus bonum Suſannæ debeat eſſe damnatio.*

tio. Si ergo nuptias æquare virginitati (ut Jovinianus voluit) error eſt: multò magis Virginitatem damnare, ac ſolas nuptias probare (ut Proteſtantes aſſerunt) error, & quidem impius, erit.

VIII. Eccleſia autem Catholica, ut utrumque vitet errorem, ſic nuptiis præfert Virginitatem, ut & nuptias probet. Propterea impiè mentitur Danæus dum ait ,, Eo tandem ventum eſt, ut ſoli ,, cælibes beati, felices, Regno Cœlorum digni vel participes ,, cenſerentur ,,. Quis ex Catholicis hoc unquam vel ſomniavit? Nos Cœlorum dignos tam conjugatos, quàm cælibes exiſtimamus, & ex utriſque Sanctorum Catalogo viros & mulieres adſcribimus, & Regni Cœleſtis gloriam majorem gradu vel minorem, non purè ſtatui, ſed meritis deputamus. Claudam igitur cum S. Hieronymo Lib. 1. adv. Jovin. *Neque verè nos Marcionis & Manichæi dogma ſectantes nuptiis detrahimus, nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti omnem coitum ſpurcum putamus, qui non ſolùm nuptias, ſed cibos quos Deus creavit ad utendum, damnat & reprobat. Scimus in domo magna non ſolùm vaſa eſſe aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia. Et ſuper fundamentum Chriſti, quod Paulus architectus poſuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretioſos: alios è contrario fœnum, ligna, ſtipulam. Non ignoramus honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Legimus primam Dei ſententiam* ,, Creſcite & multiplicamini, & replete terram ,,: *ſed ita nuptias recipimus, ut viginitatem, quæ de nuptiis naſcitur, præferamus. Numquid argentum non erit argentum, ſi aurum argento pretioſius eſt?* Ita cum Eccleſia Catholica ſui temporis ſentit Hieronymus. Ita & nos ſentimus, quidquid ex adverſo calumnietur Danæus. Plura in locis ſupracitatis à me dicta videri poſſunt.

CAPUT LIII.

De Collyridianis.

§. I.

Hæreſis ortus, & error.

I. AB una hæreſi ad aliam extremè oppoſitam tranſeo, nimirùm ab hæreſi Antidicomarianitarum, quæ B. Mariæ perpetuam Virginitatem ei debitam indecorè eripiebat, ad hæreſim Collyridianorum, quæ eidem quod indebitum eſt adjudicabat; eam tanquam Numen aliquod colens, & adorans. Collyridiana autem nuncupata eſt, quia qui ea infecti erant, Collyri-

lyridem ideſt placentam panis, vel frixam, vel ſub cineribus coctam (vulgò *focaccia*) B. Mariæ in Sacrificium offerebant. Hæreſim hanc S. Auguſtinus prætermittit: eam tamen S. Epiphanius Hæreſi 79. fusè pertractat, & Damaſcenus Hæreſ. 79. *Collyridiani*, inquit, *in ejuſdem Mariæ nomine ſtato anni die collyridas quaſdam offerunt: quibus conſentaneum ex eo ritu nomen indidimus Collyridianorum*.

II. Hæreſis hæc ex Epiphanio è Thracia, ac ſuperiore Scythia in Arabiam diffuſa, ab iſta infelici hæreſum parente, vel nutrice, ſuſcepta eſt, ut eodem tempore duos contrarios in ſuo ſinu aleret errores, unum Antidicomarianorum debitum B. Mariæ honorem auferentem, alterum Collyridianorum honorem indebitum ei tribuentem. Mirari tamen de hoc non ſubit, ſi ad auctores reſpiciamus. Fuerunt quædam mulierculæ, quæ nimiâ pietate ductæ ad hanc inſaniam devenere. Totum hoc exponit Epiphanius loco citato num. 1. his verbis: *Nam ut paulò ante, qui ſuperiorem illam Sectam amplexi ſunt, contumelioſas in Beatam Virginem opiniones hominum ingeniis aſperſerunt; ſic iſti contrariam in partem declinantes extremam, in novam hanc perniciem inciderunt.... Siquidem par & idem ex ambabus hæreſibus detrimentum accidit: cùm alii Sacroſanctæ Virginis dignitatem elevent; alii præter modum ac rationem attollant*. Deinde ad auctores hujus hæreſis tranſiens: *Nam*, inquit, *quod ad poſterius hoc dogma pertinet, quoſnam, præter mulierculas, auctores ac patronos habet? Quod genus lubricum & in errorem proclive, ac puſilli admodum & anguſti animi eſſe ſolet. Per eas itaque Diabolus evomuiſſe illud videtur, idemque hac in parte feciſſe, quod per Quintillam ac Maximillam & Priſcillam in ridiculis diſſeminandis erroribus præſtiterat. Etenim mulieres quædam currum ſive ſellam quadratam adornantes, ac linteo deſuper extento, ſolemni tempore, per aliquot dies panem proponunt, & in Mariæ nomen offerunt. Tum ad unam omnes illo veſcuntur*. Quibus ultimis verbis idolatricum harum mulierum ſacrificium Mariæ oblatum deſcribit.

III. Illam poſtea confutare aggreditur: Primò, quia nulla mulierum, ex quo Mundus conditus eſt, Sacerdotium ſibi arrogare præſumſit: & probat tum ex Veteri, tum ex Novo Teſtamento. Ex Veteri quidem. Nam nec Eva licèt Divinitatis ambitione peccaverit, tam immane facinus Sacrificium offerendi perpetrare umquam auſa eſt; ſed nec ulla filiarum ejus. Primi qui Sacrificium obtulerunt fuere Cain & Abel, deinde Enoch. Poſt diluvium Noe Deo, qui illum cum ſuâ familiâ à generali Mundi internecione ſervaverat, Sacrificium obtulit, deinde Abraham juſtus, tum

Melchiſedech, Iſaac, Jacob; è cujus Liberis poſtea Levi Sacerdotii dignitatem obtinuit, à quo deinceps propagati ſunt, qui eumdem gradum & ordinem tenuerunt, quales fuere Moyſes Propheta ſimul & Sacerdos, Aaron frater, & Aaronis Filii, & ita per ſucceſſiones; omnes tamen ac ſoli viri, nec unquam mulier Sacerdotio functa legitur.

IV. Ex Novo autem Teſtamento hæc dicit: *Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut Canonicum quiddam in Eccleſia præſtare liceret, nulli potiùs, quàm Mariæ, illud in Novo Teſtamento committi Sacerdotii officium debuit, cui tantus honor eſt habitus, ut gremio ſinuque ſuo Regem omnium, ac Cœleſtem Deum Deique Filium exciperet; cujus uterus, velut templum ac domicilium, ad Divini Verbi Incarnationem ſingulari eſt benignitate Dei magno ac ſtupendo Myſterio præparatus. Verùm longè Deo aliter eſt viſum: ac ne baptizandi quidem poteſtas eſt illi facta: cùm alioqui tingi ab illa Chriſtus potiùs, quàm à Joanne potuiſſet.* Ita Epiphanius. De facto enim poteſtatem Sacrificium Corporis & Sanguinis ſui conferendi, & offerendi ſolis Apoſtolis contulit in Cœna: *Hoc facite in meam commemorationem* Lucæ 22. v.19. eiſque prædicandi & baptizandi munus injunxit Matth. 28. v.19. & Marci 16. v. 15., non mulieribus, quæ ipſum ſecutæ fuerant, nec ipſi Virgini Matri.

V. Muliebrem ſexum incapacem eſſe jure Divino, naturali, & poſitivo ſacri obeundi miniſterii, oſtendi ſupra cap. 24. §. 2. contra Pepuzianos, eodem quo Collyridiani errore detentos, & Tom. 4. in 3. p. Tract. de Sacr. Ord. q.3. Dub.1. ubi quid eſſent in primitiva Eccleſia Diaconiſſæ, & quale earum officium expoſui. Solùm repetam ex S. Epiphanio num. 3. *Quamquam Diaconiſſarum in Eccleſia ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt; ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur: ſive ut Baptiſmi tempore adſit: ſive ut inſpiciat ſi quid paſſa ſit, aut moleſtiæ pertulerit: ſive ut cum nudandum eſt mulieris corpus interveniat, ne virorum, qui Sacris operantur, aſpectui ſit expoſita; ſed à ſola Diaconiſſa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, cum veſtibus exuitur. Quæ in re cum ordinis illius modeſtiæ, tum Eccleſiaſticæ diſciplinæ prudenter admodum ex Canonis præſcripto eſt ac regulâ conſultum. Propterea* (1. Cor.14. v.34.) *ne loqui quidem in Eccleſia mulieri, aut in viros auctoritatem habere Sacræ Literæ permittunt.* Aderant etiam ex veteri diſciplina viduæ quædam quæ anus eſſent, de quibus Paulus 1. ad Tim. 6. v. 9. ait: *Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens.* Iſtæ *Presbyteræ* etiam, ideſt Seniores ob ætatem dicebantur, ſeu ut ait Epi-

Epiphanius num. 4. *Preſbytidæ*, numquam tamen Preſbyteræ aut Sacerdotales factæ, quibus nullum Sacramentum perficere concedebatur, ſed iis tantùm quæ perficiuntur miniſtrare. Quæ etiam, ut ait Macri in Hierolex. V. *Preſbyteræ* à Latinis *Matricuriæ* vocabantur Can. *Mulieres* diſt. 32. ideſt habentes curam de rebus Eccleſiæ, ut exponit ibi Gloſſa. Sic S. Praxedes à S. Pio Papa Preſbytera declarata fuerat, ut habetur in actis ejus. Quibus omnibus conſtat, Collyridianas feminas Sacerdotale officium ſuo ſexui numquam permiſſum ſibi uſurpantes ſacrilegas fuiſſe.

VI. Idololatriæ quoquè ream hanc hæreſim probat ſecundò Epiphanius, quia Sacrificium, quod ſoli Deo offerendum eſt, non Deo, ſed creaturæ offerebant. Nam, inquit ibidem n. 4., *Sanctum erat Mariæ corpus, fateor: non tamen Deus illa fuit. Eadem & Virgo extitit; minimè tamen nobis ad adorandum propoſita, ſed eum adorans ipſum, qui è ſua carne genitus, è Cœlo ac paterno ſinu deſcenderat. Quare Sanctum quoque nos Evangelium præmunire voluit, in quo ita Chriſtus loquitur* Joan. 2. v. 14. „ Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea „ *ubi idcircò mulierem appellavit*: „ Quid mihi, *inquit*, & tibi eſt mulier „? *ne quis B. Virginem excellentioris eſſe naturæ crederet, eoque vocabulo quaſi vaticinans, ad ea ſchiſmata hæreſeſque refutandas uſus eſt, quas in Orbe terrarum olim excitandas cognoverat; nemo ut Sacroſanctæ Virginis vehementiori quâdam admiratione permotus, ſe ſe ad illius hæreſis nugas ac deliria converteret*. Ita Epiphanius.

VII. Exemplo ipſius B. Virginis, feminas Collyridianas, ne ei honorem ſupra debitum offerant, nec ſe ipſas id quod earum ſexui permiſſum eſt audacter extollant, monet S. Auguſt. Serm. 51. (aliàs 63. de Diverſis) cap. 11. ubi Mariæ Virginis modeſtiam eis proponens: *Chriſtum*, inquit, *pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei*, „ Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum „. Lucæ 1. v. 31. „ Hic erit magnus & Filius Altiſſimi vocabitur „ v. 32. *Meruerat parere Filium Altiſſimi, & erat humillima: nec ſe marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, Ego & Pater tuus: ſed*, „ Pater, *inquit*, tuus, & ego „. *Non attendit ſui uteri dignitatem, ſed attendit ordinem conjugalem. Non enim humilis Chriſtus Matrem ſuam ſuperbire docuiſſet* „ Pater tuus & ego dolentes quærebamus te „. Pater tuus, *inquit*, & ego, *quia caput mulieris vir. Quantò minùs debent ſuperbire cæteræ feminæ? Nam & ipſa Maria mulier dicta eſt, non corruptâ virginitate, ſed appellatione propriâ gentis ſuæ. Dixit enim de Domino Jeſu Chriſto & Apoſtolus* (Galat. 4. v. 4.) „ Factum ex muliere „: *non tamen interrupit textum fidei noſtræ, quâ confitemur natum de Spi-*

Digitized by Google

ritu Sancto ex Virgine Maria. Illa enim virgo concepit, virgo peperit, virgo permanſit. Sed mulieres omnes feminas illi appellaverunt proprietate linguæ Hebrææ. Audi evidentiſſimum exemplum. Prima femina, quam fecit Deus ſumtam ex latere viri, antequam cum viro concumberet, quod poſtea quàm de Paradiſo exierunt ſcribitur factum, tamen mulier jam vocabatur, dicente Scripturâ „ Formavit eam in mulierem „ (Gen. 2. v. 22.) Hæc Auguſtinus ex B. Virginis humilitate cæteris feminis, dignitate & merito longè inferioribus, documenta reliquit.

§. II.

Danæus refutatur.

I. LAmbertus Danæus ſolito ſuo malo ſpiritu adverſus Catholicos, quos ille vocat Papiſtas, abreptus, plura congerit mendacia (tum cap. 56. ubi de Antidicomarianitis agit, tum c. 83. ubi de Arabicis) ut oſtendat eos in cultu B. Virginis Collyridianis pejores eſſe. Eaſdem calumnias diſſipavi adversùs Jacobum Piceninum in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 2. art. 14. ſ. 5. & generaliter adversùs omnes modernos Hæreticos eadem ſentientes Tom. 16. Theol. Qu. 7. de Cultu SS. Dub. 2. ſ. 2. Unde quæ ibi, huc trahi poſſunt.

II. Supereſt audire quid blateret Danæus. Itaque citato c. 56. dicit, quòd à Collyridianorum tempore in Mariæ cultu eò tandem ventum eſt „ ut Maria Virgo apertè jam in Dei Eccleſia „ Templis Ariſque coleretur, & Numen Deo par obtineret, de „ qua ſcribit Cyprianus, ſe non audere affirmare, utrum mortua „ ſit, an in ipſo corpore immortalis facta. Extabat quidem jam „ Irenæi dictum de Mariæ laudibus & patrocinio apud Deum pro „ nobis, ſi modò illius tantique viri germana ſententia eſt, non „ autem inſita & translatitia. Sed poſtea eæ Mariæ laudes in furorem evaſerunt, & planè idololatricus cultus fieri cœpit, adeò „ ut ad illius ſimulacrum homines tanquam ad Divinum Numen „ confugerent: Evagrius Lib. 5. cap. 18. & illius etiam imaginem „ venerabundi oſtentarent: quod fecit illa Pulcheria ſoror Theo- „ doſii, ad quam Eudocia ejuſdem Theodoſii uxor, eam Jeroſolymis & Judæâ Conſtantinopolim miſerat, ut ſcribit Theo- „ dorus Lector in Collect. „ Sic Danæus dum nos Collyridianos facere vult, ſe Antidicomaritam & Iconomachum verè eſſe manifeſtat.

III. Suam tamen malam cauſam ab impoſturis inchoat, & & ve-

& velut alter Fauſtus Manichæus Catholicis exprobrat, quod B. Mariam Templis & Aris tanquam Numen Deo par colere cœperint, ac proinde cultu verè idololatrico. Ita enim Fauſtus ille apud S. Auguſtinum Lib. 20. contra ipſum cap. 4. Catholicis exprobabat, quòd idololatriam non reliquiſſent, ſed mutaſſent eò quòd colerent Martyres eo ritu & cultu, quo Pagani Deos ſuos & Idola colebant. Sed audiat, quomodo S. Auguſtinus ibi cap. 21. hanc calumniam abſtergat. Poſtquam enim oſtendit, Fauſtum maledicendi ſtudio abreptum, ipſis ſuæ Sectæ principiis contradicere, Catholicorum erga Martyres cultum exponens ait: *Populus autem Chriſtianus memorias Martyrum religioſâ ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, conſtituamus Altaria. Quis enim Antiſtitum in locis Sanctorum Corporum aſſiſtens Altari, aliquando dixit, Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit.* Deinde explicato modo quo coluntur Martyres, nimirùm, ut *ſancti homines Dei in vita feliciore victores*: addit: *At illo cultu, quæ Græcè* Latria *dicitur, Latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam Idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo: & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſive ut corrigatur, ſive ut caveatur.*

IV. Ex hoc Auguſtini diſcurſu conſtat: Primò, ſuo tempore ſolemnem fuiſſe in Catholica Eccleſia religioſum Martyrum cultum. Secundò, cultu hoc nec oblationes, nec Sacrificia ipſis Martyribus fuiſſe oblata, ſed ſoli Deo, in memoriis quidem Martyrum ad eorum orationes depoſcendas. Tertiò, contra talem cultum ſolos Hæreticos oblatraſſe, Manichæos nempè, illum velut idololatricum rejicientes; quos modò & Proteſtantes imitantur.

Scio, dicturos Auguſtinum de cultu B. Mariæ hîc nec verbum facere; non inficior. Sed hoc ideò eſſe dico, quia reſpondebat Fauſto Manichæo, qui contra ſolum cultum Martyrum oblatrabat. Cæterùm Auguſtinus, qui pro cultu Martyribus ſuo tamen modo exhibendo pugnat, multò magis tacitè ſuppoſuit illum B. Mariæ Matri Dei exhibendum, interiorem quidem cultu debito ſoli

ſoli Deo, ſuperiorem tamen cultu aliis Sanctis creaturis Dei, utpotè dignitate Maternitatis Dei illis eminentiori: & hic eſt cultus quo veneramur Mariam, dictus Hyperduliæ ſeu ſupra Duliam, quâ cæteros Dei Servos colimus. Nam quemadmodum Matrem Regis ſuperiori honore proſequimur, quàm cæteros Regis miniſtros, ſic honore eminentiori Mariam Matrem Dei colimus, quàm cæteros Sanctos homines Dei: ſed de hoc citatis locis jam dixi.

V. Nunc cum Danæo res agenda eſt. Dicit ille, in cultu Mariæ eò ventum eſſe, ut *apertè jam in Templis Ariſque coleretur, & Numen Deo par obtineret*. Si de Collyridianis loquatur, verum dicit. At ſi de Eccleſia Catholica, calumniator eſt. Hæc enim Mariam Virginem ſolemniter colit, non in plateis aliiſque profanis locis, ſed in Templis, non ipſi erectis ſed Deo: Sacrificium offert, non ipſi, ſed Deo; in memoriam tamen ejus, ut ex Canone Miſſæ apertè conſtat. Eam orat, non ut ipſa principaliter det, ſed ut apud Filium quod petimus intercedat. Hoc Collectæ omnes & Litaniæ evidenter demonſtrant. Et hoc modo eam in Altaribus, non ipſi erectis ſed Deo in honorem ejus, veneratur. Cauſam hanc aſſumat iterum Auguſtinus Serm. 273. (aliàs 101. de Diverſis) cap. 4. *Templum ſolus verus Deus habere debet, Sacrificium ſoli Deo vero offerri debet. Iſta ergo quæ debentur ritè & integrè uni vero Deo, exhibebant miſeri* (Pagani) *decepti multis falſis Diis*.

Et ſubinde differentiam Catholicorum cultus erga Martyres à cultu Paganorum oſtendens cap. 6. *Et tamen*, inquit, *nos Martyres noſtros, quibus illi nulla ex parte ſunt conferendi, pro Diis non habemus, non tamquam Deos colimus. Non eis Templa, non eis Altaria, non Sacrificia exhibemus. Non eis Sacerdotes offerunt: abſit. Deo præſtantur. Immo Deo iſta offeruntur, à quo nobis cuncta præſtantur. Etiam apud memorias Sanctorum Martyrum cum offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres Sancti. Advertite. In recitatione ad Altare Chriſti loco meliore recitantur: non tamen pro Chriſto adorantur. Quando audiſtis dici apud memoriam Sancti Theogenis à me, vel ab aliquo fratre & collega meo vel aliquo Presbytero, Offero tibi, Sancte Theogenis? aut offero tibi, Petre? aut offero tibi, Paule? Numquam audiſtis. Non fit, non licet. Et ſi dicatur tibi: Numquid tu Petrum colis? reſponde quod de Fructuoſo reſpondit Eulogius: Ego Petrum non colo, ſed Deum colo, quem colit & Petrus. Tunc te amat Petrus. Nam ſi volueris pro Deo habere Petrum, offendis petram; & vide ne pedem frangas, offendendo in petram.*

VI. Hæc quæ S. Auguſtinus de Apoſtolis & Martyribus dicit, de

de B. Maria Virgine proportione ſervatâ cum Eccleſia Catholica præſenti & nos ſentimus. Eam ut Matrem Dei excellentiori cultu ſupra cæteros Sanctos veneramur: ei tamen nec Templa, nec Altaria erigimus, nec Sacrificium offerimus, ſed ſoli Deo in memoriam ejus. Hinc ut genuina (non inſita aut translatitia) ſuſcipimus encomia, quibus eam ornat S. Irenæus, tum L. 3. c. 21. dicens, quòd *ſicut Eva inobediens ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt mortis: ſic & Maria ... Virgo obediens, ſibi & univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis*; tum L. 5. c. 19. dicens, quòd Maria facta ſit *Evæ advocata, & quemadmodum adſtrictum eſt morti genus humanum per Virginem, ſalvatur per Virginem*; quia ſcilicet ſuâ obedientiâ peperit humani generis Salvatorem: non per hoc tanquam Divinum Numen eam adoramus; ſed cum Epiphanio num. 7. dicimus, quòd quamvis Deus Verbum è Cœlo deſcendens ex ipſa corpus induerit; *non ideò tamen, ut hæc adorari debeat, aut ut eam Divinam ad naturam conditionemque transferat, neque ut Sacrificium illius in nomen offeratur*. Unde & nos cum eodem Epiphanio concludimus: *Honoretur ſanè Maria: Pater verò, Filius, & Spiritus Sanctus adorentur. Mariam adorare nemo velit*; ut Deam ſcilicet, vel Numen Deo par, quomodo Collyridianæ mulieres, contra quas agit, eam adorabant.

VII. His tamen non acquieſcit Danæus; ſed cap. 83. videns, nos Mariam, utpotè Matrem Dei, venerari cultu ſuperiori, quàm Angelos & cæteros Sanctos, quem Hyperduliam vocamus, ait: „ Illa quidem Chriſti Mater eſt, non ſuo tamen merito, ſed me- „ râ Dei gratiâ: & ad cæterorum hominum morem ex viri & „ mulieris ſemine & coitu nata, ne bonis quidem Angelis par, „ aut æqualis, nedum Deo ipſi „. Deinde concludit, quòd cùm Collyridianarum mulierum cultum damnet Epiphanius, „ Quid fa- „ ceret, ſi immanem idololatriam & cultum, qui nunc ei defer- „ tur vel videret, vel ſolùm audiret „? Hæc impudenter iſte Antidicomarianus eructat.

VIII. Attamen fingit ſibi hoſtem quem feriat. Nos Mariam veneramur & colimus, non ut Numen Deo par: creaturam enim ipſam fatemur, naturâ Angelis inferiorem. Sed quia dignitate Matris, non Chriſti tantùm ſed Dei, ſuper omnes creaturas etiam Angelos exaltata, propterea cultu & honore gradu ſuperiore ad Sanctos alios & Angelos eam veneramur. An verò merito, ſed purâ Dei gratiâ Maternitatis Dei honorem conſecuta ſit, oſtendi Tom. 1. in 3. p. q. 4. Dub. 2. quòd illam quidem de condigno non meruit, fide tamen & obedientiâ meruit illum ſanctitatis gradum, quo ex ipſa magis quàm ex alia congruè carnem ſumeret. Hoc pro-

probant Irenæi verba ſupra relata & Auguſtini Lib. 2. de Peccat. meritis & remiſs. cap. 24. dicentis: *Ideò Virginem Matrem, non lege carnis peccati, ideſt non concupiſcentiæ carnalis motu concipientem, ſed piâ fide ſanctum germen in ſe fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit*. Sed quia cujuſcumque meriti creaturæ erga Deum, Danæus apertus eſt hoſtis; petam ab eo: Si Virgo Maria in hoc cæteris creaturis etiam Angelis emi- net quòd ſit Mater Dei, & quandam cum Deo quaſi affinitatem contraxit; cur nos reprehendit, quod ſuperiori cultu eam veneramur, quem Hyperduliam vocamus? *Hyperdulia eſt potiſſima ſpecies Duliæ communiter ſumtæ; maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum* (inquit S.Th. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2.) Quæ autem major affinitas ad Deum excogitari in in creatura poteſt, quàm eſſe Dei Matrem? Si majori honore proſequeretur Danæus matrem Regis, quàm cæteros de familia Regis, cur hoc eodem proſequi dedignatur Mariam Matrem Dei?

IX. Nunc ad ea, quæ poſtremo loco Danæus opponit, me converto, nempè quòd poſteà Mariæ laudes in furorem evaſerint, ſic ut ejus cultus planè idololatricus factus ſit, & ad illius ſimulachrum homines tanquam ad Divinum Numen confugiant, & illius etiam Imaginem venerabundi oſtentent, affertque exemplum Pulcheriæ Theodoſii ſororis, & affert Evagrium Lib. 5. cap. 18. & Theodorum Lectorem in Collect. Quibus Danæus non ſolùm ſe Iconomachum manifeſtare intendit, ſed ſuum præfatum confirmare errorem. Qui enim denegat honorem Mariæ, multò magis illum denegare debet ejus imagini, quia honor imaginis refertur ad perſonam. Pro cultu Imaginum egi in Vera Eccl. Tom. 2. p. 2. art. 16., & Tom. 16. Theol. q. 7. Dub. 5. fusè, quæ videri poſſunt.

X. Ad ea quæ Danæus ex Evagrio refert, dico, ſi eum legiſſet, ab eo referendo certè abſtinuiſſet: cultum enim Imaginum B. Mariæ fuiſſe eo ſeculo frequentem probat, & prodigium, quod ibi accidit, mirè teſtatur, ad ſe indignè accedentes Mariam dedignari. Refert ergo Evagrius de quodam Anatolio, qui Idolis ſacrificaverat, & aliis ènormibus criminibus implicatus erat, ob quæ fremente populo Antiocheno in carcere recluſus fuerat, & ob quæ à Tiberio Imperatore Conſtantinopolim cum ſociis vocatus fuerat: Refert, inquam, hæc: *Quo comperto* (nempè ſe ab Imperatore vocatum) *Anatolius ad Imaginem Deiparæ, quæ fune appenſa erat in carcere, procurrens, manibus poſt tergum circumplicatis, ſupplicis atque orantis ſpeciem palam exhibuit. At illa hominem deteſtata, & ſceleratum Deique hoſtem coarguens, faciem ſuam penitus retrò avertit: ſpectaculo planè horrendo, & ſempiternâ memoriâ*

riâ digno, quod ab univerſis, tam qui in carcere incluſi detinebantur, quàm iis quibus Anatolii & ſociorum cuſtodia commiſſa erat, viſum, omnibus renuntiatum eſt. Apparuit etiam interdiù Deipara nonnullis fidelium, incitans eos adversùs peſtem illam; & filium ſuum ab Anatolio contumeliâ affectum eſſe dicens. Poſtea narrato Anatolii ſupplicio, cujus corpus à beſtiis & lupis voratum fuit, addit: *Ad hæc illuſtris quidam Imperialium domuum Præpoſitus, qui Anatolium acerrimè defendebat, viſam ſibi eſſe dixit Deiparam dicentem, quouſque tandem defenderet Anatolium, qui tum ipſi tum Filio ipſius tantam contumeliam irrogaſſet*. Hoc exemplo, puto, Danæum & ſuos exoſam habere Mariæ Imaginem, metuentes, ne ſi ad eam accederent, idem quod Anatolio ipſis eveniret; nimirùm quòd indignata S. Virgo ob contumeliam ipſi ac Filio ſuo irrogatam, faciem ſuam ab eis averteret, eoſque pro merito redargueret. Eodem ductus animo improbat factum Eudociæ, quæ Jeroſolymam profecta miſit ad Pulcheriam Auguſtam Imaginem Matris Domini, quam Lucas depinxerat, ut refert Theodorus Lector Lib. 1.

XI. Cultui B. Virginis & ejus Imaginum magnum pondus addit conſenſus Eccleſiæ Græcæ, non ſolùm antiquæ, ſed & modernæ; quæ licèt à Latina ſchiſmate divulſa, in Synodo tamen Conſtantinopolitana anno Chriſti 1672. contra Calviniſtarum errores coacta, ſtatuto cultu Sanctorum, hæc profitetur: *Quòd autem cultum, qui Sanctis, ſive etiam majorem illum qui merito prorsùs immaculatæ Deiparæ, utpotè cæleſtibus virtutibus præcellenti, exhibetur, Filii ejus honori detrahere nonnulli dictitant, ad fabulas revocamus. Diverſus enim eſt atque humilior venerationis hujuſmodi modus, quàm ut Chriſti ex eo honor & cultus, qui quidem Latriæ eſt, imminuatur*.

De cultu verò Sacrarum Imaginum ita ſtatuitur: *Cultum Sanctarum Imaginum, ceù ritum à temporibus Apoſtolicis ad nos uſque tranſmiſſum, juxta Eccleſiaſtica monumenta prorsùs amplectimur: non quidem, quo debitum uni Deo honorem illis impendamus, ſed penès aliquam dumtaxat relationem veneremur. Neque enim ſoli materiæ coloribuſve hæremus; at ad illarum archetypon memoriam aſſurgimus. Itaque non tam imaginibus, quàm Sanctis per hujuſmodi Imagines honorem exhibemus*.

XII. In Synodo quoque Jeroſolymitana eodem anno 1672. ſub Doſitheo Patriarcha contra Calviniſtas coacta idem ſtatuerant his verbis: *Porrò duplicem Sanctis cultum adhibemus. Alterum quippè Verbi Divini Matri, quem* Hyperduliam *appellamus. Enim verò Dei (& hujus quidem ſolius) ut famula verè ſit & ipſa Deipara; at*

at Mater ejus eſt, utpotè quæ unam Trinitatis Perſonam in carne genuit. Quare omnium, cùm Sanctorum, tùm Angelorum longè ſuperior prædicatur: unde & hyperdulico eam cultu veneramur. Alterum verò, quem & dulicum vocamus, Sanctis Angelis, Apoſtolis, Prophetis, Martyribus, omnibus deuique Sanctis adhibemus. En quomodo idem & eodem modo de cultu Deiparæ & Sanctorum univerſa Eccleſia ſentit.

De Imaginibus verò Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum idem ac nos Græci profitentur, & addunt: *Eam porrò, quam Sanctis & eorum Imaginibus cæteriſque prædictis, venerationem adhibemus, idololatriam eſſe ſi qui dicunt, id ceù ineptiſſimam & inanem calumniam nihil omninò facimus. Nos autem ſoli in Trinitate Deo, ac præter ipſum nemini* Latriæ *cultum impendimus. Sanctos verò duplici ratione veneramur; in primis quidem relativè ad Deum: quippè illos propter ipſum honoramus: deinde & in ſe ipſis, quoniam & animatæ Dei imagines illi ſunt.* Duliam *porrò eſſe, quâ Sanctos veneramur in ſe ipſis, ſupra definitum eſt. Sanctas verò Imagines relativo dumtaxat, utpotè ad earum* archetypa *pertinente, cultu veneramur. Quiſquis enim colit imaginem per imaginem colit* archetypon, *neque aliquantum dividitur, ſeparaturve imaginis honor &* archetypu, *ſed unâ & eâdem actione impenditur, quemadmodum in Prorege Rex honoratur.* Ita Græca Synodus, quæ ſubinde procedit ad ſolvenda Calviniſtarum objecta. Abeat ergo Danæus, abeant Calviniſtæ, ab utraque Eccleſia proſcripti.

CAPUT LIV.

De Maſſalianis.

§. I.

Qui & quales fuerint, & quando detecti.

I. MASSALIANI, ſeu Meſſaliani (quos ultimo loco refert & refutat S. Epiphanius Hæreſ. 80.) græcè *Euchitæ*, ideſt Precatores dicti ſunt: & ab aliquibus Pſalliani à verbo græco *Pſallin*, quod ſignificat fidibus canere; quia totam vitam in orando & pſallendo tranſigebant. Unde S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. 57. ait: *Tantum enim orant, ut eis qui de illis audiunt, incredibile videatur. Nam quum Dominus dixerit* Lucæ 18. v. 1. „ Oportet ſemper orare & non deficere „. *Et* Apoſtolus 1. Teſſal. 5. v. 17. „ Sinè intermiſſione orate „: *quod ſaniſſimè ſic accipitur,*

Digitized by Google

pitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi: iſti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicentur inter hæreticos nominandi.

Aliis etiam nominibus ſunt appellati, teſte Epiphanio. *Martyriani* enim dicti ſunt, quòd quoſdam ex ſuis à Lupiciano militum duce interfectos, eorumque corpora certis in locis ſepelientes, hymnis & laudibus tamquam Martyrum venerarentur. *Satanici* quoque nuncupati fuere, vel *Sataniani*, quòd Satanam colerent, ne eis noceret. Nam Epiphanio teſte num. 2. *Satanas, inquiunt, magnus quidam eſt, ac longè fortiſſimus, & mala quamplurima hominibus infligit. Cur igitur non ad hunc potiùs confugimus, & eum adoramus, atque honore prædicationeque veneramur, ut adulatorio iſto cultu conciliatus nocere deſinat: immo verò noſtrum, inquiunt, ſi tamquam ſervorum ſuorum rationem habeat, & ignoſcat? Ergo illi Satanianos ſemetipſos appellant.* Hos etiam dicit *Euphemitas* vocatos, ideſt laudantes, ac benedicentes hymnis & canticis, ſive Deum ut illis benefaceret, ſive Satanam ne illis noceret, ut dicebam. *Entuſiaſtæ* quoquè dicebantur, eo quòd inſano furore abrepti quidvis ſe eſſe fabularentur. Nam, inquit Epiphanius: *Sive Prophetam dixeris, Prophetas ſe eſſe dicent: ſive Chriſtum nomines, Chriſtum ſe eſſe quilibet reſpondebit. Sive Patriarcham, hoc ipſum ſibi nomen impudenter attribuet: ſive Angelum denique, talem ſe non dubitabit aſſerere.*

Demùm *Spirituales* ſe ut Gnoſtici appellabant, quòd ſe Mundo renuntiaſſe jactarent: turpem tamen Gnoſticorum more vitam agebant. *Illi*, inquit Epiphanius, *in unum coacti tam viri quàm mulieres credere in Chriſtum videntur, ac ſe Mundo renuntiaſſe, & ſua omnia deſeruiſſe profitentur. Tum verò promiſcuè ſexus utriuſque dormientes omnes in ſpatioſiſſimis vicis per æſtatem jacent, quòd ſe quicquam in terra poſſidere negent. Soluti porrò ac vagi ſunt, & manus ad ſtipem porrigunt, perinde ac victu & poſſeſſione carentes.* Ex his manaſſe Monachiſmum in Papatu Lambertus Danæus c. 57. de more mentitur. At verè (oſtendam infra) Meſſalianorum rami infelices ſunt Antiſcripturarii, Quaheri, aliique qui ex ſua Calviniana Secta emerſerunt, & adhuc emergunt.

II. Hujus hæreſis exordia ſub Conſtantio Imp. cœperunt, ſub hoc tamen nomine in apertum prodierunt anno 380. Valente Imperatore & Damaſo Romano Pontifice. Duo Meſſalianorum genera Epiphanius videtur diſtinguere. Unum antiquius, quod ex Gentilibus profectum dicit, nec Judæorum nec Samaritanorum Sectam, nec Chriſtianorum Religionem amplectens, plures quidem Deos admittens; ſed unum ſolum, in quibuſdam Proſeuchis, ſeu Oratoriis, extra urbes poſitis adorans. Alterum recentius, ac

L 2 ſui

ſui temporis Chriſtianum nomen uſurpans. Hujus non unus fuit auctor, ſed plures, in Meſopotamia præſertim, unde primum cenſetur ad alias Provincias manaſſe. Hi fuiſſe feruntur Dadoes, Sabbas, Hermes, Simeon, & Adelphius.

Narrat hoc Theodoritus Lib.4. Hiſt. cap.11. ubi de Meſſalianis ait: *Hujus Sectæ principes fuerunt Dadoes, & Sabbas, & Adelphius cum Herma & Simeone & aliis pluribus. Qui ſe ab Eccleſiaſtica communione neutiquam ſepararunt, nec prodeſſe quidquam, nec nocere dicentes eſcam Divinam: de qua tamen Dominus noſter Chriſtus ita loquitur* „ Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem vivet in æternum „. *Dum autem morbum ſuum occultare ſtudent, etiam poſteaquam convicti ſunt, impudenter negant, eoſque condemnant, qui eadem ſentiunt, quæ ipſi in pectore habent recondita.*

III. *Letojus igitur* (proſequitur Theodoritus) *Eccleſiæ Meletinenſis Epiſcopus, vir Divino zelo præditus, cum multa Monaſteria, vel potiùs ſpeluncas latronum, erroris iſtius labem hauſiſſe cerneret, ea incendit, & lupos ab ovili procul abegit. Simili modo Amphilochius ille celeberrimus, qui Metropolim Lycaoniæ paſtorali curá regendam ſuſceperat, & univerſam Provinciam gubernabat, cùm hanc peſtem illuc pervaſiſſe didiciſſet, rursùm eam depulit, & gregem ſibi commiſſum eá labe liberavit.*

Deinde ſubjungit, quòd Antiochenus Epiſcopus factus Flavianus, comperto, urbem Edeſſam hâc lue infectam eſſe, ad ſe vocavit Monachorum multitudinem pro exacta ab iis confeſſione exigenda. Sed iſtis negantibus, & mendaces accuſatores eſſe contendentibus, Adelphium ad ſe vocaſſe ita narrat: *Cumque Adelphium, qui tum admodum ſenex erat, blandè accerſiviſſet, & juxta ſe proximè ſedere juſſiſſet: Nos, inquit, ò ſenex, qui longiorem duximus vitam, hominum naturam diligentiùs cognitam habemus, & adverſariorum Dæmonum artes intelligimus: uſuque & experimento largitionem gratiæ didicimus. Iſti verò cùm ſint juvenes, & nihil iſtorum accuratè noverint, idonei non ſunt qui ſpirituales ſermones audiant. Expone igitur mihi, quá ratione dicatis, adverſarium quidem ſpiritum recedere; ſupervenire autem gratiam Spiritus Sancti. His ſermonibus allectus ſenex ille, virus omne quod latebat effudit. Et ex Divino quidem Baptiſmo nullam utilitatem obvenire dixit eis qui illum conſequi meruiſſent: ſolam verò ſedulam orationem expellere Dæmonem inhabitantem. Omnes enim qui eduntur in lucem, ut naturam, ſic etiam Dæmonum ſervitutem ex primo parente trahere dicebat. His verò per ſedulam orationem effugatis ſuccedit demum Spiritus Sanctus, qui præſentiæ ſuæ ſignificationem det ſenſibilem,*

atque

atque viſibilem , & corpus quidem perturbationum motu liberet , animam verò ab inſita ac deteriori propenſione retrahat : ita ut impoſterum nec jejunio opus ſit , quod corpus maceret , nec doctrinâ quæ refrænet , & rectè atque ordinatè doceat incedere . Porrò qui hunc aſſecutus eſt , is non ſolùm protervis corporis motibus liberatur, verùm etiam res futuras manifeſtè prævidet , & Divinam Trinitatem oculis ſuis contemplatur . Hâc ratione Divinus Flavianus cùm fœtidi fontis venas perfodiſſet , & impietatis aquas elicuiſſet , infelicem ſenem his verbis allocutus eſt . Inveterate dierum malorum : os tuum te coarguit , non ego , & labia tua teſtimonium dicunt contra te ipſum . Detectâ igitur hæreſi , expulſi ſunt ex Syria : & in Pamphyliam digreſſi, eam quoque Provinciam hâc peſte repleverunt . Hactenus Theodoritus.

IV. Lambertus Danæus, cujus omne ſtudium eſt perquirere in quo Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ nævos affingat, dicit, quòd hæc hæreſis ,, In Synodo Epheſina damnata eſt, quia cum pro-
,, pter iſtum errorem diſplicuit : tum verò propter novum & in-
,, ſolitum tunc temporis inter Chriſtianos & Eccleſiaſticos homi-
,, nes habitum inſtitutum. Ut enim hi quid meliùs quàm vulgus
,, Chriſtianorum profiteri viderentur, contra Pauli præceptum
,, 1.Corinth.comas alere ſuos juſſerunt,& barbam radere,quod &
,, naturæ rerum repugnat & formæ virili. Eſt enim , ut ait Epi-
,, phanius, barba ipſa quodammodo dignitas & forma viri. Quare
,, etiam Carthaginenſi Synodo (4.) eam radere Clerici vetiti
,, ſunt: quod Synodi caput corruperunt perfidioſiſſimè poſtea
,, Romani Pontifices in Decretal. Epiſt. Tit. de Vita & honeſt.
,, Cleric. & Agathenſi Concilio cap. 20. iidem Clerici comam
,, promittere , vel barbam alere prohibentur. Id quod etiam ex-
,, tat in Canone Clerici diſt. 23. in Decreto ,,. His Danæus de more cavillatur.

V. Attamen ſuo malo genio abripitur Danæus. Meſſaliani enim tamquam ſuæ proteſſionis teſſeram comam prolixiorem geſtabant, ita Nazaræatum in Eccleſiam Chriſti inducentes, ut Epiphanius num. 7. dicit, & affert Apoſtolum 1. Cor. 11. v. 14. hoc generaliter viris prohibentem his verbis: *Nonne natura ipſa nos docet , quod vir comam ſi nutriat , ignominia eſt illi?* Et maximè ſi ut Meſſaliani hoc contentioſè agant. Eccleſia verò Catholica comæ luxum & prolixitatem non ſolùm non præcipit, ſed Clericis præſertim interdicit. Quod verò ex Concilio Carthaginenſi 4. affert, contra ipſum eſt. Nam Can. 44. ſic ſtatuit : *Clericus nec comam nutriat , nec barbam .* Porrò quòd Clerici comas non nutriant, ſed tonſi incedant, omnia ab initio Eccleſiæ Concilia ſtatuere.

Digitized by Google

tuere. Quare id perfidiæ Romanorum Pontificum in Decreto & Decretalibus, & Concilio Agathenſi c.20. iniquè tribuit Danæus. Ab Aniceti enim temporibus Romanæ Eccleſiæ hæc fuit diſciplina, ideòque S. Patricius anno 450. in ſua Hiberniæ Synodo ſanxit Can. 6. *Quicumque Clericus ab Oſtiario uſque ad Sacerdotem ... ſi non more Romano capilli ejus tonſi ſunt ... ab Eccleſia ſeparetur.*

VI. Quoad barbam verò, licèt antiqua fuerit Eccleſiæ Occidentalis diſciplina, ne Clerici barbam nutriant, ejus tamen uſum Eccleſia Romana concedit, non ſolùm Miſſionariis, quos in Orientem delegat, ſed & quibuſdam Regularibus Ordinibus, ut quotidie ſub oculis habemus. Et meritò quidem. Nam ut ait Concilium Lemovicenſe anno 1031. ſeſſ. 2. *Diverſarum conſuetudinum uſus & obſervantia per populos, per loca, niſi fidei, ſpei & caritati contraria ſint, nihil officere Chriſtianæ dignitati videtur.* Et infra: *Quid etiam Orientalibus vel Occidentalibus Clericis uſus barbam radendi, vel non radendi officere ad Religionem videtur? Iſti enim Petrum Apoſtolum auctorem hujus conſuetudinis habent; & cum auctoritate hanc tenent rationem, rationabile eſſe dicentes Clericos à Laicis, ſicut in vita, ita in corporis habitu differre. Quo circa hic mos ad Religionem potiùs prodeſſe, quàm obeſſe perſpicitur. Illi autem barbam non radendi morem eligunt, Paulum ſive Jacobum fratrem Domini Apoſtolos in auctoritatem ſibi aſſumentes. Qui cum Auctoribus rationem adjungant (fieri quippè oportet rationabile obſequium noſtrum): rationabile dicentes, Clericos, ſicut & Laicos, decorem in facie ſervare virilem, juxta dignitatem humanæ conditionis à Deo creatam, quæ ſolum virum barbam propter decorem habere voluit.* Hæc & alia Lemovicenſis Synodus; & hâc ratione Epiphanius & ipſe Orientalis, barbam vocat dignitatem & formam viri, & in Meſſalianis uſum barbam radendi reprehendit, quia non aliquâ ratione ducti, ſed vanitate & ambitione affectatam quamdam juſtitiæ ſpeciem in congreſſu & conſuetudine præferentes.

VII. Hæreſis hæc, quæ ſub ſpecie Catholica aliquandiù latuit, non enim ab Eccleſiæ communione ejus profeſſores ſe ſeparabant; detecta tandem, & maximè Adelphii confeſſione Flaviano factâ, ad eam extirpandam Paſtorum zelum valdè commovit. De quo Photius Cod. 52. Primus eam confixit Amphilochius Iconii Epiſcopus in Synodo quam cum aliis viginti quinque Epiſcopis Sidæ in Pamphylia coegit; datiſque ad Flavianum Antiochenum Synodicis Literis, iſte aliam indixit Synodum, ad quam tres Epiſcopi Bizas Seleuciæ, Maruthas Supharenorum, Sami (cujus Epiſcopatus tacetur) cum aliis triginta tum Presbyteris tum Diaconis

nis acceſſere. Noluit tamen hæc Synodus Adelphium quamvis pœnitentiam profitentem hæreſimque abjurantem admittere, quòd nec pœnitentiam ejus veram, nec abjurationem ſinceram eſſe dignoſceret, imò & ipſe cum ſuis è Syria ejectus in Pamphyliam ſeceſſit. Ex quo ſurgit dubium, an hæc Flaviani Synodus Amphilochii Synodum ſubſecuta ſit, an potiùs præceſſerit, cum Meſſaliani è Syria à Flaviano ejecti, in Pamphyliam ubi erat Amphilochius ſeceſſerint.

VIII. Fama de hac hæreſi crebreſcente commoti ſunt aliarum regionum Epiſcopi. Litojus Armeniæ Epiſcopus, cuidam illius regionis Epiſcopo de ea fortè infecto acres literas ſcripſit. Idem fecit Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopis in Pamphylia exiſtentibus. Idem Siſennius ejus ſucceſſor, idem Joannes Antiochenus. S. Ephræm moriturus Meſſalianis imprecatus fuit in ſuo Teſtamento. S. Hieronymus etiam in Prologo Libri adv. Pelag. eos vocans *totius Syriæ hæreticos*. Damnati tandem fuere, ipſo Photio referente, in Synodo Œcumenica Epheſina anno 431. his verbis: *Definitio contra impios Maſſalianitas, qui & Euchetæ & Enthuſiaſtæ quoquè appellantur*: in qua approbatur Libellus Synodicus à Siſinnio contra ipſos editus.

Non tamen extincta fuit hæc peſtis. Imò S. Maximus Abbas de Meſſalianis eorumque infamibus moribus tanquam ſeculo 7. adhuc ſubſiſtentibus loquitur. Photius ipſe Sectam hanc in Cappadocia ſuo tempore renovatam teſtatur. Quin & ſeculo 14. aliqua ejus ſemina apud Græcos in Barlaamo & Acindyno pullulaſſe colligi videtur ex Pſeudoſynodo dicta Palamitica, ubi leguntur hæc verba: *Quin etiam Maſſalianis dicentibus, in participatione Divinæ eſſentiæ conſtitui eos qui apud ipſos eſſent purgati, proferentibuſque illud Evangelicum* (Joann. 14. v. 23.) „ Ego & Pater veniemus, & manſionem apud eos faciemus „: *& hoc juxta ſuam impietatem valdè ſurdè detorquentibus; quæ contra eoſdem Maſſalianos conflata eſt Synodus, eorum ſceleſtam opinionem confutans*: „ Fit quidam, *inquit*, adventus Paracleti, & inhabitat Deus in his qui digni ſunt, ſed non ut ſe habet natura Deitatis „. At eorum errores percurramus.

§. II.

Maſſalianorum errores.

I. Varii Maſſalianis tribuuntur errores. Primò enim dicebant, Baptiſmum nihil juvare eos qui ad eum accedunt. Inſtar enim Novaculæ radit priora peccata; peccati autem radicem

cem non tollit. Ita Theodoritus Lib. 4. Hæret. Fab. Huic errori ſubſcribere videntur Hæretici noſtri temporis, Luthero, Calvino, & Suencfeldio ducibus; qui adeò inefficacem docent Baptiſmum, ut animæ ſordes expiare negent, ſed tantùm tegere dicant, & peccatum ipſum manere, ſed ſolùm non imputari. Cùm Chriſtus apertè dicat, hominem per Baptiſmum renaſci Jo. 3. v. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Unde Paulus ad Coloſs. 2. dicit, quòd cùm mortui eſſemus in delictis, conſepultos Chriſto in Baptiſmo *Convivificavit nos cum illo donans nobis omnia delicta*; & Petrus Epiſt. 1. cap. 3. v. 21. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma*. E contra verò Maſſaliani teſte Adelphio ſupra relato dicebant, ex *Divino Baptiſmo nullam utilitatem obvenire iis qui illum conſequi meruiſſent*. Ideòque Damaſceno referente Lib. de Hæreſ. aſſerebant, *hominem etiam poſt Baptiſma ſuſceptum in maſſa peccati eſſe*. Nihil etiam Euchariſtiam prodeſſe dicebant ex Theodorito Lib. 4. Hiſt. cap. 11. nimirùm: *Nec prodeſſe quicquam eſcam Divinam, nec nocere, cùm Dominus noſter Jeſus Chriſtus ita loquitur* „ Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, vivet in æternum „.

II. Secundò: Totam ſalutis vim & efficaciam precibus & orationi tribuebant: & hic erat eorum palmaris error; hâc enim totam peccati radicem unicè evelli effutiebant, ideòque orationi perpetuò vacare eorum Sectæ inſtitutum erat, à quo *Euchitæ*, teſte S. Auguſtino ſupra allato, ideſt *orantes* dicti ſunt: abutentes enim Domini dicto, *Oportet ſemper orare & non deficere*, diù noctùque ſinè intermiſſione orationi vacabant, huic ſoli, non fidei in Chriſtum, non Sacramentis, non bonis operibus ex Dei gratia factis ſalutem tribuentes.

Hinc apparet inſana Danæi calumnia, qui ubi de Meſſalianis dixit, eos fuiſſe ſtultos, quòd Sacramenta, & Verbum Dei contemnerent; & ſuperbos, quòd ſuis precibus & orationibus ſalutem ſuam & aliorum devincirent, addit „ Quod tamen utrumque ætatis noſtræ Monachi ſentiunt & faciunt „. Quâ fronte homo niſi livore obcæcatus, hoc, non dicam loqui, ſed vel cogitare potuit? Quis enim magis quàm Monachi ſanæ Verbi Dei prædicationi, rectæ Sacramentorum adminiſtrationi, fidelibus in fide inſtruendis, & ad bona opera excitandis incumbit? Quis ardentiori zelo pro fide Catholica pugnat, & in hæreſes invehitur, quàm Monachi? At hoc eſt quod Danæo diſplicet. Habent Monachi horas, quibus precibus quotidie vacant: ſed habent etiam horas, quibus proximorum ſaluti publicè in Eccleſia deſerviunt, vitæ contemplativæ & activæ ſimul ſtudentes. Fuere non nego, & hâc ætate etiam

ſunt

ſunt Monachi, qui ſolitariam in Monaſteriis vitam degunt, ſed hos Meſſalianis impiè accenſebit Danæus: hi enim, præter preces, vitam in macerationibus aliiſque ſanctis exercitiis traducunt, omnia propter Chriſtum relinquentes. Sed ut quiſquis videat, quantum à Meſſalianis Monachi diſtent, ſequentia manifeſtabunt.

III. Tertiò: Satanam in homine à nativitate habitare dicebant, ideòque, ut ſupra ex Epiphanio, illum ut Numen, ne eis noceret, colentes *Sataniani* dicti fuere. Hunc ſolâ Oratione ejici poſſe aſſerebant, eiſque orantibus ſub forma porcæ vel excrementi viſibiliter egredi, atque Spiritum Sanctum ei viſibiliter ad modum flammæ ſuccedere. Ita refert S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. 57. De hac inſania Theodoritus Lib. 4. Hæret. Fab. ait: *Perpetua autem oratio, & peccati radicem radicitùs evellit, & malum Dæmonem, qui ab initio ſorte datus eſt, ab anima expellit. Dicunt enim unumquemque hominem, cùm naſcitur, protinus ſequi Dæmonem, eumque ad improbas & ſceleratas actiones incitare: eum autem nec Baptiſmum, nec aliquid aliud poſſe ab anima exigere, præterquam ſolam orationem: egredi autem dicunt inhabitantem per mucum & ſputorum excrementa.*

Eadem fuſiùs referens Damaſcenus Lib. de Hæreſ. de Maſſalianis: *His*, inquit, *addiderunt Eccleſiarum ac ſacrorum Altarium contemtum. Non decere Monachos Eccleſiaſticis intereſſe conventibus: ſatiſque illis eſſe, quas in ſuis Oratoriis preces fundunt. Tantam enim precum vim eſſe dicant, ut ipſis atque ipſorum diſcipulis Spiritus Sanctus ſenſibili modo viſendum ſe præbeat. Quippè nugantur, eos qui ſalutem velint conſequi, eâ perſeverantia nihil prorsùs aliud negotii agentes, orationi vacare debere, donec peccatum inſtar fumi alicujus, aut ignis, aut ſerpentis, aut cujuſpiam ejuſmodi belluæ, orationis vi expellatur, ac per preces ſenſibili modo diſcedat; ingreſſum verò Spiritus Sancti ſenſu quoque ipſo ſuſcipientes, perſpicuum animo ejuſmodi ingreſſus ſenſum habeant; hancque veram eſſe Chriſtianorum communionem. Nec enim per Baptiſmum, nec per manuum impoſitionem ullo modo Spiritus Sancti participes fieri qui Baptiſmo tinguntur, niſi aſſiduitate majori orationi incubuerint. Quin etiam ſinè Baptiſmo Spiritus Sancti participem fieri poſſe, modò apud ipſos perſeverare voluerit, ſuáque doctrinâ imbutus fuerit: ut cùm Presbyteri quidam dixiſſent eis: nos Spiritum Sanctum per fidem haberi confitemur, non verò per ſenſum; ipſi polliceri minimè dubitaverint, illis quoque Spiritus ſenſum datum iri, ſi cum ipſis orare velint.* Eò devenerat ſtulta iſtorum arrogantia.

IV. Quartò: His, ut dixi, addebant, ſe pares eſſe Prophetis, Patriarchis, Angelis, ipſi Chriſto. Spiritu nequam abrepti plures

revelationes jactabant & prophetias effundebant, imò ſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum oculis corporeis orantes videre gloriabantur, in hoc Anthropomorphitis adhærentes, qui Deum corporeum ſibi fingebant. De hoc Theodoritus L. 4. Hær. Fab. Hinc ridicula quædam perpetrabant, ſcilicet in repentinos ſaltus erumpentes, & digitis jaculantium ſpeciem præſeferentes, dicenteſque ſe in Dæmones jaculari, & ſuper eos ſaltare, cum veriùs Dæmones in eos inſilirent; ideòque Enthuſiaſtarum nomen acceperunt. Quos qui hodie in Anglia vocantur *Quaberi* imitantur.

V. Quintò: Præter aſſiduam orationem, quam ſolam ſufficere ad ſalutem putabant, nullum aliud opus admittebant, ſpirituales ſe vocantes. A jejunio abhorrebant, & quamvis bonis omnibus renuntiaſſent, nulli tamen operi vacare, ſed ſolo quæſtu vivere volebant, & hoc ſibi ſolis jure deberi, non viduis, pupillis, aliiſque impotentibus, impiè aſſerentes. Ita refert Damaſcenus citato loco dicens: *Ad hæc, manuum operas rejiciunt, velut quæ Chriſtianos dedeceant. Præſertim verò ſuam in pauperes inhumanitatem promunt. Ajunt enim neque his qui ſtipem publicè mendicant, aut quæ viduæ relictæ ſunt, iiſve qui adverſâ fortunâ utuntur, vel corpore mutili, vel morbis afflicti, vel acerbis creditoribus obnoxii, vel latronum aut barbarorum incurſionibus attriti, aliiſque calamitatibus in vitæ anguſtias ac egeſtatem detruſi ſunt, eleemoſynarum ope haudquaquam ſubventum iri oportere, qui ſe ſe bonis abdicant, aut etiam per eos, qui beneficentiæ in primis ſtudent: ſed ſibi potiùs ipſis ſubminiſtranda omnia. Se enim veros eſſe pauperes ſpiritu.*

VI. Iniquè tamen agebant. Tum quia verè egenis, nec habentibus, unde ſibi providere poſſent, nec ipſi, nec cæteros ſubvenire volebant, contra mandatum Domini de ope illis præſtandâ adeò ſolliciti, ut quod ipſis fiet, ſibi factum reputet Matth. 25. & ſuper hoc ſpeciale judicium ſe in noviſſimo die inſtituturum proteſtetur. Tum quia peto ab eis; quo jure hoc ſibi, qui in turpi otio vivere volebant, vindicabant? Nam vel erant laici: & hi domus ac familiæ curam gerere debebant, dicente Paulo 1. ad Tim. 5. v. 8. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Vel erant Eccleſiaſtici, Presbyteri, aut Epiſcopi: & his quoque præcipit idem Paulus domus ſuæ curam habere 1. ad Tim. 3. v. 5. nam: *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Vel erant Monachi: At cur non imitabantur Ægypti Monachos, qui tempore quod orationi ſupererat, manibus ſuis victum ſibi & aliis indigentibus providebant? Fateor Verbi Dei Miniſtris, ab eis quibus miniſtrant neceſſaria ad victum parari de-

debere, ut ait Apoſtolus 1. Cor. 9. quamvis hâc poteſtate uſum ſe non fuiſſe dicat. Sed hoc debetur iis qui altari deſerviunt, qui Chriſti vineam colunt, qui gregem doctrinis paſcunt. Hoc autem titulo Meſſaliani, qui altari ſervire, imo & Eccleſiaſticis conventibus intereſſe dedignabantur, ſibi uſurpare quo jure poterant? Sed quænam forent eorum exercitia videamus.

VII. Sextò: Tempus, quod orationi ſupererat, dormiendo inſumebant, & quidem promiſcuè cum mulieribus, Epiphanio teſte Hæreſ. 80. num. 3., nihil non pro ſua libidine facientes, & cibo potuque ſe ingurgitantes. Et quamvis de eorum turpitudine ac flagitiis nihil certi ſe comperiſſe dicat; eorum tamen conſuetudo quâ promiſcuè viri cum mulieribus cubabant, probat, eos à flagitiis nequaquam non abhorruiſſe. Cùm vero ſuis erroribus etiam hunc accenſerent, quòd de ſua Secta interrogati licitè etiam cum juramento eam negare poſſent: & alioquin externo habitu vitam in aſſiduis precibus, auſtero tractu & humili veſte præſeferrent, in ſumma æſtimatione à populo habebantur, ut Damaſcenus de illis dicat: *Adeò omni illos ſtudio colunt, honoribuſque proſequuntur, ceù nulli jam obnoxios peccati periculo, eòque perfectionis progreſſos, ut jam omni relaxatione frui, exquiſitis veſci cibis, ſplendido comitatu tumeſcere, deliciiſque omnibus tutò planè affici poſſint. Horum autem multi, tali accepto apud eos perfectionis teſtimonio, cum extraneis (quos nec Chriſtianorum nomine dignos recenſent) degentes, in varia obſcena flagitia, pecuniarum furta, & fornicationes incidere deprehenſi ſunt.*

VIII. Alia, tùm erronea, tùm ſceleſta de iis profert præter enarrata idem Damaſcenus Lib. de Hæreſ. Erronea quidem, quòd ſentirent, Primò: *Animam ſic affici oportere ſenſu participationis cæleſtis Sponſi, ut afficitur mulier ex congreſſu viri.* Secundò: *Spirituales homines intus foriſque peccatum videre, necnon gratiam quæ infunditur, & quæ operatur.* Tertiò: *Revelationem eſſe quæ fiat in ſenſu, & Divinâ Perſonâ, tamquam doctrinâ.* Quartò: *Ignem conditorem eſſe.* Quintò: *Animam non habentem Chriſtum in ſenſu omnique actione, ſerpentum eſſe ac venenatarum beſtiarum, hoc eſt adverſariæ omnis virtutis, domicilium.* Sextò: *Mala naturâ conſtare.* Septimò: *Ante violatum præceptum Adamum cum Eva abſque ullo libidinis æſtu congreſſum eſſe.* Octavò: *In Mariam ſemen & Verbum cecidiſſe.* Nonò: *Hominem oportere duplici animâ præditum eſſe: unâ quam hominibus communem dicunt, alterâ quam cæleſtem.* Mitto cætera, præcipuum eorum errorem de viſibili Spiritus Sancti adventu, & de Baptiſmi inefficacia, exponentia.

Sceleſta verò & legibus adverſa, ex eodem Damaſceno ſunt,

M 2 Primò:

Digitized by Google

Primò: *Legitimas nuptias nulla prorsùs de cauſa dirimunt, & eos qui à conjugio receſſerunt, veluti monachos recipiunt, ac beatos jactitant*. Secundò: *Parentibus auctores ſunt, ut alendorum liberorum curam omittant, eoſque ut omnia ſua illis afferant, dementare norunt*. Tertiò: *Servos à Dominis profugos ultrò excipiunt: illos item qui variis criminibus obnoxii ad ſe confugiunt, nullo pœnitentiæ edito fructu, nullâ Sacerdotum auctoritate muniti, nullâ habitâ ratione graduum, quos Eccleſiaſtici canones pœnitentibus præſcribunt, omni ſe ſtatim peccati labe mundaturos pollicentur; modò quis jactatam totiès orationem apud ipſos exercens extemporaneus diſcipulus ipſorum verſutiæ ac fraudis acceſſerit. Adeò planè ut & quoſdam ejus generis peccatorum vinculis nondum exemtos, in Clericos ordinandos offerant, illorum, qui monaſticæ obſervantiæ laude apud ipſos præſtant, teſtimonio deceptis Epiſcopis, ut illis manus imponant. Hoc autem illi ſatagunt, non quaſi Clericorum gradus multi faciant; quippè cùm ipſos etiam Epiſcopos, quando libuerit, aſpernentur: ſed quòd poteſtatem aliquam & auctoritatem aucupentur*. Quartò: *Quidam autem eorum numquam ſacris myſteriis communicandum volunt, niſi Spiritus Sancti adventus illâ horâ ſenſibilis ipſis fuerit*. Quintò: *Nonnulli etiam abſcindi naturalia membra permittunt iis qui voluerint*. Sextò: *Excommunicationes autem facilè contemnunt*. Septimò: *Jurant etiam ac pejerant abſque ullo metu: & ſuam ipſorum hæreſim ſubdolè ejurare non dubitant*. Hactenus Damaſcenus.

IX. Hâc hæreſi ſuo Operi adversùs octuaginta Hæreſes finem imponit Epiphanius, quod *Panarium* ideſt *Arculam* ideò inſcribit, quia, ut ipſe ait in Epiſtola ad Acacium & Paulum, in quorum gratiam illud compoſuit, voluit eſſe tanquam arculam medicam, contra venenatos hæreſum morſus antidota continentem. *Panarium*, inquit, *ſive arculam medicam, ad eorum qui à ſerpentibus icti ſunt remedium, jure opus illud ac librum interpretabimur, qui in tres partes diviſus, hæreſes octoginta complectitur, quæ ſerpentum ac reptilium ſimiles ſunt*. Meritò autem in Maſſaliana hæreſi ut in termino pedem fixit, quia ut ex dictis obſervare quiſque poterit, omnium ferè hæreſum compendium & collectio quædam eſt.

CA-

CAPUT LV.

De Metangiſmonitis.

§. I.

Unde ſic dicti, & quando orti.

I. Quæ ſequuntur hæreſes ex Philaſtrio excerpſit S. Auguſtinus. Hi ergo non ab Auctore (quis enim fuerit ignoratur) ſed ab errore; nam Metangiſmonitæ, aut Metangæi dicti ſunt à voce græca *Angios*, quæ latinè redditur *Vas*, unde à voce *Metangiſmo*, quæ idem eſt, ac invaſatio ſeu tranſvaſatio, Metangæi, ſeu Metangiſmonitæ, ideſt tranſvaſatores, vel invaſatores nuncupati ſunt; eò quia, ut dicam, docerent, Filium eſſe in Patre, ut vas minus intra vas majus. Ita eos deſcribit S. Auguſtinus cap. 58. *Metangiſmonitæ dici poſſent, qui & Metangiſmon aſſerunt, dicentes, ſic eſſe in Patre Filium, quomodo vas in vaſe, quaſi duo corpora carnaliter opinantes, ita ut Filius intret in Patrem tamquam vas minus in vas majus. Unde & tale nomen hic error accepit, ut* Metangiſmos *græcè diceretur*, Angion *quippè illâ linguâ vas dicitur, ſed introitus unius vaſis in alterum. Latinè verò uno non poteſt dici, ſicut græcè potuit* Metangiſmos„; niſi fortè dicatur, quod græco metangiſmo correſpondeat latinè invaſatio vel convaſatio, ut ſuprà. Eadem huic hæreſi datur interpretatio in Decreto Cauſa 24. Qu. 3. Can. 39. Macri verò in Hierolexico putat, Metangiſmonitas dictos eſſe à *Meta* & *Ango*, ideſt termino anguſtiato & coarctato, qui & *Metangi* dicebantur: nam termino anguſtiabant Filium in Divinis, aſſerentes illum reſpectu Patris eſſe tanquam contentum in continente. Prior tamen interpretatio communior eſt.

II. Tempus, quo emerſit hæc hæreſis, incertum eſt. Philaſter Hæreſ. 51. eam recenſet immediatè poſt Tatianum, Montanum, & Theodotum. Sed an ordinem temporis ſequutus ſit, non liquet. Quòd ſi hoc admittatur, dici debebit, hanc hæreſim prodiiſſe ætate Artemonis, & Theodoti ſub Imperio Heliogabali, & Pontificatu Urbani Papæ circa annum Domini 221. Ita Prateolus. Alii tamen conſiderantes, hæreſim hanc partem à Sabellianis accepiſſe, nempè Divinarum Perſonarum confuſionem: partem ab Arianis ponendo Filium minorem Patre, ſicut vas in illo ut majori contentum, partem ab Anthropomorphitis Patrem & Filium,

ceù

ceù res corporeas proponendo, harum hæreſum fruticem infelicem eſſe, & proinde ætate poſteriorem autumant.

III. Ubi verò, & apud quos primùm invaluerit, ſicut & quamdiù duraverit, latet, cùm pauci de ea ſcripſerint. Lambertus Danæus cap. 58. putat, hunc errorem fuiſſe vel notum, vel renovatum Damaſceni ætate, ſeculo videlicet octavo. Quod colligere ſe putat, quia Damaſcenus Lib. 1. de Fide Orthodoxa totus eſt in oſtendendo Divinas Perſonas neque confundi, neque alias ab aliis comprehendi, ſed unius eſſe eſſentiæ virtutis & operationis. Indè nobis maledicendi & calumniandi numquam ſatur Danæus, hæc addit „ Inde (ex hac hæreſi) natum eſt monſtroſum illud Scho-
„ laſticorum Theologorum dogma de Circuminſeſſione Perſona-
„ rum, quam vocant, quia Jo.14. v.11. ſic ait Chriſtus: Credite
„ mihi, me in Patre, & Patrem in me eſſe: quem illi locum nun-
„ quam intellexere „. Quis autem locum illum benè intellexerit, ipſe an Theologorum Schola, inferiùs demonſtrabo.

§. II.

Hæreſis, & Danæi calumniæ diſſipatio.

I. MEtangiſmonitarum ex dictis error in hoc verſabatur, quòd dicerent Filium eſſe in Patre ſicut vas minus in vaſe majori: & movebantur ex enuntiato dicto Chriſti, *Ego ſum in Patre*, corporali modo illud accipientes: cùm hoc Chriſtus dixerit ad oſtendendum unam ſibi eſſe cum Patre eſſentiam, non quòd corporali quodam ſitu vel complexu una Perſona alteram ambiat, conſtringat, claudat & amplectatur. Hoc enim triplicem errorem continet: Sabellianum, quia Perſonas confundit: Arianum, quia Filium minorem Patre facit, ſicut vas vaſe in quo continetur minus eſſe debet: & Anthropomorphitarum, dum Deum Divinaſque Perſonas facit corporeas. Ipſa autem Chriſti verba ejus vanitatem demonſtrant: non ſolùm enim dixit *Ego in Patre*, ſed & *Pater in me eſt*. At ſi Pater major Filio eſſet, ſicut vas majus vaſe minori, quomodo poſſet dicere *Pater in me eſt* cùm certè vas majus in minori nequeat contineri?

II. Audiant Hilarium Lib. 7. de Trinitate num. 39. *Pater igitur in Filio eſt, & Filius in Patre, Deus in Deo: non per duplicem convenientium generum conjunctionem, neque per inſitivam capacioris ſubſtantiæ naturam, quia per corporalem neceſſitatem, exteriora fieri his quibus continentur interiora non poſſunt: ſed per nativitatem viventis ex vivente natura; dum res non differt, dum naturam Dei non*

Digitized by Google

non degenerat nativitas, dum non aliud aliquid quàm in Deum ex Deo Deus naſcitur, dum nihil in his novum eſt, nihil alienum, nihil ſeparabile, dum in Patre & Filio credere Deos duos impium eſt, dum Patrem & Filium ſingularem Deum prædicare ſacrilegum eſt; dum Deum ex Deo, quod in ſimilitudine generis unum ſint negare blaſphemum eſt. Ita Hilarius.

Etiam S. Thomas in cap. 14. Joannis Lect. 3. *Hoc autem quod dicit* „ Ego in Patre &c. „ *dicitur propter eſſentiæ unitatem, de qua dicitur ſupra* „ Ego & Pater unum ſumus „. *Sciendum eſt enim quòd eſſentia aliter ſe habet in Divinis ad perſonam, & aliter in hominibus. Nam in hominibus eſſentia ſortis non eſt ſortes: quia ſortes eſt quid compoſitum. Sed in Divinis eſſentia eſt idem Perſonæ ſecundùm rem, & ſic eſſentia Patris eſt Pater, & eſſentia Filii Filius. Ubicumque ergo eſt eſſentia Patris eſt ipſe Pater, & ubicumque eſt eſſentia Filii, eſt ipſe Filius. Eſſentia autem Patris eſt in Filio, & eſſentia Filii eſt in Patre: Ergo Filius eſt in Patre, & Pater in Filio.*

III. Hæc eſt Divinarum mutua in ſe invicem manſio, quam Theologi Catholici à Patribus edocti *Circuminſeſſionem* vocant, & quam Danæus capere, vel non valens, vel non volens, *monſtruoſum dogma* appellat. De hac egi Tom. 4. in 1.p. Tract. de Trinit. Qu. 4. Dub. 3. §. 3. Quaſi monſtruosè locutus eſſent Auguſtinus Lib. 6. de Trinitate cap. 10. dum ait: *Cæterum in illa ſumma Trinitate tantum eſt una, quantum tres ſimul; nec plus aliquid ſunt duæ, quàm una: & in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in ſingulis, & omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.* Et S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum cap. 1. *Per hanc*, inquit, *unitatem naturalem totus Pater in Filio, & totus Filius in Patre & Spiritu Sancto eſt; totuſque Spiritus Sanctus in Patre & in Filio eſt. Nullus horum extra quemlibet ipſorum eſt.* Hanc mutuam Perſonarum unius in alia inexiſtentiam Theologi noſtri contra Arianos *Circuminſeſſionem* appellant.

Hâc etiam Sabellianos confligunt. Si enim una Perſona Divina viciſſim inſidet in alia, non ſitu ut volebant Metangiſmonitæ, & Danæus fingit, ſed unitate eſſentiæ, jam non una, ſed plures in Trinitate Perſonæ erunt. Ita Cyrillus Alexandr. L. 12. Theſauri: *Eo ipſo quòd ait Chriſtus, hunc in illo, & illum in hoc videri, identitatem Deitatis, & unitatem ſubſtantiæ monſtrari dicit. Cùm autem alterum in altero ineſſe aſſerit, excludi illud, ut ne quis unum aliquid eſſe numero putet.*

IV. Quemadmodum ergo Patres Nicæni, ut Filii unitatem in eſſentia cum Patre contra Arium, & ſimul diſtinctionem in Perſona contra Sabellium voce *Homouſios*, ideſt Conſubſtantialis,

quæ

quæ utrumque errorem configit, uſi ſunt: Et quemadmodum Eccleſia Catholica adversùs negantes in Euchariſtia ſubſtantiam panis & vini converti in Corpus & Sanguinem Chriſti, vocem *Tranſubſtantiationis* adinvenit: ſic, ut exponat verum ſenſum verborum Chriſti *Ego in Patre & Pater in me eſt*, vocem Circuminſeſſionis uſurpat.

V. Nec eſt hæc Scholaſticorum recens inventum, ut obtrudit Danæus, cùm à ſeculo ſeptimo eam uſurpaverit Damaſcenus L.1. de Fide Othodoxa cap. 19. ubi ait: *Perſonarum in ſe invicem manſio & inſeſſio (hæc enim divelli nequeunt in ſe invicem Circuminſeſſionem confuſionis expertem ſervantes, non ut contrahantur & permiſceantur, ſed ut ſimul cohæreant) Filius enim in Patre & Spiritu Sancto eſt: Spiritus item in Patre & Filio: ac denique Pater in Filio & Spiritu Sancto: ſic tamen ut nulla permixtio ſit, aut confuſio. Unus item & idem motus. Una enim & eadem trium Perſonarum proſultatio, unaque motio eſt: quod quidem in creata natura perſpici nequit.* Non ergo audiendus eſt Danæus ſuper hoc dogmate & Circuminſeſſionis voce carpens Scholaſticos. Plura de ea dixi Tomo 4. in 1. p. locis ſupracitatis, quæ repetere ſupervacaneum eſſet: cùm de dogmate hic agam, non de voce.

VI. Ad Metangiſmonitarum errorem, ſeu veriùs ſtultitiam rediens, eam Philaſtrii Hæreſ. 51. verbis dimittam: *Sunt alii*, inquit, *dicentes* Metangiſmon, *ideſt Filium intrare in Patrem, & ut vas in vaſe ineſſe, ignorantes quod afferant, cùm Salvator non dixerit Filium in Patrem intrare, ſed æqualitatis cauſam in Divinitate & potentia docuerit, non introitum aut continentiam, ut illi æſtimant, impartitam. Et ſeparant ſe à Catholica Eccleſia, propter illos ſuos Pſeudoprophetas inſaniunt, id ſentientes & non intellligentes, quòd qualis immenſus eſt Pater, talis eſt Filius, talis eſt & Spiritus Sanctus, æqualis in omnibus; ita ut ſit immobilis Trinitas, immenſa & omnipotens, atque ſempiterna ubique, quæ nobis nuntiatur ex Sanctis Scripturis apertiſſimè, ut & ſint tres Perſonæ viventes in perpetuum, & æquales in omni majeſtate & potentia: Filius tamen & Spiritus Sanctus de Patre ſint propriè.*

CA-

CAPUT LVI.

De Seleucianis, ſeu Hermianis.

§. I.

Qui, & ex quo fuerint.

I. De his dicit S. Auguſtinus cap. 59. *Seleuciani ſunt vel Hermiani ab auctoribus Seleuco, vel Herma, qui elementorum materiam, de qua factus eſt Mundus, non à Deo factam dicunt, ſed Deo coæternam. Nec animam Deo tribuunt creatori, ſed creatores eſſe animarum Angelos volunt de igne & ſpiritu. Malum autem aſſerunt eſſe aliquando à Deo, aliquando à materia. Negant, Salvatorem in carne ſedere ad dexteram Patris, ſed eâ ſe exuiſſe perhibent, eamque in Sole poſuiſſe, accipientes occaſionem de Pſalmo, ubi legitur*,, In Sole poſuit tabernaculum ſuum,,. *Negant etiam viſibilem Paradiſum. Baptiſmum in aqua non accipiunt. Reſurrectionem non putant futuram, ſed quotidie fieri generationem filiorum*. Ita de his Auguſtinus.

II. Philaſter autem Hæreſ. 55. *Quæ eſt*, inquit, *hæc vanitas Galatarum Seleuci & Hermiæ hæreticorum? qui cum volunt Deum eſſe corporeum, hylen etiam, ideſt materiam Mundi, coæternam eſſe cum Deo aſſerunt, & materiam quidem elementorum, quæ eſt ſinè anima, irrationabilis ſcilicet, quæ facta eſt à Deo Patre per Filium ex nihilo, ut poſſit eſſe quæ ante non erat, non ita accipiunt: Spiritum autem hominis, ideſt animam, non factam à Deo per Filium, ſed de terra eſſe ajunt. Malum aliquando à Deo, aliquando eſſe à materia aſſerunt. Salvatorem autem in carne negant ſedere ad dexteram Patris, ſed expoliaſſe carnem & poſuiſſe in Solem æſtimant, quia dixit Propheta (cùm neſciant quid dixerit)*,, In Sole poſuit tabernaculum ſuum,,. *Paradiſum viſibilem affirmare ex Platone, & iſti vanitatibus ſervientes & animas hominum de igne & ſpiritu eſſe æſtimantes, iſto Baptiſmo non utuntur propter verbum hoc quod dixit Joannes Baptiſta* (Marci 1. v.8.),, Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne,,. *Iſti Angelos dicunt creatorem eſſe animarum noſtrarum, non Chriſtum Salvatorem. Mundum autem iſtum Infernum eſſe aſſerunt: & reſurrectionem in filiorum procreatione hanc eſſe prædicant, quæ fit in humano genere quotidie, non illam immortalitatis futuram atque glorioſam annuntiant expectantes*. Hæc Philaſter more ſuo ſatis obſcurè.

Digitized by Google

III. De hujus hæreſis auctoribus, de tempore quo exorta fuit, & an una, an duæ permixtæ & conjunctæ fuerint, dubium, & quidem non leve eſt, ex eo maximè ortum, quòd præter Philaſtrum, & ex ipſo Auguſtinum, nemo Veterum, nec Epiphanius, nec Damaſcenus illius ſub hoc nomine meminerit. Hujus hæreſis auctores Seleucum & Hermiam Philaſter facit. S. Auguſtinus disjunctivè loquens *ab auctoribus Seleuco* vel *Herma* prodiiſſe dicit. Philaſter utrumque origine Galatam fuiſſe aſſerit: unde hanc hæreſim vocat *Vanitatem Galatarum*. S. Auguſtinus utriuſque patriam reticet. Obſcurum etiam eſt, an Seleucus, & Hermas, ſeu Hermias eodem an diverſo tempore vixerint. De Seleuco auctore hæreſis ſoli præcitati Patres loquuntur, qui an coævus Hermæ, aut quo tempore vixerit, non indicant. De Herma verò ſeu Hermia diſſident Auctores.

Aliqui enim Hermam hujus hæreſis auctorem putant illum fuiſſe, qui, ut ſupra dixi, fuit unus ex Sectæ Maſſalianorum unà cum Daddoe, Sabba, Adelphio, Simeone conditoribus: ideòque hujus hæreſis ortum referunt ad annum Chriſti 388. Valente & Valentiniano Imperatoribus, & Siricio Romano Pontifice. Ita Prateolus. Sed quin huic opinioni aſſentiar, obſtat Primò, quia inter Auctores Maſſalianorum cum Herma Seleucus non recenſetur, cùm hæc hæreſis utrique tribuatur. Secundò, quia hujus hæreſis errores ab erroribus Maſſalianorum valdè diverſi ſunt, ut ex ſupradictis conſtare poteſt.

IV. Cùm ergo plures Hermæ ſub Hermiæ nomine extiterint hæretici; nam præter præfatum fuit Hermas Anthropomorphitarum fautor: fuit & Hermas unus ex Manetis diſcipulis, de quo Theodoritus Lib. 1. Hæret. Fab. ab iſto potiùs perniciosam hanc hæreſim fluxiſſe crediderim, alio nomine Hermogene dicto: contra quem adhuc viventem ſcripſit Tertullianus Librum, & ab iſto Hermianos ſeu Hermogenianos ejus aſſeclas dictos fuiſſe. Qui licèt Manichæorum hæreſim ſubſtantialiter profiterentur, quædam tamen ut tutiùs in hæreſi jam damnata & exoſa latere poſſent, interpolarunt, & mutarunt, ut diverſi ab illis viderentur. Ex eodem putido fonte emerſiſſe cenſeo Seleucianos, Hermianis tamen tempore poſteriores, nempè Hermogenianos ſeculo III. deſinente, Seleucianos verò ſaltem ſub hoc nomine ſeculo IV. Ita divinando potiùs, quàm aſſerendo locutus ſum.

§. II.

§. II.

Eorum errores refutati.

I. DE his duabus hæreſibus ſeptem errores refert S. Auguſtinus, Primùm, quòd elementorum materia, de qua factus eſt Mundus, non ſit à Deo facta, ſed Deo coæterna. Hic fuit præcipuus Hermogenis error; quem Manes aliter veſtitum ſuum fecit. Vulgariſſimam fuiſſe apud Hæreticos quæſtionem, unde ſit malum, & de eo quod materia facta ſit dicit Theodoritus Lib. 5. Decret. Porrò materiam eſſe increatam & Deo coæternam à Stoicorum ſchola Hermogenem hauſiſſe, teſtis eſt Tertullianus in Lib. adversùs eum cap. 1. ubi ait: *Totum quod eſt Deus aufert, nolens illum ex nihilo univerſa feciſſe. A Chriſtianis converſus ad Philoſophos, de Eccleſia in Academiam & Porticum, indè ſumſit à Stoicis materiam cum Domino ponere, quæ ipſa ſemper fuerit, neque nata, neque facta, nec initium habens omninò, nec finem, ex qua Dominus omnia poſtea fecerit.*

II. Dicebat Hermogenes in ſui erroris patrocinium: Si Deus feciſſet materiam, vel eam feciſſet de ſe ipſo, vel ex nihilo: non de ſe ipſo; nam materia eſſet aliqua pars Dei, quod fieri nequit, cùm Deus ſit indiviſibilis, immutabilis, ac ſemper idem: non ex nihilo; quia Deus ſicut fuit ſemper Deus, ita fuit ſemper Dominus; non fuiſſet autem ſemper Dominus, niſi fuiſſet ſemper aliquid, cujus eſſet Dominus: fuit ergo ſemper materia Deo Domino.

III. Reſpondet Tertullianus cap. 3. & 4. Primò: Deum fuiſſe ſemper Deum, & ſemper Dominum, non tamen ſemper exercitio, niſi quando facere voluit, & habere cui dominaretur. Et hoc probat ex Geneſ. 1. & 2. ubi Scriptura ab initio & ſemper Deum ipſum nominat, Deum tamen Dominum non appellat, niſi poſt condita univerſa, ut legenti duo dicta capita conſtabit. Secundò: Poſito quòd Deus materiam non fecerit, ſed iſta ex natura ſua non nata, non facta, ſed Deo coæterna ſit, quomodo Dominus illius Deus dici poterit, quæ enim nullo indiget ut ſit, ſed à ſe ipſa eſt, ac ſemper ſinè ullo initio ſui eſſe fuit, libera ac nulli ſerviens eſſe debet, ſed æqualis Deo, & alter Deus: *Quis enim*, inquit, *alius Dei cenſus, quàm æternitas? Quis alius æternitatis ſtatus, quàm ſemper fuiſſe ac futurum eſſe ex prærogativa nullius initii & nullius finis?* Ex quo ſequitur, Deum neque ex materia quidquam facere potuiſſe; quomodo enim ex ſibi non ſubjecta materia artifex opus facere poteſt? Concludit ergo Tertullianus cap. 4. *Ita Hermogenes*

duos Deos infert : Materiam parem Deo infert. Deum autem unum eſſe oportet : quia quod ſummum ſit, Deus eſt : ſummum autem non erit, niſi quod unicum fuerit : unicum autem eſſe non poterit, cui aliquid æquabitur. Adæquabitur autem Deo materia cùm æterna ceuſetur. Quia autem dicebat : *Sed Deus Deus eſt, & Materia Materia eſt.* Reſpondet Tertullianus : *Quaſi diverſitas nominum comparationi reſiſtat, ſi ſtatus idem vindicetur. . . . Innatus Deus, an non & innata materia ? Semper Deus, an non ſemper materia ?* &c. His & aliis Hermogenem confodit Tertullianus.

IV. Hunc errorem invictè confutat Euſebius Lib. 7. Præparat. Evang. cap. 19. 20. 21. & 22. Item Lactantius Lib. 2. Divin. Inſtit. cap. 9. ubi inter alia demonſtrat, quod ſi Deus operari dicitur ex materia, quam ipſe non fecit, ad hominis imbecillitatem redigitur : *Quo igitur*, inquit, *ab homine Divina illa vis differet, ſi ut homo, ſic etiam Deus, ope indigeat aliena ? indiget autem, ſi nihil moliri poteſt, niſi ab altero illi materia miniſtretur. Quod ſi ſit, imperfectæ utique virtutis eſt, & erit jam potentior judicandus materiæ inſtitutor . . . . Sed probabile eſt, inquit, materiam rerum habere, & habuiſſe ſemper naturam ſuam & non vim ;* ſed ait Lactantius : *Quam vim potuit habere nullo dante ? quam naturam nullo generante ? Si habuit vim, ab aliquo eam aſſumſit ; à quo autem ſumere niſi à Deo potuit ? Porrò ſi habuit naturam, quæ utique à naſcendo dicitur, nata eſt ; à quo autem niſi à Deo potuit procreari ? Natura enim, quâ dicitur orta eſſe omnia, ſi conſilium non habet, efficere nihil poteſt. Si autem generandi aut faciendi potens eſt, habet ergo conſilium, & propterea Deus ſit neceſſe eſt. Nec alio nomine appellari poteſt ea vis, in qua ineſt & providentia excogitandi & ſolertia, poteſtaſque faciendi.* Plura deinde Lactantius ſubjicit pro veritate tuenda, quæ Lectori videnda relinquo ; ad ulteriora enim mihi, ne moleſtus ſim, tranſeundum eſt. Solum obſervo, Philaſtrum dicere, hoſce Hæreticos Deum corporeum eſſe, ſicut & materiam, voluiſſe. Si hoc verum eſt, cum Anthropomorphitis in hoc confundendi ſunt.

V. Secundò dicebant, Animas non eſſe à Deo creatore, ſed ab Angelis de igne & ſpiritu procreatas : ſeu de terra, ideſt, materia, ut dicit Philaſter. Utroque Scripturæ contradicebant : dicentes Angelos Animarum creatores ex igne & ſpiritu, reſiſtebant Pſalmo 103. v. 4. ubi dicitur Deo *qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*, quæ repetit Paulus Hebr. 1. v. 7. Quibus Angeli dicuntur facti à Deo ſpiritus & ignis, ſed non de ſpiritu & igne factores. Animas etiam non ab ipſis de terra factas, ſed à Deo de flatu ſuo inſpiratas declarat Geneſis c. 2. v. 7. ubi homini

mini jam de terra formato dicit: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Quare S. Thomas Lib. 2. contra Gentes cap. 86. ait: *Per hoc autem excluditur error ponentium animas ab Angelis eſſe creatas*. Hoc idem Eccleſiaſtæ 12. v. 7. confirmat Spiritus Sanctus dicens: *Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

VI. Tertiò dicebant, malum aliquando eſſe à Deo, aliquando à materia. Mirus hic iſtorum hæreticorum ſtupor, & alienus ab aliis hæreticis, qui duo principia coæterna ſtatuerunt, ut Marcitæ, & Manichæi, unum bonum & ſolius boni cauſam; alterum malum & ſolius mali principium; ubi iſti etiam Deum bonum cauſam mali faciebant. Eos ergo apertè damnat ipſe Veritatis Magiſter; dum Matth. 7. v. 18. ait: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*. Et cap. 19. v. 17. *Unus eſt*, inquit, *bonus, Deus*. Si ergo bonus eſt Deus, imò unus bonus, quomodo mali cauſa eſſe poteſt? Aut enim cauſa eſſet malorum, quæ naturâ ſuâ ſunt mala, & hæc nulla eſſe contra Manichæos oſtendi: aut malorum moralium, qualia ſunt vitia, peccata, & actus morali rectitudini contrarii: & horum Deus, qui ſummè Sanctus eſt, qui ea vetat & punit, cauſa eſſe non poteſt. Delirant ergo qui talia ſentiunt.

VII. Quartò aſſerebant, Salvatorem ad dexteram Patris non ſedere in carne, ſed cùm aſcenderet in Cœlum eam in Sole depoſuiſſe, moti ex illo Pſalmi 18. v. 5. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*. Hunc errorem à Manichæis acceperunt, qui teſte S. Auguſt. L. 2. contra Fauſt. c. 5. & L. 20. c. 2. dicebant, Chriſtum in ſuo Aſcenſu in Cœlum, Corpus, ſeu ut illi ajebant, umbram corporis in Orbe Solari depoſuiſſe, eodem Pſalmi dicto abutentes. In hoc errore fuerunt alii etiam ex Danæi pſeudoreformata ſchola, contra quos egi Tomo 4. p. 2. hujus Operis cap. 37. §. 2. 3. & 4. quæ Lectori videnda relinquo. Hoc unum addo, verſum illum Pſalmi 18. eis non favere. Nam ſi ſequamur textum hebraicum, legere cum Hieronymo debemus *Soli poſuit tabernaculum in eis*. Si autem ſequamur Vulgatam cum S. Auguſtino, & legamus *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*, ſic exponere cum eodem debemus, quòd in Sole ideſt in lumine, in manifeſto, poſuit carnem & Eccleſiam ſuam. Ita ipſe Tract. 2. in Epiſt. Joannis: *In Sole*, inquit, *poſuit tabernaculum ſuum, ideſt in manifeſto. Tabernaculum ejus, caro ejus, tabernaculum ejus Eccleſia ejus: In Sole poſita eſt, non eſt in nocte, ſed in die*. Unde eam illi ſoli non vident, qui claudentes oculos veritati, in tenebris errorum manere volunt. Ex his fuit etiam Her-

Digitized by Google

Hermogenes,qui teſte Theodorito Lib.1.Hær.Fab. *Dicebat Corpus Domini in Sole eſſe repoſitum*.

VIII. Quintò negabant, Paradiſum,in quo poſitus fuit Adam, fuiſſe viſibilem, contra verba expreſſa Geneſis 2. v. 8. & 3. v. 24. decepti fortè ex allegoriis Origenis. Ita videtur ſentire S. Auguſtinus. At Philaſter Hæreſ. 55. oppoſitum indicat, nam, ait, *Paradiſum viſibilem affirmant ex Platone* (in Phœdone). Utrumque tamen ita conciliarem, nimirùm, quòd Paradiſum, in quo collocatus fuit Adam, viſibilem fuiſſe negarent, & de hoc loquatur Auguſtinus: Paradiſum verò ad quem poſt mortem transferendi ſunt homines, viſibilem eſſe cum Platone affirmarent: & de hoc loquatur Philaſter.

IX. Sextò: Baptiſmum in aqua fieri non probabant, fortè propter elementi vilitatem. Hunc errorem à Manichæis acceperant. Cui tamen reſiſtit Chriſtus, qui in aqua Jordanis baptizari voluit, & in aqua ſuum Baptiſmum conferendum voluit; cui obſequentes Apoſtoli in aqua ſemper baptizarunt, ut apparet ex Act. 8. v. 36. & 38. de Eunucho Candacis Reginæ: & vox ipſa *Baptiſmus*, quæ latinè idem eſt ac lotio, ſeu immerſio, in aqua fieri debere ſatis oſtendit. Nec eos juvant verba Joannis Bapt. Matth. 3. v. 11. dicentis de Chriſto *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*. Nam non intendit Joannes inſtituere diſcrimen inter Baptiſmum ſuum & Chriſti, quòd ſuus conferendus eſſet in aqua, Chriſti verò non in aqua, ſed in ſpiritu & igni: ſed indicare voluit excellentiam Baptiſmi Chriſti ſupra ſuum, quòd ubi ſuus erat tantùm in aqua, Baptiſmus Chriſti daturus erat vim aquæ, Spiritum Sanctum qui ignis eſt conferendi. Ita S. Auguſt. Serm. 71. aliàs 11. de verbis Domini cap.12.

X. Hic Danæus, ut de more calumnietur, addit „ Indè factum & receptum eſt, ut à Papiſtis multa adderentur tamquam „ Baptiſmi ornamenta, & ſigna potiora ipſa aquâ, quale chriſma, ſputum, cereus, & hujuſmodi quædam nugæ; ùt eſt in „ Canone: Prima igitur de Conſecrat. diſtinct.4.„ Ita miſerrimus deſertor, velut nugas traducit antiquiſſimos Eccleſiaſticæ diſciplinæ ritus non ad ſubſtantiam (hanc enim in ſola aqua & verbis à Chriſto præſcriptis ſalvari docet) ſed ad ſolemnem Baptiſmi celebritatem inductos, ut oſtendi in Vera Eccleſia Tom.1. cap.15. §.8. n.36. & Tom.2. in 3.p. tum Tract. de Sacramentis in gen. q.9. de Ritibus Sacr. Dub. 2. tum Tract. de Bapt. q. 7. Dub. 2. ad quæ Lectorem remitto. Unde meritò Danæum & ſui ſimiles Eccleſia anathemate confixit in Tridentino Seſſ. 7. de Sacram. in genere Can.13.

XI. Se-

XI. Septimò: Reſurrectionem putabant non futuram, ſed eam quotidie fieri in generatione filiorum. Hunc errorem à Sadducæis acceptum in multos hæreticos poſt Chriſtum Simon Magus traduxit, ut ſupra vidimus. Quod verò dicebant, reſurrectionem quotidie fieri in generatione filiorum, indicat, eos admiſiſſe Metempſicoſim, ſeu animarum de uno ad aliud corpus tranſmigrationem. Imò ſi, ut ſupra probabile cenſui, Hermogenem ducem habuerunt, putaſſe etiam dicendi erunt ex Theodorito Lib. 1. Hær. Fab. *Diabolum & Dæmones eſſe in materiam refundendos*.

CAPUT LVII.

De Proclianitis, & Patricianis.

§. I.

Proclianitæ.

I. HÆreſis hujus & Auctoris nomen obſcurum eſt. Solus enim Philaſter, & ex eo Auguſtinus illius meminere, cæteris, Theodorito, Damaſceno, Iſidoro, Nicephoro, Zonara, & aliis eam prætereuntibus: item Proclianitas dictos fuiſſe ab auctore, vel Proclo, ſeu Proculo, vel Proclino, ut vult Auctor Prædeſtinati cap. 60. Cùm verò plures fuerint nomen Procli vel Proculi gerentes; fuit enim quidam Proculus, ſeu Proclus Sectæ Cataphrygarum patronus, contra quem Zephyrini Papæ temporibus diſputavit Cajus, ut refert Euſebius Lib. 2. Hiſt. cap. 25., & Lib. 6. cap. 20., & Auctor Appendicis Tertull. de Præſcript. cap. 52. *Sunt* (inquit, hæretici) *qui Kata Proclum dicuntur*. Sed cùm iſte ante Manetem & Manichæos vixerit, non videtur fuiſſe Proclianitarum Auctorem, qui poſt Seleucianos & Hermianos emerſiſſe videntur, à quibus, ut dicetur, plures errores ſumſere, ideòque à Philaſtro *Hermiorita* vocantur. Fuit alter Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus poſt Maximum, ſeu Maximianum Theodoſii Junioris temporibus, qui Joannis Chryſoſtomi diſcipulus, & amanuenſis fuit. Sed hic nec hæreticus, nec de hæreſi ſuſpectus fuit, imò ejus pietas & doctrina à Nicephoro L. 4. Hiſt. c. 37. & 38. ſummè commendatur. Reſtat ergo ut Proclus Proclianitarum dux, fuerit homo obſcuri nominis de Seleucianorum, & Hermianorum Secta, qui ut ſibi famam aucuparetur, præfatæ hæreſi alias blaſphemias addidit. Idcircò autem Proclianitarum nomen manſit obſcurum, quia in locis Galatiæ latitabant:

bant: unde Philaſtrius de eis: *Qui*, inquit, *in locis Galatiæ commorantur, & ut vulpes latitantes plurimos deprædantur.*

II. Itaque Proclinianorum errores iidem erant, qui Seleucianorum: quibus *addiderunt, Chriſtum non in carne veniſſe*. Ita S. Auguſtinus Hæreſi 60. Philaſter autem Hæreſ. 56. his verbis deſcribit: *Chriſtum autem in carne veniſſe negantes, & reſurrectionem & judicium non ſperantes, de Virgine natum eum non credentes*. Et Auctor Prædeſtinati c. 60. *Dicunt iſti, Dei Filium ſic paruiſſe in terris, ſicut Raphaelem Angelum, aut Gabrielem, non carne aſſumtâ, ſed viſâ*. Hæc ergo erat propria hujus hæreſis blaſphemia, à Marcionitis Manichæis & aliis hauſta, Chriſtianæ Religionis fundamentum evertens, Chriſtum ſcilicet in carne (vera) non veniſſe: contra quam S. Joan. Epiſt. 1. cap. 3. v. 2. & 3. *Qui confitetur*, inquit, *Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus*. Hanc tamen dementiam in Cerdone, Marcione, Manete, & aliis ſupra detectam & diſſipatam, modò dimittamus. Auguſtini monitum Serm. 30. de Verb. Apoſt. modò Serm. 182. c. 2. unicè ſubdam: *Cariſſimi*, inquit, *repellite ab auribus veſtris omnem diſputatorem, prædicatorem, ſcriptorem, ſuſurratorem, qui negat Chriſtum in carne veniſſe. Ergo repellite Manichæos à domibus, ab auribus, à cordibus veſtris. Manichæi enim Chriſtum in carne veniſſe apertiſſimè negant. Spiritus ergo illorum non ſunt ex Deo.*

III. Proclianitis duo alia velut erronea Philaſter affingit. Unum: quòd docerent, de quatuor animalibus (apud Ezechielem cap. 1.) *Leonem Regem eſſe Parthorum, Vitulum Ægyptiorum, Aquilam Romanorum, Hominem verò piiſſimorum tenere ſimilitudinem*, ideſt Chriſtianorum. Hæc tamen interpretatio, licèt ſingularis, à nemine tamen inter hæreſes computatur. Hæreſis nimis craſſæ nomen meretur illa, quam refert Hæreſ. 136. æſtimans, quòd animalia diversâ formâ præ dita Deum collaudaverint: *Ignorantes*, inquit, *quòd irrationabilia, ideſt non rationis capacia, Deo laudem ut homines referre non poſſunt. Neque enim Deus laudem pecudum quærit, quia non pecudes ad imaginem Dei factæ, ſed homines rationabiles à Deo ſunt creati, & ad hoc facti.*

IV. Indè ſuam interpretationem ſubjiciens, ait: *Sed quia viſio eſt Prophetarum Divino Spiritu prædicata, hinc Sanctorum populorum quatuor diverſæ virtutes, diverſaque certamina nuntiabantur ſeculo in diverſis doctrinis ac virtutibus in diverſa ſublimitate eminentia*. Nimirùm, ut per Leonem *in Patriarchis regalis auctoritas*; Per Vitulum *in Prophetis ſcientiæ Cæleſtis fœcunditas*; Per Hominem *in Sacerdotibus labor fortis & pertinax*; Per Aquilam *in Apo-*

ſtolis

ſtolis volatus ſublimis in Cœlum & eminens dignitas monſtraretur. Ita Philaſter. Alii in prædictis quatuor animalibus quatuor Virtutes Cardinales præſignatas volunt. Communiùs tamen in illis, tum ab Ezechiele cap. 1. tum à Joanne in Apoc. cap. 4. viſis, quatuor Evangeliſtas præfiguratos intelligunt Patres, Hieronymus in cap. 1. Ezechielis, Auguſtinus Lib. 1. de Conſenſu Evang. c. 6. Tract. 6. in Joannem, & alii. Sed hæc hujus loci non ſunt.

V. Alterum, quod ut erroneum Proclianiſtis Philaſter tribuit, eſt, nimirùm: *Hi Sapientiæ Libro utuntur Sirach illius, qui ſcripſit poſt Salomonem, ideſt poſt multa tempora Librum unum Sapientiæ*. Hinc non immeritò Fabritius ipſe in Notis ad Hæreſ. 56. miratur, quòd à Philaſtro inter Hæreſes Proclianitarum referat, quòd Sirachidis Sapientiâ veluti Salomonis Libro uſi ſint. Quamquam enim incertus ſit Libri Sapientiæ Scriptor, imò poſt tempora Salomonis exaratus fuiſſe credatur; cùm probabile apud multos ſit, Librum illum ex Sententiis à Salomone prolatis, & poſteris relictis, fuiſſe collectum à quodam Judæo juniore, cujus nomen ſive Sirach ſive aliud fuerit neſcitur; non videtur quâ ratione damnare potuerit Philaſter Proclianitas, quòd Libro Sapientiæ ut Salomonis uſi fuerint. De hoc Libro, & ejus Auctore egi Tomo 3. hujus Operis cap. 10. §. 8. 9. & 10. oſtendi illum meritò ab Eccleſia Libris Canonicis fuiſſe annumeratum. Ibi ergo dicta videantur. Interim ad ulteriora progrediar.

§. II.

Patriciani.

I. De hac hæreſi ſub hoc nomine agit Philaſter Hæreſ. 62. & ex eo S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. 61., & uterque paucis verbis eam abſolvit, & præter iſtos ferè nullus: unde non mirùm ſi in obſcuro, præſertim de illius parente & ortu, laboramus. *Patriciani à Patricio nuncupati*, dicit Auguſtinus. *Patriciani à Patricio quodam, qui fuit Romæ, dicti ſunt*, ait Philaſter. Quis autem & qualis fuerit, neuter dicit, niſi quòd Romæ patriam aut domicilium habuerit, ut indicat Philaſter. Si tamen hac in re opinari licet, cenſerem, Patricium hunc è cœno Marcionitarum & Manichæorum emerſiſſe. Hoc innuit Auctor Comment. in 1. ad Timoth. c. 4. v. 1. inter Opera S. Ambroſii, qui doctrinam Dæmoniorum, quam prædixerat Spiritus Sanctus, dicit eſſe eam: *Quæ de Incarnatione Salvatoris aſſerit falſa, quæ nunc in Marcioniſtis, quamvis penè defecerint, vel Patricianis, aut maximè in Manichæis de-*

notatur : quibus cum Marcionitis & Manichæis conjungit Patricianos. Accedit S. Auguſtinus Lib.2. contra Adverſarium Legis & Proph. cap. 12. ubi cùm memoraſſet Baſilidem, Carpocratem, Cerdonem, Marcionem, & Apellem Manichæorum præcurſores, adjungit : *Fuerunt etiam à quodam Patricio nonnulli Patriciani, vel ſunt, ſimiliter adverſantes Divinis veteribus Libris.*

II. Ex his colligitur, Patricianos fuiſſe cœnoſum ex Marcionitarum, Manichæorum, & ſuperiorum hæreſum fonte rivulum, quem ſuo nomine Patricius obtexit, ut jam damnatorum nominum lateret obſcenitas, & ſub hac larva à ſimplicibus faciliùs reciperetur. Neque enim eſt novum, ut unus & idem error jam damnatus, variis nominibus opertus, denuò ac ſi eſſet recens inventus proponatur. Cujus exemplum nobis præbent præſentes hæreſes, quæ ſua dogmata ſub novis Lutheri, Calvini, & aliorum nominibus proponunt, cùm tamen, ut in Vera Eccleſia Tom.1. cap.*9.§.6.* demonſtravi, ſint errores ab antiqua Eccleſia prædamnati. De anno quo orta fuerit ſub hoc Patricianorum nomine hæc hæreſis nihil certi inveni. Adhuc perſeveraſſe videtur poſt Epiphanii ætatem, qui ſub Arcadio vixit & proinde circa annum 420., parvo tamen tempore ſub hoc nomine poſtea ſubſtitit. *Hæc inſania in partibus Numidiæ ſuperioris & Mauritaniæ cœpit olim*, inquit Auctor Prædeſtinati cap.*61.*

III. Unicus & capitalis iſtorum error, referente S. Auguſtino Lib. de Hæreſ. cap. *6.* in hoc conſiſtit : *Subſtantiam carnis humanæ non à Deo, ſed à Diabolo conditam dicunt, adeòque ſic fugiendam & deteſtandam putant, ut quidam eorum perhibeantur etiam morte ſibi illatâ carere carne voluiſſe.* Iiſdem ferè verbis loquitur Philaſter, & Auctor Prædeſtinati cap. *61.* qui addit : *Eamque* (carnem) *ſic deteſtantur, ut hunc dicant eſſe perfectum, qui ſe potuerit conſtanter occidere. Ex his ſunt aliquanti, qui etiam rogant eos, quos invenerint ignotos, ut ab eis occidantur .... Hos miſeri Donatiſtæ poſtea ſecuti* &c. De quibus infra. Ita in ſe ipſos barbarè inſaniebant : caro enim, ſeu corpus, eſt pars ſinè qua conſiſtere nequit homo : unde carnem deteſtantes, utpotè à Diabolo conditam, ſemetipſos Diaboli facturam eſſe fatebantur.

Quòd ſi dixerint, ſe carnem deteſtari, quia eam deteſtatur Scriptura, dum opera carnis damnat Galat. 5. v. 19. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria .... quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur.* Rom. 8. v. 23. *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini : ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* 1. Cor. 15. 50. *Caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt* : noverint homonymiâ

nymiâ

Digitized by Google

nymiâ vocis ſe turpiſſimè hallucinari. Præfatis enim in locis non ipſa ſubſtantia carnis & corporis ejuſque naturales actus damnantur, ſed ipſa vitioſitas carnis, ſeu caro dum operatur ex vitio, quod per peccatum Adami ei ſupervenit: ſic enim Diabolo inſtigante agit, & Regnum Dei non conſequetur. Cæterùm ſubſtantia carnis bona eſt, & à Deo condita. Diſcant hoc ex S. Auguſtino Serm. 13. de Verbis Apoſt. modò Serm. 156. cap. 6., qui exponens prælaudata Pauli verba Rom. 8. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*, ait: *Non quia caro malum eſt: nam & ipſa Dei creatura eſt, & ab eo condita, à quo & anima.... Ergo caro non eſt malum: ſed ſecundum carnem vivere malum eſt; ideſt ſecundùm deſideria carnis Legi Dei adverſantis, carni, non ſpiritui, non Deo ſerviendo.*

IV. Non ergo caro odio habenda eſt, ſed ſpiritui ſubigenda, mortificanda, frœnanda, ne vitiis & concupiſcentiis ſerviat; non necanda: Diligit enim quiſque carnem ſuam quando eam ſibi ſubjecit, inquit Auguſt. Lib. de Utilit. Jejunii cap. 4. Nam ut Lib. de Continentia cap. 8. *Quando ejus vitiis reſiſtitur, ipſa amatur, quia ipſa curatur*. Et qui carnem vicerit, Diabolum continuò ſuperabit; non carnem, ſed vitia carnis, quæ ſunt opera Diaboli, diſſolvendo. Ita idem S. Auguſtinus diſcurrit in Pſalm. 143. At Patriciani inter carnis ſubſtantiam, & carnis vitia non diſtinguentes, vel diſtinguere nolentes, ut Diaboli opus deſtruerent, ipſam carnis ſubſtantiam deſtruere, perfectionem hominis eſſe arbitrabantur, ultroneè ſibi mortem inferentes, vel ad eam ſibi inferendam alios provocantes: cùm eodem Auguſtino teſtante Lib. 1. de Civit. Dei cap. 25., nec ad peccatum declinandum liceat ſibi mortem inferre, imò nec ne animus blandienti voluptati conſentiat ibid. c. 27., & generaliter nullo vel bono fine poſſe quemquam ſuo privato ſpiritu ſe ipſum occidere, oſtendi Tom. 1. in 1. 2. q. 3. de Act. Humanis Dub. 7. §. 3. quia homo non eſt dominus vitæ ſuæ & membrorum, de quo egi Tom. 2. in 2. 2. qu. 8. de Dominio Dub. 2.

V. De Patricianis dicam, quod S. Auguſtinus Lib. 21. contra Fauſtum cap. 1. dicit de Manichæis, in hoc nempè brutis ipſis eſſe pejores: *Attendite*, inquit, *& date mihi unum quàmlibet abjectiſſimum animal, cujus anima oderit carnem ſuam, ac non potiùs nutriat & foveat eam, motuque vitali vegetet & regat, & quodammodo adminiſtret pro ſui generis exiguitate quoddam univerſum ſuum ad incolumitatem tuendam ſibi conciliatum. Quòd enim rationalis anima caſtigat corpus ſuum & ſervituti ſubjicit, ne immoderato appetitu terrenorum impediatur à perceptione ſapientiæ, etiam ſic utique diligit carnem ſuam, quam ſibi ad obediendum legitimè ſubdit atque ordinat. Poſtremò vos ipſi, quamvis carnali errore carnem*

deteſtemini, non poteſtis niſi diligere carnem veſtram, ejuſque ſaluti & incolumitati conſulere, omnes ictus & caſus & intemperiem quâ læditur devitare, munimenta verò & ſalubritatem, quâ conſervatur appetere: ita oſtenditis prævalere naturæ legem contra erroris veſtri opinionem. Ita S. Doctor cum Manichæis etiam Patricianos ad hominem contundit. Qui ſi non omnia pro tuenda carne faciebant, ſaltem pro ea conſervanda comedebant.

VI. Carnis naturam eſſe à Deo, & proinde bonam, probant multi ex eo, quòd ipſe Filius Dei eam aſſumere dignatus eſt Jo. 1. v. 14. *Verbum caro factum eſt*. Et Hebr. 12. v. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Quòd ſi caro, non Dei, ſed Diaboli opus eſſet, eam Filius Dei, qui ad deſtruenda opera Diaboli venit, certè non aſſumſiſſet. Verùm qui cum Manichæis carnem Patriciani execrabantur, conſequens erat, ut cum eiſdem Filium Dei veram aſſumſiſſe carnem negarent & Incarnationis Myſterium in purum phantaſma reſolverent, & carnis etiam reſurrectionem negarent: idcircò eos utpotè in Manichæis & Marcionitis jam confutatos dimitto.

CAPUT LVIII.

De Aſcitis, & Pattalorinchitis.

§. I.

Aſcitarum nomen, & error.

I. DE Aſcitis agit S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 62. his verbis: *Aſcitæ ab utre ſic appellati ſunt*. Aſcos *enim Græcè Latinè* Uter *dicitur, quem geſtare perhibentur inflatum & opertum circumire bacchantes, tanquam ipſi ſint Evangelici utres novi vino novo repleti*. Hos eoſdem eſſe puto ac Aſcodrogitas, de quibus egi ſupra cap. 24. §. 4. n. 2. ex Philaſtrio Hær. 75. quæ huc revocari debent. Moveor tum ex ſimilitudine nominis, nam Aſcodrogitæ ſicut Aſcitæ ab *Aſcos* ideſt *Utre*, quaſi utrem facientes vel ſacrificantes à verbo Græco *Dro* dicebantur: tum ex identitate erroris; utrique enim utrem adhibentes ad aſſervandum vinum in Euchariſtia conſecratum, bacchantium more utrem illum geſtantes circumibant. Cùmque nec Aſcitæ nec Aſcodrogitæ in alio errarent, inſani potiùs quàm hæretici videbantur. *Iſti enim* (ut ex Auctore Prædeſtinati loco ſupra citato retuli) *cùm in dogmate nihil mali habeant, utrem tamen ingentem juxta altare po-*

ponunt, eumque vacuum inflant, & linteaminibus velant & adorant, quia confectum cruoris Domini ibi adjiciunt, illud dicentes Evangelicum (Matth. 9. v. 17.) *Vinum novum in utres novos adjiciunt, & utraque conſervantur*. Si Danæus verba præfata Auctoris Prædeſtinati adnotaſſet, nempè quod Aſcitæ utrem illum tamquam adjecto illi cruore Domini adorarent, veri Calviniſtæ partes implens eos hæreticos ob id, imò idololatras declaraſſet, ſicut tales impiè cum ſuo Calvino pronuntiat Catholicos, qui Sanguinem Domini non in utre, ſed in calice Euchariſtico poſitum & conſecratum adorant. At fortè hoc non advertit.

II. Errabant tamen Aſcitæ, ſeu Aſcodrugitæ, dum verba Evangelica à ſpirituali ad craſſum & inſanum ſenſum detorquebant. Dum enim Chriſtus apud Matthæum dixit: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur*. Vinum & utres non accepit in materiali ſenſu, ſed vinum novum intellexit Evangelicam doctrinam, utres veteres Judæos, & præſertim Phariſæos; utres verò novos, Apoſtolos, volens oſtendere, doctrinam Evangelicam Legi Judaicæ veteri non eſſe conjungendam. Ita exponit S. Hieronymus in dictum Caput dicens: *Tale quid & Galatæ facere cupiebant, ut cum Evangelio Legis præcepta miſcerent, & in utribus veteribus mitterent vinum novum: ſed Apoſtolus ad eos loquitur* (Galat. 3. v. 1.) „ O inſenſati Galatæ! Quis vos faſcinavit veritati non obedire? „ *Sermo igitur Evangelicus Apoſtolis potiùs, quàm Scribis & Phariſæis eſt infundendus; qui majorum traditionibus depravati ſinceritatem præceptorum Chriſti non poterant cuſtodire*.

III. Ex præfatis Chriſti verbis gloriabantur Manichæi, ſe veros eſſe Chriſtianos, quòd Legem veterem prorsùs deteſtarentur. Unde apud S. Auguſt. Lib. 15. cap. 1. Fauſtus ſic improperabat Catholicis: *Vos quidem pergite agere ut cœpiſtis, rudem pannum Veteri Teſtamento committite, novum vinum veternoſis utribus credite, duobus maritis nulli placituri ſervite, Chriſtianam denique fidem Hippocentaurum facite, nec equum perfectum nec hominem*. Ita Fauſtus ex præfatis Chriſti verbis Deum Veteris Teſtamenti abjiciendum eſſe impiè inferebat. Verum tamen verborum Chriſti ſenſum in Apoſtolis Spiritu Sancto die Pentecoſtes impletum S. Auguſtinus oſtendens Serm. 267. aliàs 186. de Tempore cap. 2. de illis qui Apoſtolos tanquam muſto plenos irridebant: *Ridebant*, inquit, *& aliquid verum dicebant. Impleti enim erant utres novo vino. Audiſtis cum Evangelium legeretur* „ Nemo mittit vinum novum in utres veteres „. *Spiritalia non capit carnalis*.

IV. Ita

IV. Ita Aſcitæ nimis carnales ſpiritalia capere non valentes in ſuis utribus inſaniebant. Quid enim fiet, ſi omnia quæ ſub parabolis Chriſtus dixit, in carnali & litterali ſenſu accipiamus? Fiet, ut cum Lucæ 12. v.35. dicat Chriſtus Apoſtolis: *Sint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, debeant Evangelii præcones circumgeſtantes lucernas ardentes in manibus, & præcincti lumbis verbum Dei populis annuntiare, quo nil magis ridiculum. Benè ergo dicit Philaſter, hanc inſaniam eos à Gentilibus ſumptam Evangelio accommodare tentaſſe: *Aſcalia enim feſta erant Athenis, quibus in medio theatri, in Bacchi honorem ſuper utres inflatos uno ſaliebant pede, ut labentes riſum excitarent*. Quando hæc dementia, & apud quos exorta fuerit, quo auctore, & quamdiù perſtiterit, nec Philaſter nec Auguſtinus, qui ferè ſoli de ea loquuntur, mentionem faciunt.

§. II.

Pattalorinchitæ: & Danæi calumniæ.

I. P*Attalorinchitæ* (inquit S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. c.63.) *in tantum ſilentio ſtudent, ut naribus & labiis ſuis digitum apponant, ne vel ipſam taciturnitatem voce præripiant, quando tacendum ſibi eſſe arbitrantur: unde etiam ipſis eſt nomen inditum:* Pattalos *enim Græcè dicitur palus, &* Rhincos *naſus. Cur autem per palum digitum ſignificare maluerunt, à quibus hoc nomen compoſitum eſt neſcio, cùm Græcè & dicatur digitus* Dactilos, *& poſſint utique* Dactilorynchitæ *multò evidentiùs nuncupari*. De his locutus ſupra fui cap. 24. §.4. n.1. ex Epiphanio Hæreſ. 48. n.14. qui eos Taſcodrugitas vocat, & ex Philaſtro Hæreſ. 76. à quo Paſſalorinchitæ appellantur, ſicut & ab Auguſtino: cùm veriùs *Pattalorinchitæ* dicendi videantur à voce *Pattalos*. Recolantur ergo ibi dicta.

II. Solùm hìc parumper immorabor in diluendis ſolitis Danæi in Monachatum contumeliis. Dicit ergo, hanc hæreſim, cujus meminit etiam Hieronymus in Procemio Lib. ad Galatas, Monachiſmi fruticationem eſſe,,, Nam, inquit, uti ſe à communi hominum cœtu, tanquam feræ beſtiæ, Monachi ſubduxerunt, ,, humanam mentem & naturam exuentes, ita varios errores genuerunt, multaque non tantùm paradoxa inſtituerunt, ſed ab ,, humanitate ipſa & benevolentia, quæ inter omnes homines eſſe ,, debet, aliena probarunt; quòd à Deo in ſenſum reprobum ſunt ,, traditi,,. Indè poſtquam in Monachos & Monaſteria, quæ

lacus

Digitized by Google

lacus & ſpeluncas appellat, & ex quibus pleraſque hæreſes exo[illegible]es effutit, venenum ſuum evomuit, ſilentium Monachorum in Carthuſianis invadens, ait ,, Quamquam autem iſti Silentiarii ,, apertè hic ab Auguſtino inter hæreticos recenſentur, tamen ,, pervicit Satan, ut hic error & mos (qui planè eſt inhumanus ,, & agreſtis) non tantùm in pleriſque Monaſteriis toleraretur, ,, & retineretur: ſed novo Carthuſianorum Monachorum nomine ,, laudaretur, & ut ſanctitas quædam eximia commendaretur. ,, Sunt enim Carthuſiani iſtius fœcis & limus & ſordes, & ipſi ve- ,, rè Pattalorinchitæ & Silentiarii damnati ,,. Ita Monachorum & Carthuſianorum eximius encomiaſtes Danæus. Qui tamen dicere debuiſſet, non Monachatus profeſſores, ſed Monachatus deſertores à Satana excitatos, hæreſes condidiſſe. Si enim Lutherus in Monaſterio perſeveraſſet, hiſce temporibus ſub falſo reformationis nomine, ipſo auctore, tot Sectæ Eccleſiam Chriſti non diſcinderent, ac deformarent.

III. In Monachos dictis & factis invehi hæreticorum ſemper indoles fuit. Quid contra illos egerint Ariani, teſtis eſt Athanaſius in Hiſtoria Arianorum ad Monachos. Sed ut vetera omittam, teſtes appello modernos Hæreticos, quorum primum ſtudium fuit à regionibus quas occuparunt, Monachos & Monaſteria funditùs eruere. E contra verò Patres omnes Monachos & Monachatum ſummis laudibus celebrant. Baſilius in Inſtit. Aſcetica. Nazianzenus Orat. 21. & Carmine 15. Omneſque alii, quibus ne moleſtus ſim prætermiſſis, unicum adducam S. Auguſtinum, ut palam fiat, hunc Sanctum Doctorem damnando ut hæreticos Pattalorinchitas, ſub hoc nomine omnes Monachos præcipuè ſilentium profitentes, ut malitioſè Danæus ſupponit, non damnare.

IV. Itaque S. Doctor in Pſalm. 132. ſuper illa verba, *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*, præter alia dicit: *Iſta enim verba Pſalterii, iſte dulcis ſonus, iſta ſuavis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu, etiam Monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare in unum concupierunt: iſte verſus fuit tuba ipſorum. Sonuit per omnem Orbem terrarum, & qui diviſi erant, congregati ſunt. Clamor Dei, clamor Spiritus Sancti, clamor propheticus non audiebatur in Judæa, & auditus eſt in toto Orbe terrarum.*

Et poſt multa: *Ex voce iſtius Pſalmi appellati ſunt & Monachi, ne quis vobis de illo nomine inſultet Catholicis. Quando vos rectè hæreticis* (Donatiſtis) *de Circellionibus inſultare cœperitis, ut erubeſcendo ſalventur illi, vobis inſultant de Monachis.* Deinde oſtendit, tantam eſſe differentiam inter Circelliones, ſeu Circumcelliones,

liones & Monachos, quanta eſt inter ebrios & ſobrios, inter præcipites & conſideratos, inter furentes & ſimplices, inter vagantes & congregatos.

V. Objectionem verò quā moderni etiam Hæretici contra Monachos inſurgunt præveniens, ait: *Verumtamen, Cariſſimi, ſunt & qui Monachi falſi ſunt, & nos novimus tales: ſed non periit fraternitas pia, propter eos qui profitentur quod non ſunt. Tam ſunt enim Monachi falſi, quàm & Clerici falſi & fideles falſi. Omnia genera, Fratres mei, tria, quæ aliquando vobis commendavimus, & ut puto non ſemel, habent bonos ſuos, habent malos ſuos. De tribus enim ipſis generibus dictum eſt, Duo in agro, unus aſſumetur & unus relinquetur; & duo in lecto, unus aſſumetur & alius relinquetur: & duæ in molendino, una aſſumetur & una relinquetur.* (Matth. 24. v. 40. Lucæ 17. v. 34.) *In agro ſunt qui gubernant Eccleſiam.... In lecto autem eos intelligi voluit, qui amaverunt quietem; per lectum enim quietem voluit intelligi; non ſe miſcentes turbis, non tumultui generis humani, in otio ſervientes Deo: & indè tamen unus aſſumetur, & unus relinquetur. Sunt ibi probi, & ſunt ibi reprobi. Ne expaveſcatis, quando ibi inveniuntur reprobi: nam & latent quidam, qui non inveniuntur niſi in fine. Duæ item in molendino: ex nomine generis feminini appellavit; plebes enim intelligi voluit. Quare in molendino? Quia in iſto mundo verſantur, ubi molendinum intelligitur; quia ſic vertitur mundus iſte, quomodo mola: væ enim quos conterit. Sic ibi verſantur fideles boni, ut una ex eis conſumatur* (nempè dilectores ſeculi, fraudatores, ſimulatores) *altera aſſumatur* (nempè qui utuntur hoc mundo tanquam non utentes ſint 1. Cor. 7. v. 31.)

VI. Cùm ergo, ut S. Auguſtinus perdoctè oſtendit, in omni hominum ſtatu ſint boni & mali, electi & reprobi; cur Danæus & ſui ſolùm ſtatum Monachorum, qui minoribus eſt obnoxius periculis, in quo liberiùs uni Deo ſervitur, ex quo licèt aliqui reprobi & mali exierint & exeant, tot alii, & quidem plures quovis ſeculo ſanctitate morum & nominis celebritate Orbem totum impleverunt & adhuc implent, damnare & contumeliis laceſſere tanquam omnium ſcelerum fontem non deſiſtunt? Hoc unum præcipuè eis diſplicere puto, quod & olim Donatiſtis, nimirùm quòd cùm vel ipſum nomen Monachus Græcè *Monos* ſignificet unitatem & concordiam, placere non poteſt iis, qui ſchiſmate & hæreſi Eccleſiam diſciderunt, & ab ea ſe ſegregarunt. Ita cenſet etiam S. Auguſtinus in præfatum Pſalmum, ubi de Donatiſtis: *Meritò*, inquit, *inſultant nomini unitatis, qui ſe ab unitate præciderunt. Meritò illis diſplicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in*

Digitized by Google

in unum cum fratribus ; ſed ſequentes Donatum (Lutherum, Calvinum) *Chriſtum dimiſerunt*.

VII. Quod in Monachis præſertim Carthuſianis modò reprehendit Danæus, eſt rigoroſa profeſſio ſilentii, quâ ratione eos Pattalorinchitarum ſobolem vocat (ut ſupra) ; ſed diſtinguere debuiſſet inter ſilentii obſervantiam ſuperſtitiosè, & religiosè cuſtoditam, quod cùm nec ipſe nec ſui ſimiles advertere nolint, fit ut multa imponant Catholicis velut ſuperſtitioſa, quæ tamen religiosè & ſanctè obſervantur. Superſtitiosè ſilebant Pattalorinchitæ, quia quaſi muro os ſibi claudentes numquam loqui volebant, quaſi à Deo, qui ad loquendum os & linguam homini dedit, loqui eſſet vetitum, abutentes Davidico dicto Pſalm. 140. v. 3. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis*. At iſti ſenſum Pſalmi depravabant : Non enim dixit David, Pone Domine *murum* ori meo, ut nunquam loquar, ſed *cuſtodiam* & *oſtium*, quod aperiatur ad te laudandum & orandum. Unde priùs dixerat : *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Claudatur autem, ne declinet *in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis* : & ideò illud vocat *oſtium circumſtantiæ*, in circumſtantia aperiendum, & in circumſtantia claudendum. Sic S. Auguſt. in dictum Pſalmum : *Manifeſtiſſimè*, inquit, *iſte eſt ſenſus* : *Cuſtodi Domine os meum januâ quâdam & oſtio præcepti tui, ut in verba maligna non declinetur cor meum*.

VIII. In hoc ſenſu ſilentium obſervant, & ori ſuo cuſtodiæ oſtium religiosè ponunt Monachi, & præſertim Carthuſiani : ad Laudes diù noctuque Deo canendas in Choro illud aperiunt : reliquo autem temporis, ne vanis & inutilibus locutionibus mens diſtrahatur, meditantes, vel operantes ſoli (non tamen ſemper) in Cellis tacent. A Salomone edocti Prov. 10. v. 19. quòd *In multiloquio non deerit peccatum* : *qui autem moderatur labia ſua prudentiſſimus eſt* : Ejuſdem conſilio Eccleſiaſtæ 3. v. 7. dividunt tempus in *tempus tacendi, & tempus loquendi* : & ponunt oſtium circumſtantiæ labiis ſuis. *Nibil tutius eſt quàm tacere, niſi fortè neceſſe ſit loqui*, ait Hieronymus Epiſt. 39. Hæc autem loquendi neceſſitas non omnibus & ſemper incumbit, ſed iis qui ad hoc à Deo mittuntur, & propterea Iſaias, ſe tacuiſſe dolens cap. 6. v. 5. dixit : *Væ mihi quia tacui*.

* * *

CAPUT LIX.

De Aquariis, & Coluthianis.

§. I.

Aquarii.

I. A*Quarii* (inquit S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. *64.*) *ex hoc appellati ſunt, quòd offerunt in poculum Sacramenti, non illud quod omnis Eccleſia*. Ita quoquè Philaſter Hær. 77. Iidem iſti ſunt ac Hydroparaſtatæ, infelix Tatiani ſeu Encratitarum ſoboles, contra quos ſuperiùs egi cap. 22. §. 4. n. 5. & ſequentibus. Quaprópter ne inutiliter eadem repetam, aliqua compendio addam. In hoc errore fuiſſe aliquos ex Marcionis ſchola, quidam putant, imò & alios, de quibus Clemens Alex. L. 1. Stromat. pag. mihi 317. ait: *Sunt enim qui ſolâ aquâ utuntur in Euchariſtia*. Quem errorem amplexi fuiſſe creduntur Severiani, & quotquot vinum ut abominabile execrabantur. Fuerunt etiam S. Cypriani temporibus aliqui, contra quos ſcribit S. Martyr Epiſt. 63. ad Cæcilium, ut citato cap. 22. §. 4. n. 9. & ſequ. adnotavi: qui tamen vinum in Euchariſtia omittebant, ſolam aquam adhibentes, non ſemper, ſed in oblationibus matutinis, ne ex odore vini à Gentilibus Chriſtiani eſſe deprehenderentur; in veſpertinis vinum adhibentes, ut ex eodem S. Cypriano ibidem obſervavi.

II. Rationes, quas citato loco num. 10. ex S. Cypriano retuli, cùm omnes Aquarios percutiant, ideò huc revocandæ ſunt. His præter factum Chriſti Euchariſtiæ in pane & vino inſtitutoris, accedit perpetua Eccleſiæ praxis, cujus teſtis Juſtinus Martyr, qui in Apol. 2. pro Chriſtianis pag. mihi 97. dicit, quòd poſt preces & gratiarum actiones à Præſidente fuſas, & lætâ populi approbatione, *Qui apud nos vocantur* Diaconi *atque* Miniſtri *diſtribuunt unicuique præſentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem, vinum, & aquam, & ad abſentes perferunt. Porrò alimentum hoc apud nos vocatur* Euchariſtia, *quod nulli alii participare licitum eſt, quàm veram eſſe doctrinam noſtram credenti, & lavacro propter remiſſionem peccatorum & generationem abluto, & ita ut Chriſtus tradidit viventi. Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ causâ habuit; ad eundem modum etiam, in qua per preces Verbi*

Verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt actæ, alimoniam unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, Incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe docti ſumus. Nam Apoſtoli in Commentariis à ſe ſcriptis, quæ Evangelica vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum. Eum enim pane accepto cum gratias egiſſet, dixiſſe „ Hoc facite in mei recordationem: Hoc eſt Corpus meum „. *Et poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis dixiſſe* „ Hic eſt Sanguis meus „: *ac ſolis ipſis ea tradidiſſe*. His Juſtinus quadruplicis dogmatis antiquitatem oſtendit: nimirùm uſus vini in Euchariſtia contra Aquarios, uſus vini aquæ mixti; converſionis panis & vini in Corpus & Sanguinem Chriſti; & demum utriuſque realem in Euchariſtia exiſtentiam contra modernos Heterodoxos. Contra quorum duo poſtrema capita agere hìc non vacat.

Solùm de ſecundo agendum eſſet; cùm velint in Euchariſtia ſolum vinum nullâ aquæ factâ mixtione eſſe offerendum. Sed cùm de hoc ſatis egerim dicto cap.22. §.4. à num.12. contra Ittigium; nec Danæus licèt hìc muſſitet, quidquam novi afferat, ideò ad ibi dicta Sectarios amando. Solùm addam, ab iſtis Aquariis ſeu Hydroparaſtatis diverſos eſſe Hydrotheitas ſeu Aqueos, de quibus infra S.Auguſt. cap.75. & Philaſter cap.96., qui aquam à Deo factam negabant.

§. II.

Coluthiani.

I. De his S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap.65. *Coluthiani*, inquit, *à quodam Colutho, qui dicebat Deum non facere mala, contra illud quod ſcriptum eſt* (Iſaiæ 45. v. 7.) „ Ego Deus creans mala „. De eis etiam Philaſter Hæreſ. 79. *Colluthiani à Collutho quodam ita dicti ſunt in Ægypto, qui dicunt Dominum malorum non eſſe factorem*. Hic eſt Colluthus (ſeu Coluthus) Presbyter Alexandrinus, qui unam ex Alexandriæ Eccleſiis eo tempore, quo Arius prodiit, adminiſtrabat, & novo dogmate Eccleſiam & ipſe turbavit. Ita refert Epiphanius Hæreſ. 69. num.2. ubi de Rectoribus Eccleſiarum Alexandriæ: *Harum unam*, inquit, *Colluthus adminiſtrabat, aliam Carpones, aliam Sarmatas: ſed & Arius iſte unam ex commemoratis illis Eccleſiam regebat. Cùm autem ſinguli commiſſum ſibi populum per ſtatos & ſolemnes conventus publicè docerent, diſſenſiones in vulgus ſparſerunt. Itaque alii ad Arium adhæſerant, alii ad Colluthum, alii Carponæ, alii Sarmatæ partes tuebantur; & cùm in ſua quiſque Eccleſia alius aliquid interpretando proponeret; prout in unumquemque favore ac laudatione propenſiores erant*,

erant, *alii Colluthianos*, *Arianos alii ſeſe nominabant*. *Quippè & Colluthus falſa quædam ac depravata docuit*: *ſed ejus Secta diuturna non fuit*, *ſtatimque diſſipata eſt*. *Quod utinam & Arii furioſæ illi Sectæ*, *vel infidelitati potiùs*, *aut ſi mavis pravæ fidei*, *contigiſſet*! Ita Epiphanius. Ambitioſam Colluthi dominandi cupiditatem perſtringit Alexander Alexandrinus apud Theodoritum L.1. Hiſt. cap. 4., & Nicephorum L. 8. Hiſt. cap. 7., & in gradu presbyterii ſimplicis poſitum, & in eo mortuum, auſum fuiſſe, Iſchyram & alios in presbyteros ordinare; qui tamen omnes ad laicorum ſtatum rejecti ſunt, teſte S.Athanaſio in Apol. contra Arianos n.12.

II. Ex his omnibus liquet, Colluthum hunc fuiſſe Alexandriæ Presbyterum Ario coævum, Ario tamen infenſum, ejuſque erroris detectorem, non veritatis zelo, quam & ipſe aliâ viâ impugnabat, ſed ambitiosâ æmulatione. Et proinde hanc quoquè hæreſim eodem tempore ex Ægypto, regione errorum æquè ac ſerpentum feraci, erupiſſe: & conſequenter ſub Conſtantino Magno & Silveſtro Romano Pontifice circa ann. 415.; diu tamen non perſtitiſſe, ſed à tetriore & immaniori blaſphemia velut dracone abſorptam, fere ſtatim interiiſſe.

III. Colluthi & Colluthianorum errorem Epiphanius omittit: illum tamen Philaſter & Auguſtinus, ut ſupra, fuiſſe dicunt, quòd negaret, Deum mala creare. Quæ ſi de malis culpæ & peccatis, quæ à voluntate creata à Lege Divina deviante proficiſcuntur, intellexiſſent, verè & Catholicè locuti fuiſſent: ſed quia vel fortè quædam naturâ mala aſſerebant, vel de afflictionibus & malis pœnæ hoc ſentiebant, quæ licèt in ſe bona, homini tamen mala apparent, utpotè vel ad ejus probationem, vel emendationem, vel pœnam, ſive temporalem ſive æternam à Deo inflicta: idcircò hæretici erant.

Nam Deus bonus eſt & ſimul juſtus: dum verò iſti Deum mali pœnæ auctorem eſſe negabant, Deum non juſtum, ſed curioſum noſtrorum ſcelerum ſpectatorem, non ultorem faciebant. Afflictiones & anguſtiæ mala in Scripturis vocantur, non quòd ex ſe mala ſint, ſed quòd ſint aut videantur mala tolerantibus. At nocent certè aliqua ex parte afflictiones & cruciatus illis quibus infliguntur, ſed alia ex parte illis proſunt, & bonæ ſunt, quia ut per illorum patientiam mali emendentur, & boni meliores fiant, à Deo immittuntur. Hinc Paulus Rom.1. v.18. *Revelatur*, inquit, *ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum*, *qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*. Indè enarratis malis etiam culpæ, quibus in pœnam tradidit, ideſt obcæcari permiſit gentes, c.3. v.5. ait: *Numquid iniquus eſt Deus qui infert iram?*...

Abſit

Abſit. Alioquin quomodo Deus judicabit hunc mundum? ideſt ut exponit S. Thomas Lect. 1. in hunc locum: *Si ipſe non juſtè judicaret, oporteret dicere, alium eſſe judicem mundi*: quod eſſet incidere in hæreſim Marcionis, qui duos Deos ponebat, unum bonum, & alium juſtum.

IV. Propterea hunc errorem Deus ipſe per os Iſaiæ c. 45. v. 6. condemnat, dicens: *Ego Dominus & non eſt alter: formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc*: quæ Hieronymus ſic exponit: *Qui igitur tibi dedi fortitudinem, & ſolus Deus ſum, ipſe res inter ſe contrarias facio: lucem & tenebras, ideſt diem & noctem; pacem & malum, hoc eſt otium & bellum: per quæ ſignificat, & iratum fuiſſe ſe populo ſuo, quando tenebras captivitatis malaque ſuſtinuit ſervitutis; & rurſum miſertum, quando remiſſi in patriam pacem & gaudium receperunt. Quomodo enim luci contrariæ tenebræ ſunt, ita paci contrarium bellum eſt*. Unde confunditur hæreſis, quæ malorum non arbitratur Conditorem Deum. Cum hic malum non contrarium bono, ſed pro afflictione ponatur & bello. Et S. Auguſt. Lib. 3. contra Julianum cap. 8. Juliano dicenti, *Rei autem malæ Deus auctor eſſe non poteſt*, reſpondet: *Quomodo id dicis? Melius enim loqui novit ipſe, quàm tu, qui per Prophetam dicit, creare ſe mala*. Eodem modo S. Hieronymus exponit dictum Amos cap. 3. *Si erit malum in Civitate quod Dominus non fecit*, nimirùm *Malum autem quod Dominus facit in Civitate, non contrarium eſt virtuti, ſed afflictio, & cruciatus*.

V. Itaque ut rem concludam: In extrema declinarunt Colluthiani, & Marcionitæ, & dum errorem declinare contentioſè ſtuduerunt, utrique in errorem lapſi ſunt. Marcionitæ Deum Veteris Teſtamenti omnis mali & perturbationis auctorem facientes, Colluthiani nullius omninò mali cauſam eſſe contendentes. Utrique unum & eundem Deum bonum & juſtum negantes. Illi duos Deos unum bonum, alterum juſtum & ſævum ponebant. Iſti unum ſolum Deum admittentes, bonum dicebant, ſed non juſtum.

CA-

CAPUT LX.

De Florianis, Mundi-Æternalibus, & Nudipedalibus.

§. I.

Floriani ſeu Floriniani.

I. DE hac hæreſi, quæ auctorem habuit Florinum quemdam, ſupra egi cap.13. §.1. ubi de Florino & Blaſto eorumque lapſu, & erroribus ſermonem habui: unde hic paucis me perſtringam, ad ea quæ ibi dixi Lectorem meum remittens. Qui tamen advertere debebit, quòd licèt Floriani à S. Auguſtino immediatè ponantur poſt Colluthianos, non tamen hoc eſt, quia hi vel illis coævi fuerint, vel immediatè ſucceſſerint, ſed quia errores duos directè contrarios profitebantur, dum Colluthiani Deum nullius mali conditorem colebant, Floriani autem Deum omnis mali auctorem faciebant, ut dixi loco citato. Et hanc fuiſſe S. Auguſtini mentem conſtat ex Lib. de Hæreſ. cap. 66. ubi poſt Colluthianos: *Floriani*, inquit, *à Florino, qui è contrario dicebant Deum creaſſe mala, contra id quod ſcriptum eſt, Fecit Deus omnia, & ecce bona valdè. Ac per hoc quamvis contraria inter ſe dicentes, ambo Divinis eloquiis reſiſtebant. Creat enim Deus mala pœnas juſtiſſimas irrogando, quod Colluthus non videbat: non autem malas creando naturas, atque ſubſtantias, inquantum ſunt naturæ atque ſubſtantiæ, ubi Florinus errabat.* Hâc eâdem ratione Florinianos Colluthianis conjungit Philaſter Hæreſ. 79.

II. Cæterùm ſi ſpectetur ordo temporis, Floriniani, qui à Florino, longè anteriores fuere Colluthо & Colluthianis. Fuerunt qui non à Florino, ſed à Flora muliere, ad quam Ptolemæus Sectâ Valentinianus de ſui erroris defenſione Epiſtolam ſcripſit, quæ eſt apud Epiphanium Hær. 34. num.3. Quod tamen verum non puto, cùm Euſebius Lib.5. Hiſt. cap.15., Theodoritus L.1. Hæret. Fab., & Auguſtinus hic, non Floram, ſed Florinum Florinianorum faciant auctorem. Sed ſi hoc etiam darem, multò antiquiores eſſent Colluthianis Floriani, quia temporibus Valentinianæ hæreſis ſeculo ſecundo exorti eſſent.

Quis fuerit Florinus, cap.13. §.1. citato jam expoſui. Fuit enim Romanus Presbyter, qui unà cum Blaſto Presbytero & ſocio à verà fide defecit, pro quibus recuperandis S. Irenæus multa egit, ſed

ſed inutiliter. Nam ſpecie primi erroris de Deo cauſâ omnis mali temperandi, alium turpiorem, nempè Valentini Sectam ac Æonum pluralitatem adoptarunt, & nefandis turpitudinibus ſe inquinarunt. Videantur quæ loco citato dixi. Cœpiſſe ergo videtur hæc Hæreſis ſub Commodo Imperatore, & Sotero vel Eleuthero Rom. Pont. circa annum 186. Fuit Valentiniana ſeges & propago teterrima, quæ in Occidentem Valentini deliria aſportavit, non tamen ſaltem ſub hoc nomine diù ibi retenta fuit: ſive quòd Occidens non adeò tenax hæreſum ut Oriens fuit, ſive quia ejus Auctores viri non magni nominis extitere.

III. Quamquam, ut infra dicam, Florini & Florianorum alii fuerunt errores, unum tamen de Deo auctore omnium malorum ſolùm hìc commemorat S. Auguſtinus, quia agit de Florianorum errore ut errori Colluthianorum oppoſito. Ubi enim Colluthiani Deum eſſe juſtum ac ſceleratorum hominum vindicem eſſe negabant, Floriani ipſius peccati, omniumque deteſtabilium criminum Deum auctorem faciebant. Fortè enim ne Deum Omnipotentem eſſe negare videretur Florinus, aut duos Deos unum bonorum alterum malorum admittere cum Marcionitis cogeretur, omnia tum bona tum mala uni Deo auctori tribuebat. Quamvis, ut cap. 13. ſupracitato §. 1. num.4. indicavi, probabile ſit, eum in Marcionis errorem deſcendendo, duos Deos, unum boni alterum mali auctorem admiſiſſe.

IV. Quidquid tamen fuerit, ut ſupra contra Manichæos & alios, & ultimò cap. 56. §. 2. contra Seleucianos, oſtendi, Deus ſi Deus eſt, malorum operum quæ punit auctor eſſe non poteſt, nec mala naturæ quædam ſunt, ſed vitia & defectus naturæ. Naturas omnes Deus fecit bonas: Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona*. Diabolus ipſe & homo à Deo facti naturâ boni, refragando Divinæ Legi, voluntate ſuâ naturam quæ bona erat corruperunt: unde vitium & peccatum naturæ jam conditæ ſupervenit, eorum operâ, non Dei. Sed hoc argumento contra Manichæos præcipuè diſputatum eſt.

V. Alios errores Florinus & ſui ex Valentino acceperunt. Æonas, eorumque propagines & productiones, ut alii ex aliis naſcantur, renovarunt, teſte Theodorito Lib. 1. Hæret. Fab. Judicium finale, reſurrectionem extremam, Chriſtum de Virgine natum negabant. Et omnem reſurrectionem in filiorum procreatione collocantes, nefandis cœtibus poſt occaſum Solis extinctis lucernis in Eccleſia cum mulieribus ſe miſcebant, putantes ſe Legis præceptum implere Geneſ. 1. v. 28. *Creſcite & multiplicamini*, ſicque pecudum potiùs more vitam traducebant. De his agit Philaſter

Hæ-

Digitized by Google

Hæreſ. 57. Quæ omnia in Valentinianis, Gnoſticis, & aliis hæreſibus refutata ſunt.

§. II.

Mundi-Æternales.

I. HOs ſinè nomine & auctore proponunt Philaſter Hæreſ. 80. & Auguſtinus L. de Hæreſ. cap.67. dicens: *Hæreſim quamdam ſinè auctore, & ſinè nomine Philaſter commemorat*. Hos *Mundi-Æternales* ab errore appellari judico, quia eorum error fuit, Mundum non fore immutandum, ſed in eodem ſtatu, quo modò eſt, ſemper, etiam poſt ſecundum Chriſti de Cœlis adventum, ac in æternum manſurum, ut explicant præfati Patres. Hinc obſcurum eſt etiam tempus, quo hæreſis hæc apud Chriſtianos emerſit. Ex antiquis Philoſophis, à quorum deliriis, & præſertim Stoicorum, Platonicorum, & Peripateticorum pleraſque hæreſes ortas fuiſſe notat Tertullianus Lib. de Præſcript. cap. 7. & ſequ., hanc etiam proceſſiſſe exiſtimo. Nimium enim Philoſophiæ ſtudium ad depravandas Sacras Scripturas fallacibus argumentis multos induxit, teſte Euſebio Lib.5. Hiſt. cap.28., inter quos Origenem.

II. Hinc ſuſpicari licet, pervetuſtam fuiſſe hanc hæreſim, & ab ipſis Apoſtolorum temporibus excogitatam, cùm S. Petrus in Epiſt. ſua 2. cap.3. à v.10. in ea refellenda totus ſit, dicens: *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo Cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem Cæli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent? Novos verò Cælos & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia habitat*. Hoc teſtantur: S.Joan. in Apoc. c.21. v.1. dicens: *Et vidi Cælum novum & terram novam. Primum enim Cælum & prima terra abiit, & mare jam non eſt*: Paulus 1. Cor. 7. v.31., ad Hebr. c.1. v.11. & 12.: & antea vaticinatus fuerat Iſaias c.65. v.17. *Ecce enim ego creo Cælos novos & terram novam*, & c.66. v.22. Imò Chriſtus ipſe Matth. 24. v. 35. loquens de iis, quæ in fine Mundi ventura ſunt, *Cælum*, inquit, *& terra tranſibunt*.

III. Hæc omnia apertè demonſtrant, ex S. Auguſtino, hæreſim eſſe eam, *Quæ dicit hunc Mundum etiam poſt reſurrectionem mortuorum, in eodem ſtatu, in quo nunc eſt, eſſe manſurum, neque ita eſſe mutandum, ut ſit Cælum novum & terra nova, ſicut Sancta Scri-*

ptura

ſtura promittit. Ita etiam Philaſter Hæreſ. 80. ubi tamen obſervat, Cœlum & elementa mutanda eſſe, & futurum Cœlum novum & terram novam; non quia prioribus in nihilum redactis, novæ Cœlorum & elementorum ſubſtantiæ creandæ ſint: licèt enim Deus, qui fecit ex nihilo omnia, iterum delere poſſit omnia unde Job. c.5. v.12. ait, ſi Deus deſtruxerit univerſa, *quis ei dicere poteſt: cur ita facis?* attamen hoc non vult Deus: ſed omnia reſtauranda quidem, non deſtruenda, & quod corruptionis erat incorruptione donandum, & ad meliorem ſtatum gloriæ elevandum. Tunc enim inquit Iſaias c.30. v.26. *Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum*. Omnia quidem mixta, ut dicit S. Petrus, igne exurentur, elementa autem ab omni extranea infectione purgata manebunt. Sic Mundus nec deſtruetur, nec in eodem ſtatu quo modò eſt permanebit, ut iſta hæreſis delirat, ſed in ſuis præcipuis partibus innovabitur, & quaſi novâ & incorruptibili veſte induetur, juxta dictum Pſalmi 101. v.37. *Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*. Ex quibus Paulus ad Hebr. 1. v.12. *Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur*.

IV. Quòd ſi quis ſcire optaverit, qualis tunc fiet mutatio ſive innovatio, tum in Cœlis, tum in elementis, tum circa alia, & præſertim homines, adeat Tomum 16. noſtræ Theologiæ, ubi in Tract. de Fine Mundi Qu.2. Dub.3. hæc omnia ſecundum S.Thomæ doctrinam accuratè & diſtinctè explicata inveniet.

§. III.

Nudipedales, ſeu Excalceati.

I. DE his S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 68. *Eſt*, inquit, *alia hæreſis nudis pedibus ſemper ambulantium, eò quòd Dominus dixerit ad Moyſen, vel ad Joſue*,, Solve calceamentum de pedibus tuis,, (Exod. 3. 5. & Joſue 5. 15.) *Et quòd Propheta Iſaias nudis pedibus juſſus fuerit ambulare* (Iſaiæ 20. v. 2.) *Ideò ergo hæreſis eſt, quia non propter corporis afflictionem ſic ambulant, ſed quia teſtimonia Divina taliter intelligunt*. Si ad hæc poſteriora verba Danæus attendiſſet, nempè quòd ideò hæc hæreſis eſt, quia non propter corporis afflictionem nudis pedibus incedunt, ſed quia Deus Moyſi, Joſue, Iſaiæ hoc præceperit; procul dubio à dicteriis abſtinuiſſet, quibus Monachos excalceatos incedentes, velut hujus hæreſis fautores invadit: vidiſſet enim, hos, non quia

à Deo præceptum omnibus putent, ſed propter corporis afflictionem hoc elegiſſe. At ad hoc videndum oculos non habuit Danæus, ſectæ profeſſor, cui omnis corporis macerationes eliminare religio eſt.

II. Propterea in Monachos tanquam hujus hæreſis fruticationes incipit debacchari „ Inde enim, inquit, orta ſunt tot Mona-„ chorum genera, & in quoque genere tot ſectæ & divortia, qui „ colore quidem externiſque rebus inter ſe differunt, ſuperſtitio-„ ne autem, & falsâ atque adeò impiâ de operum ſuorum me-„ ritis opinione ſunt omnes inter ſe iidem & æquales „. His bonorum operum ex gratia Dei factorum meritum ſuperſtitionem vocat: qui eſt ſuæ ſectæ putidiſſimus error, quem fusè impugnavi, tum in Vera Eccleſia Tom.2. p.1. art.9., tum Tom.3. in 1. 2. Tract. de Merito Juſti Qu.1. Dub.2.

Subinde dicens, Monachos, dum Sanctos Dei Servos imitari putant, quia externum eorum habitum repræſentant, & ſimiarum more fingunt; addit, infinita penè admittere peccata, quæque apud Evagrium Lib. 1. Hiſt. cap.21. referuntur, magnæ quidem animi vanitatis & arrogantiæ plena, quamquam à pleriſque ejus ætatis hominibus inſulsè probantur. Ita iſte rigidioris vitæ Cenſor unâ ſententiâ & Monachos veteres ut peccatorum reos, & omnes illorum temporum homines, qui illorum geſta probarunt, tanquam inſulſos traducit & condemnat. Num ulteriùs progredi poterat inſana temeritas?

III. Legi Evagrium loco ab ipſo citato. Ibi Monaſteria ab Eudoxia conſtructa recenſet: *In quibus*, inquit, *diſcrepans quidem eſt vivendi ratio: ad unum tamen eumdemque pietatis ſcopum converſatio dirigitur*. Indè diverſas eorum vivendi rationes deſcribens, dicit, quòd alii omni terrenorum deſiderio exuti, nec aurum imò nec propriam veſtem habebant, menſam communem ſolis oleribus & leguminibus contextam, quantum ad vitam ſuſtentandam ſufficit: in precibus aſſidui, ac triduo jejunantes. Alii in ſolitudinibus & cavernis ab hominum conſortio ſegregati vivebant, è terra ſolum pabulum quantum ad vitam ſufficit carpentes. Alii, licèt pauci, ab animi perturbationibus adeò vacui evaſerunt, ut ad ſeculum redeuntes ac ſe inſanos ſimulantes, apud caupones ederent, ac in balneis cum mulieribus ſe lavantes, ut nullam ſenſus concupiſcentiam experiantur. Hos tamen Evagrius non in exemplum, ſed in admirationem proponit: ut quanta ſit Divinæ gratiæ vis quiſque percipiat, quæ jejuniis & corporis caſtigatione purgatos, etſi adhuc homines, inſenſibiles & velut mortuos reddit. Quare de præfatis omnibus concludit Evagrius dicens: *Felices quidem*

ob

Digitized by Google

ob vitam, quam hìc degunt: feliciores verò ob migrationem ad alteram vitam: ad quam continuò anhelant, eum cujus amore flagrant, videre cupientes.

IV. Hæc ſunt, quæ tamquam peccata Danæus in Monachis damnat, & veteres ea probantes inſulſos traducit. Petam ergo ab ipſo; Inſulſum eſt probare illos qui propter Chriſtum omnia terrena reliquerunt, ac ſe ipſos quoquè, qui nec tunicam ſibi propriam habere volunt, ut orationi ac Deo liberiùs ſerviant; qui corpus ſuum, ut concupiſcentias frænent, jejuniis & macerationibus caſtigant? Inſulsè ergo hoc Chriſtus commendavit in Apoſtolis, & propterea eos ſibi judicanti aſſeſſuros declaravit, & idem facienti centuplum, & vitam æternam promiſit Matth. 19. v. 28. & 29. & eodem cap. v. 21. dixit adoleſcenti: *Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & habebis theſaurum in Cælis*: & hoc monitum inſulsè ſecuti Apoſtoli & primi Chriſtiani ut habetur Act. 2. Si inſulſum eſt unicam habere tunicam cur ipſe Matth. 10. v. 9. & 10. Apoſtolis nec aurum, nec argentum, nec pecuniam, nec duas tunicas habere ſuaſit? Si orationi vacare inſulſum eſt, cur ipſe Matth. 14. v. 23. *Aſcendit in montem ſolus orare*, & ibi ſolus uſque ad veſperam manſit, Matth. 26. Oravit tertiò, & v. 38. Apoſtolis dixit: *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem?* Quod inculcat Paulus ad Coloſs. 4. v. 2., 1. Theſſal. 1. v. 2., 1. ad Tim. 5. v. 5. *Quæ verè vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus nocte ac die*. Si jejunantes probare inſulſum eſt; cur Chriſtus ipſe jejunans quadraginta diebus & quadraginta noctibus Matth. 4. ſuo præivit exemplo? Et Matth. 17. v. 20. & Marci 9. v. 28. dixit eſſe genus Dæmoniorum, quod *in nullo poteſt exire, niſi in oratione & jejunio?* Si macerare jejuniis corpus laudabile non eſt, malè dixit de ſe Paulus 1. Cor. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo*. Demum ſi in ſpeluncis morari extra aliorum conſortium bonum non eſt; injuſtè ergo Paulus Hebr. 11. v. 37. & 38. celebrat ex Veteri Teſtamento illos: *Qui circuierunt in melotis in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cavernis terræ*.

V. Hæc ſunt, non præcepta, ſed conſilia ad perfectiorem vitæ Chriſtianæ ſtatum à Chriſto & Paulo propoſita, à quibus varia Monachorum inſtituta prodiere, in quibus aliqui vitam plus minùſve auſteram ſpontè vovent, & ad perfectionem hâc viâ progredi ſtudent. Quæ tamen omnia ſpecie reformandæ (ſed verè deformandæ) Eccleſiæ Lutherus, Calvinus, & alii, ut amplum liberiori & laxiori vitæ campum aperirent, omnia quæ terreno-

rum abdicationem, auſteritatem & corporis caſtigationem ſpirant, in ſuis cœtibus extinxerunt. Ex quibus (alibi enim plura dixi) colliget æquus & pius Lector, qualis ſit hæc decantata reformatio.

VI. Nunc ad præſentem caſum me convertendo, dicam, Monachos, quorum aliqui apud Catholicos excalceati incedunt, hoc non facere, quia omnibus Chriſtianis id in Scripturis præceptum putent, ut Nudipedes contendebant, & ideò, ut ex Auguſtino ſupra dixi, inter hæreticos habiti ſunt; ſed auſterioris diſciplinæ amore id ſibi elegerunt: in quo etiam exemplo Chriſti conformantur, qui ut ſupra oſtendi Tomo 4. p. 1. cap. 19. §. 1. à num. 6. vel nudis omninò pedibus incedebat, ut ſentiunt S. Hieronymus Epiſt. 22. modò 18. ad Euſtochium, & S. Bonaventura Tom. 7. Opuſculo de Sandaliis Apoſtol.; vel ut probabilius cenſui ex Clemente Alex. Lib. 2. Pædagogi, & S. Auguſtino Sermone 42. de Sanctis, modò Serm. 101. cap. 6., ſolis caligis ſeu ſandaliis utebatur, quæ nihil aliud erant, quàm ſolea plantam pedis tegens, quæ ſuperiori parti pedis corrigiâ vulgari alligabatur. Et ita noſtris temporibus Monachi, qui dicuntur excalceati, plerique incedunt. Unde & causâ & modo à Nudipedibus hæreticis ſecernuntur. Videat Danæus, an Nudipedum hæreticorum imitatores potiùs ſint ex ſuo Reformatorum grege aliqui Anabaptiſtæ, ſeu Anti-Lutherani dicti, qui in Moravia Lindano teſte in Dubitantio Dialogo 2. degunt: de hoc enim ſatis me egiſſe reor.

CAPUT LXI.

De Donatiſtis.

§. I.

Cauſa ortus ſchiſmatis, hæreſis, ac inter ipſos ſciſſionis.

1. IN recenſenda hac Donatiſtarum ſeu Donatianorum hæreſi ordinem temporis S. Auguſtinus ſecutus non eſt: fuit enim multis ſupra relatis atque ipsâ Arianâ ortu anterior. Nam primò ſaltem ut purum ſchiſma emerſit ſub Conſtantino Magno Imperatore & Sylveſtro Romano Pontifice circa annum Domini 311. Huic ſchiſmati, quod in apertam hæreſim poſtea erupit, occaſionem imò & cauſam dedit mulier quædam Lucilla nomine, genere Hiſpana animo factioſiſſima, & divitiis præpotens, quæ tunc Carthagine morabatur. Hæc à Cæciliano Carthaginenſis Eccleſiæ

cleſiæ tunc Archidiacono reprehenſa, quòd ante ſacram Communionem os cujuſdam hominis mortui, etſi Martyris, nondum tamen ab Eccleſia pro Martyre habiti, ſuperſtitiosè oſculando veneraretur, graviſſimè hoc tulit: & quia Eccleſiaſtici 25. v. 23. *Non eſt ira ſuper iram mulieris*, omnem ulciſcendi ſui occaſionem quærebat.

II. Fortè accidit, ut Menſurius tunc Carthaginenſis Epiſcopus à Tyranno Maxentio Romam evocaretur, accuſatus quòd Felicem quemdam Diaconum famoſæ adversùs Maxentium epiſtolæ auctorem apud ſe occultaret, nec eum prodere vellet. Neceſſitate coactus paruit Menſurius, & vaſis & ornamentis Eccleſiæ ſenioribus commendatis, eorum relictâ notâ apud aniculam quandam, ut ſi ipſe non rediret, anicula illi daret, quem in Cathedra Epiſcopali ſedentem inveniret, Romam profectus eſt; ubi dictâ causâ juſſus reverti, in itinere mortuus Carthaginem pervenire non potuit. Hæc ex Optato de Schiſm. Donat. L. 1. c. 16.

III. Tunc ſuffragio totius populi in Epiſcopum Cæcilianus eligitur, & à Felice Aptungitano ordinatur: qui cùm à Senioribus depoſitum ſacrum eis à Menſurio ut ſupra concreditum repeteret, hi à communione ipſius ſe abſciderunt: his particulare odium adversùs Cæcilianum adhuc fovens Lucilla ſeſe adjunxit cum Botro & Cæleſio, qui dictum Epiſcopatum ambientes, ſpe ſuâ dejecti fuerant. Sic illo tempore (inquit Optatus) ſchiſma *confuſæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit*. Ut ſchiſma ſuum aliquo colore delinirent, opponebant perſonæ Cæciliani, quòd Confeſſoribus in carcere conſtitutis victum afferri prohibuiſſet, quòd etiam thurificaſſet. Ejus autem Ordinationem criminabantur: Primò, quia factam à Felice Aptungitano ſacrorum Codicum tempore perſecutionis Infidelibus traditore. Secundò, quia non factam à Primate Numidiæ: Ordinatio enim Primatis, qualis Epiſcopus Carthaginenſis, ab alio Primate fieri debuerat. Hoc tamen falſum eſſe S. Auguſtinus in Breviculo Collationis oſtendit, exemplo Epiſcopi Romani, qui non ab aliquo Metropolitano, ſed ab Epiſcopo Oſtienſi ordinatur.

IV. His muniti calumniis, quamvis totus Carthaginenſis populus ad Eccleſiam cum Cæciliano conveniret, eique ut legitimo Epiſcopo debitam obedientiam præſtaret, rebelles iſti Secundum Tigiſitanum Numidiæ Primatem Traditorum principem cum aliis ejuſdem notæ Epiſcopis Carthaginem convocarunt, qui in Concilio 70. ejuſdem furfuris Epiſcoporum, Cæciliano criminis, cujus ipſi rei erant (quod ipſi in Concilio Numidiæ ſibi mutuò confeſſi fuerant) damnato, Majorinum Lucillæ domeſticum, ipſa mu-

munere quadringentorum Follium eorum vota aucupante, in ſedem Carthaginenſem intruſerunt. Atque ita primum hujus ſchiſmatis ortum tum injuſtitia tum ſimonia fœdavit. Hæc opponit S. Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium cap. 29. ex Actis contra ipſos apud Zenophilum. *Teſtis eſt Chriſtus & Angeli ejus, quoniam traditoribus communicaſtis: ideſt Silvanus à Cirta traditor eſt, & fur rerum pauperum, quod omnes vos Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi & Seniores ſcitis; & de quadringentis follibus Lucillæ clariſſimæ feminæ, pro quo vobis conjuraſtis, ut fieret Majorinus Epiſcopus, & inde factum eſt ſchiſma*. Ita S. Auguſt. Follis autem erat ſpecies monetæ æreæ exigui valoris, quæ ab aliquibus Obolo comparatur. Erant etiam folles argentei, & his emiſſe ſuffragia Lucillam pro Majorino credibile videtur.

V. Schiſma hoc (poſtea hæreſis) Donatianorum ſeu Donatiſtarum à Donato nomen & vires accepit. At cum duo illo tempore hoc nomine fuerint: unus Donatus à Caſis Nigris Epiſcopus, à quo Majorinus ordinatus eſt: alter Donatus qui Majorino in Epiſcopatu Carthaginenſi ſucceſſit, ambo ejuſdem factionis homines; anceps aliquando fuit S. Auguſtinus, quis horum fuerit ſchiſmatis primus incenſor; an Donatus à Caſis Nigris, an alter Carthaginenſis: maximè quia ab iſto velut à Sectæ ſuæ principe appellari Donatiſtæ ſuo tempore poſtea gloriabantur. Attamen re meliùs inſpectâ Lib. 1. Retract. cap. 21. loquens de Donato, qui in cauſa Cæciliani à Conſtantino Judices petiit, apertè ait: *Non ipſum* (Carthaginenſem) *ſed alium Donatum, ejuſdem tamen ſchiſmatis, hoc feciſſe probabiliùs invenitur. Ille autem non erat Carthaginenſis Donatiſtarum Epiſcopus, ſed à Caſis Nigris, qui primus apud Carthaginem ipſum nefarium ſchiſma commiſit*. Quod confirmat Lib. de Hæreſ. cap. 69.

VI. Cæcilianus interim ſe adversùs furentes ſchiſmaticos tutum exiſtimabat, quòd Romanæ Eccleſiæ communione eſſet conjunctus: unde S. Auguſtinus Epiſt. 162. modò 43. cap. 3. *Poſſet*, inquit, *Cæcilianus non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, unde Evangelium ad Africam venit, per communicatorias literas eſſe conjunctum, ubi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur*.

VII. Schiſmatici è converſò videntes, Cæcilianum eſſe quoquè Conſtantino Magno gratiſſimum, nec conſilia ſua in illum feliciter ceſſura, niſi Imperatorem ſuas in partes quoquo modo pertraherent: ſubſcriptos accuſationum contra Cæcilianum libellos,

los, per Anulinum Africæ Proconſulem ad Conſtantinum in Galliis tunc agentem tranſmiſerunt. *Quibus lectis* (refert Optatus Lib. 1. de Schiſm. Donat. cap. 23.) *Conſtantinus pleno livore reſpondit .... dum ait: Petitis à me in ſeculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem.* Iſdem verbis ſcripſit Conſtantinus ad Epiſcopos Concilii Arelatenſis, quæ notatu ſunt digna; illis enim voluit Imperator oſtendere, Epiſcoporum controverſias judicandi jus non ſibi qui in ſeculo, ideſt laicus, eſſet, ſed Epiſcopis, qui vices Chriſti gerunt.

VIII. Quia tamen hoc non obſtante Judices dedit: unde Optatus ſubjungit: *Et tamen dati ſunt Judices*, quorum nomina exprimit, exurgit gravis quæſtio ex utraque parte agitata, an hoc facto Imperator uſurpaverit ſibi jus in hac & ſimilibus cauſis judicandi. Sed quia eam diſcutere hujus mei inſtituti non eſt, ab ea abſtineo. Solùm dicam, quòd niſi dicamus Conſtantinum facto verbis contradixiſſe, cùm dixerit ſibi de hac cauſa judicium non competere: *Petitis à me in ſeculo judicium, cùm ego ipſe Chriſti judicium expectem*: ſi poſtea Donatiſtis acquieſcens Judices dedit, credendum, hoc feciſſe ſtudio pacis conciliandæ, non ut de cauſa judicium ferrent, ſed ut auditis partibus, judicium & ſententiam Epiſcopis reſervarent: quod factum fuit, tum à Melchiade in Concilio Romano, tum in Arelatenſi, ubi ea delatâ, & cognitâ causâ, Donatiſtæ fuere damnati. Qui cum poſtea ad ipſum à tali judicio appellaſſent, exhorrens reſpondit (apud Optatum cap. 23.) *O rabida furoris audacia! Sicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.* Eos tamen non ſemel audivit: ſed tandem videns, eos benignè ſuâ patientiâ in dies inſoleſcere, capitali ſententiâ damnavit, ut S. Auguſt. refert Lib. 1. contra Epiſt. Parmeniani cap. 8., & pro firma & inappellabili Eccleſiæ Catholicæ ſententia edicta tulit, quæ videre eſt apud Baronium ad annum 314. num. 38. & 39.

IX. De Conſtantini erga judicium Eccleſiæ reverentia teſtis eſt S. Auguſtinus Epiſt. 166. modò 105. cap. 2., ubi de cauſa Cæciliani à Donatiſtis ad Conſtantinum delata: *Sed quia*, inquit, *Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi judicare, eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegavit. Quod & factum eſt in urbe Roma præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ cum multis Collegis ſuis. Qui cum Cæcilianum innocentem pronuntiaſſent, & Donatum* (à Caſis Nigris) *qui ſchiſma Carthagini fecerat, ſententiâ percuſſiſſent, iterum veſtri ad Imperatorem venerunt, de judicio Epiſcoporum, in quo victi fuerant, murmurarunt ...: Iterum tamen clementiſſimus Imperator alios Judices Epiſcopos dedit apud Arelatum Galliæ*

Galliæ civitatem, & ab ipſis veſtri ad ipſum Imperatorem appellarant, donec etiam ipſe cauſam cognoſceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumnioſos pronuntiaret: non judicium ferendo, ſed judicium Epiſcoporum ſuæ auctoritatis brachio pro executione roborando. Cui, cùm non acquieſcerent, tædio ob eorum contumaciam victus, ſeveriſſimam legem contra eos tulit, ut ibi S. Auguſtinus dicit. Ex quibus apparet, quòd ſi Conſtantinus in hoc aliquo nævo notari poteſt, nimiæ lenitatis, & pacis procurandæ fuit, non quod Eccleſiæ judicium eſt, ſibi uſurpandi.

X. Donatiſtæ victi, ſed non convicti, furore in dies adacti ſchiſma hæreſi auxerunt, Donato Carthaginenſi Epiſcopo eam promovente. Nec ſatis illis fuit à Catholicis ſchiſmate & hæreſi eſſe divulſos, quin & ſchiſmate ſe ipſos diviſerunt. Ita S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap.69. *Multa*, inquit, *& inter ipſos facta ſunt ſchiſmata, & ab iis ſe diverſis cœtibus alii atque alii ſepararunt, quorum ſeparationem cætera grandis multitudo non ſenſit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejuſdem erroris centum ferè Epiſcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem, cum eis duodecim qui ordinationi ejus etiam præſentiâ corporali interfuerunt, atrociſſimâ criminatione damnatus, compulit eos noſſe, etiam extra Eccleſiam dari poſſe Baptiſmum Chriſti* &c. Ex quibus vides quàm latè propagata eſſet hæc peſtis, dum in ſola Africa quadringenti & ſupra Epiſcopi eâ infecti eſſent.

Hujus autem inter eos ſchiſmatis hæc cauſa fuit. Circa annum Chriſti 394. Siricio Pontifice ac Theodoſio imperante, cùm obiiſſet Parmenianus Donatiſtarum Carthaginenſis Epiſcopus Donati ſucceſſor, ei ſuffectus eſt Primianus, adversùs quem ab aliis Donatiſtis creatus eſt Maximianus Diaconus: unde factum eſt ut alii Primianiſtæ, alii Maximianiſtæ nuncuparentur. Super hoc duo Conciliabula fuerunt: unum apud Cavernas Suſis, alterum Cebarſuſſi, in quorum utroque Primianus damnatus fuit. Sed alio Bagai civitate Numidiæ à trecentis & decem Epiſcopis convocato, Primianus legitimus Epiſcopus declaratus fuit, & adversùs Maximianum prolata ſententia, de qua S.Auguſt. Lib.3. contra Creſconium cap.53. & 54. Sic Donatiſtæ in has duas factiones diviſi, iterum in alias Rogatianos nempè & Urbanenſes ſciſſi ſunt, ut S. Auguſtinus dixerit Lib.1. de Bapt. contra Donat. cap.6. *Eadem pars Donati in multa minutiſſima fruſta conciſa eſt*, ut neque qui ejuſdem factionis erant inter ſe convenirent.

XI. Ex his inter Donatiſtas ſciſſionibus idem S. Auguſtinus Serm. 71. (aliàs 11. de Verbis Domini) cap. 2. arguit, incredulos & impios, qui etiam ſub nomine Chriſtiano hæreſes & ſchiſmata fa-

faciunt, ad Regnum Chriſti non pertinere quod in ſe indiviſum eſt, ex illis Chriſti verbis Lucæ 11. v. 23. *Qui non colligit mecum diſpergit*: & ait: *Non eſt ergo adverſùm ſe diviſum Regnum Chriſti: ſed homines conantur dividere quod emtum eſt pretio ſanguinis Chriſti. Novit enim Dominus qui ſunt ejus. Et recedat*, inquit (2. Timoth. 2. 9.) *ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. Nam ſi ab iniquitate non recedit, non pertinet ad Regnum Chriſti etiam nominans nomen Chriſti*. Et hoc exemplis oſtendit, addens: *Apud Idolorum cultores ſpiritus Junonis, & ſpiritus Herculis diviſi ſunt adverſùm ſe: & ambo pertinent ad regnum Diaboli. Paganus hoſtis Chriſti, & Judæus hoſtis Chriſti diviſi ſunt adverſùm ſe: & ambo pertinent ad regnum Diaboli. Arianus & Photinianus ambo hæretici, & adverſùm ſe ambo diviſi. Donatiſta & Maximianiſta ambo hæretici, & adverſùm ſe ambo diviſi. Omnia vitia erroreſque mortalium inter ſe contrarii diviſi ſunt adverſùm ſe, & omnes pertinent ad regnum Diaboli: & ideò non ſtabit regnum ejus*. Diſcant ergo Lutherani, diſcant Calviniſtæ, & alii qui Eccleſiam Chriſti regnum ſchiſmate & erroribus diſciderunt, quòd quia adverſùm ſe ſunt diviſi, non pertinent ad Regnum Chriſti, quod in ſe unum & indiviſum eſt, ſed ad regnum Diaboli: & ideò eorum regnum non ſtabit.

XII. Donatiſtarum furor pii Conſtantini zelo ac legibus aliquantùm compreſſus, ſub Juliano vires & audaciam reſumſit. Datis enim ad illum ſupplicibus libellis, quale ab Imperatore à fide Chriſtiana Apoſtata ſperari poterat, reſcriptum reportarunt. Baſilicas, quas Conſtantinus ipſis abſtulerat & Fiſco applicaverat, eis reſtituit & liberè conventus agere conceſſit. Prætereà Julianum ſummis laudibus ſupra alios Principes, quaſi *apud eum ſola juſtitia locum haberet*, Donatiſtæ extulerunt: quos S. Auguſtinus deteſtatur Lib. 1. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 12. Lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 83. dicens eis: *Quando Julianus vobis, Chriſti invidens paci, Baſilicas reddidit unitatis, quæ ſtrages à vobis factæ ſunt, quando vobiſcum apertis Templis ſuis etiam Dæmones exultabant, quis commemorare ſufficiat?* Brevì interfecto Juliano, hoc præſidio deſtituti, quamvis ſubſequentium Imperatorum legibus Theodoſii majoris contra hæreticos latis, fuerint ab Honorio comprehenſi, ac ſpecialibus edictis conſtricti, errorem tamen non depoſuerunt.

XIII. Quare diù, ac per tria ſecula hæreſis iſta perſtitit maximè in Africa, unde S. Gregorius Magnus Lib. 4. Epiſt. Ep. 34. ad Pantaleonem Africæ Præfectum ſcribit, ut Donatiſtarum audaciam ibi comprimat: *In illis*, inquit, *partibus, quantùm didicimus*,

mus, ita Donatiſtarum crevit audacia, ut non ſolùm de ſuis Eccleſiis auctoritate peſtiferâ ejiciant Catholicæ fidei Sacerdotes: ſed hos, & quos verâ confeſſione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuant. Et Epiſt. 35. cum Victore & Columbo Epiſcopis Africæ graviter queritur, quòd negligant eos comprimere, ſed in dies inſoleſcere tolerent; eoſque adhortatur, ut habito tractatu unitoque Concilio huic naſcenti morbo obſiſtant: & Lib. 6. Epiſt. Ep. 65. ad Mauritium Imperatorem Africanos quoſdam Epiſcopos Romā Conſtantinopolim mittit, qui Mauritio ipſi teſtentur, Imperiales contra Donatiſtas leges negligi, ejuſque animum adversùs legum ſuarum contemtores excitat. Ex modo tamen loquendi S. Gregorii videtur hæreſis hæc jam ſopita ſuo tempore revixiſſe. „ Poſtea tamen (inquit Danæus) jugulata eſt hæc hæreſis, & „ conquieverat, niſi miſeri & inſani Anabaptiſtæ eam ab interis „ hoc noſtro ſeculo revocaſſent „. Tacet tamen Anabaptiſtas eſſe miſerum ſuæ prætenſæ reformationis ſurculum è ſchola Lutheri, Zuinglii, & etiam Calvini, ut ab infauſta radice prodeuntem.

XIV. Catholicos in ſpretum Macarianos appellabant à Macario Comite, qui Cæciliani tempore Carthagini præfuit, eique favit, eo ſimili modo quo hiſce temporibus Catholicos Papiſtas appellant Pſeudo-Reformati, quia pro auctoritate Papæ ideſt Romani Pontificis pugnant. Donatiſtæ verò pars Majorini (quem Donatus à Caſis Nigris adversùs Cæcilianum Carthagine Epiſcopum conſtituerat) primò appellati ſunt, deinde pars Donati dicti, ſeu Donatiani, vel Donatiſtæ, hoc nomen retinuerunt. Ita apud S. Auguſt. Epiſt. 88. (aliàs 68.) ad Januarium Epiſcopum Donatiſtam. Qui verò Romæ erant, Montenſes, ſeu Cutzupitæ vocabantur, ut ex S. Auguſtino Epiſt. 53. (aliàs 165.) eò quòd Eccleſiam Romæ primam in monte habere cœperint, ſive à ſpelunca, ut refert Optatus Lib. 2. quam in editiore loco extra Civitatem habebant cratibus ſeptam, in qua conventicula ſua celebrabant. S. Hieronymus tamen Lib. adv. Luciferianos vult eos Romæ dictos fuiſſe Campitas, ſeu Campates, fortè quia in campis cœtus ſuos agerent. Nunc ad eorum errores deveniamus.

§. II.

Error de Eccleſia.

I. PRimò dicebant, Eccleſiam Traditorum contagio, & malorum communione toto terrarum Orbe periiſſe, & in ſola Africa in parte Donati, hoc eſt apud ipſos remanſiſſe. Hoc ſuum commentum fulcire conabantur verbis illis Sponſæ Canticorum 1. v. 6.

v. 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in Meridie*. Cùm enim vellent, Africam in meridiana parte eſſe conſtitutam, inferebant Eccleſiam cum Chriſto ſponſo in ſola Africa inveniri. Detegit hoc ſomnium S. Auguſtinus L. de Unitate Eccleſiæ c. 16. dicens: *Etſi tamquam quærenti ubi paſceret, & ubi cubaret, de terreno loco reſponderetur* „ In Meridie „ *non continuò Africam accipere deberemus. Africa enim in parte quidem meridiana Mundi eſt, ſed ad Africum, non ad Auſtrum, ubi verè Meridies eſt. Ibi enim Sol facit medium diem ſub qua Cœli plaga potiùs Ægyptus invenitur. Si ergo ſponſus ab ſponſa tamquam de loco familiariùs dilecto, & cubili quodam ſuo ſecreto interrogatus, reſponderet eſſe in Meridie, multò probabiliùs Eccleſia Catholica in his membris ſuis hoc agnoſceret, quæ ſunt in Ægypto, in millibus Servorum Dei, qui per eremum ſanctâ ſocietate vivunt, perfectionem præcepti Evangelici ſtudentes tenere, quo dictum eſt* Matth. 19. v. 21. „ Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlis, & veni ſequere me „. *Quantò enim meliùs ibi ſecretiùs paſcere & cubare, ideſt requieſcere Filius Dei diceretur, quàm in turbis inquietis furioſorum Circumcellionum, quod malum Africæ proprium eſt*. Indè allatâ prophetiâ Iſaiæ c. 19. prænuntiantis apud Ægyptios futuram Dei miſericordiam, ſubjungit: *Quid ad hæc dicunt? Quare non communicant Eccleſiæ quæ prædicta eſt Ægyptiorum? Aut ſi præfiguratione propheticâ Ægyptus Mundum ſignificat, quare non communicant Eccleſiæ Orbis terrarum?*

II. Quæ S. Auguſtinus objicit Donatiſtis, modernis Pſeudo-Reformatis repeti poſſunt. Donatiſtæ ſeparaverant ſe ab Eccleſia Catholica Orbis terrarum, quam dicebant toto Orbe periiſſe, & in ſola parte Donati remanſiſſe, vel revixiſſe. Moderni Pſeudo-Reformati dicunt, ſe ab Eccleſia Catholica ſejunxiſſe, quia toto Orbe perierat, & ſolâ parte Lutheri, Calvini, & ſimilium remanſiſſe, hanc ſolam verè Apoſtolicam, & Evangelicam eſſe, cæteras non ampliùs Apoſtolicas, ſed Apoſtaticas evaſiſſe: in Traditoribus & aliis malis, ajebant Donatiſtæ; in Papatu, & ſuperſtitionibus ab eo inductis, dicunt prætenſi Reformati. Reſpondeant ergo utrique S. Auguſtino ab eis petenti, ut unum ſaltem proferant è Scripturis teſtimonium certum & manifeſtum: *Quo demonſtrent Eccleſiam Chriſti periiſſe de cæteris gentibus, & in ſola Africa remanſiſſe, tamquam ab alio initio, non ab Jeruſalem, ſed à Carthagine, ubi primò Epiſcopum contra Epiſcopum levaverunt*.

III. Hoc quod Auguſtinus à Donatiſtis, petam ego à modernis prætenſis Eccleſiæ Reformatoribus: Proferant, inquam, è Scri-

pturis teſtimonium manifeſtum, quo demonſtrent, Eccleſiam Chiſti periiſſe, & apoſtataſſe de cæteris gentibus, & in ſola factione Lutheri, Calvini, & ſimilium remanſiſſe, tamquam ab alio initio, non ab Jeruſalem, aut aliis Apoſtolicis Eccleſiis, ſed ab hominibus nullam in Eccleſia poteſtatem gerentibus, nullam ſpecialem à Deo miſſionem oſtendentibus; & tunc cùm primò ab Epiſcopo Romano Primatum, quem Eccleſia ſemper in eo venerata eſt, à ſuis cœtibus abſtulerunt. Ipſos ab Eccleſia apoſtataſſe certum eſt: ſed Eccleſiam periiſſe, & de Apoſtolica factam fuiſſe Apoſtaticam, quando & in quo, nec ipſi ſciunt. Evangelii ſemen debere creſcere uſque ad meſſem, meſſem autem eſſe finem ſeculi; & quamvis tritico zizania miſceantur, hæc toleranda non eradicanda eſſe niſi in fine ſeculi, clarè dicit Scriptura Matth. 13. v. 30. c. 24. v. 34. Si ergo, ut dem illis quod volunt, in Eccleſiam irrepſerant abuſus, tritico mixta erant zizania; qui erant Donatiſtæ, qui fuere Lutherus, Calvinus, & alii, ut ea eradicandi titulo agrum Eccleſiæ invaderent, quando nec Angelis, niſi tempore meſſis, hoc eſt in fine ſeculi, hoc facere conceſſum eſt?

IV. Placeat iterum audire Auguſtinum cap. 18. loco citato: *Quoniam igitur in Scripturis Sanctis Eccleſia manifeſtè cognoſcitur, incipiens ab Jeruſalem, & per alias gentes creſcens, donec omnes occupet uſque in finem ſeculi, non autem ſola frumenta, ſed & purgamenta ejus commemorantur: priùs correcti communicate frumentis, & tunc videbitis, quid in zizania vel paleam dicere debeatis. Alioquin & malos bonorum laudibus exornare, & bonos malorum criminibus accuſare deteſtando errore cogimini. Nempè in manibus documenta geſtamus, quibus probemus majores veſtros, quorum ſchiſma ſectamini, & municipalibus geſtis ſanctos Libros ignibus tradidiſſe, & Eccleſiaſticis negare non potuiſſe, eoſdemque inter Judices fuiſſe illos, qui apud Carthaginem contra Cæcilianum & Collegas ejus abſentes ſententias contulerunt.* An hæc & alia quæ S. Auguſtinus in Donatiſtas intorquet, dici poſſit de modernis Pſeudo-Reformatoribus, qui tot criminibus Eccleſiam Catholicam Romanam onerarunt, & onerare adhuc non ceſſant, ipſi viderint. Conferri poſſunt quæ dixi in Vera Eccleſia maximè Tomo 1.

V. Donatiſtæ tamen à modernis Reformatis, ſeù veriùs Hæreticis, in hoc diſcordabant, quod ubi iſti ſuæ hæreſis baſim in ſeceſſione ab Eccleſia Romana, & à Papatu quem velut Antichriſti Regnum impiè blaſphemant, conſtituerunt: illi conſiderantes veram Eccleſiam, qualem eſſe ſuam jactabant, ſinè communione cum Romana non poſſe ſubſiſtere, illuc aliquem ex ſuis ſecretò mittebant, qui ſuæ factionis homines, quos Montenſes,

vel

vel Campitas vocatos ſupra dixi, velut Epiſcopus Romæ gubernaret. Hoc eorum conſilium irridens Optatus Milevit. Lib. 2. de Schiſm. Donatiſt. cap. 4. ait: *Sed & habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis, ramus eſt veſtri erroris protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique ſi Macrobio* (qui tunc pro Donatiſtis Romæ agebat) *dicatur, ubi illic ſedeat, numquid poteſt dicere, in Cathedra Petri, quam neſcio ſi vel oculis novit, & ad cujus memoriam non accedit, quaſi ſchiſmaticus*. Et poſt aliqua: *Quid eſt hoc*, inquit, *quòd pars veſtra in urbe Roma Epiſcopum civem habere non potuit? Quid eſt quòd toti Afri & peregrini, in illa civitate ſibi ſucceſſiſſe noſcuntur?* Indè aſcendens ad Victorem, qui primus ex Donatiſtis Romam miſſus fuit, vocat eum paſtorem ſinè grege, & Epiſcopum ſinè populo, quia ex quadraginta Baſilicis, quæ tunc Romæ erant, nullam habere potuit, ubi ſuos colligeret; unde coactus fuit ſpeluncam quandam foris à civitate cratibus ſepire, ibique conventus agere, ex quo Montenſes appellati ſunt.

VI. Ex hoc, quòd Donatiſtæ nullum ſuæ factionis Romanum Epiſcopum habuerint, validum contra eos format argumentum S. Auguſtinus Epiſt. 53. (aliàs 165.) cap. 1. Ibi enim ordine ſibi ſuccedentium in Petri Cathedra à D. Petro uſque ad Anaſtaſium tunc ſedentem, concludit: *In hoc ordine ſucceſſionis nullus Donatiſta Epiſcopus invenitur. Sed ex tranſverſo ex Africa ordinatum miſerunt qui paucis præſidens Afris in urbe Roma Montenſium vel Cutzupitarum vocabulo propagavit*. Hoc eodem diſcurſu provocari poſſent moderni Hæretici dicendo, quòd in ordine ſucceſſionis, nullus Epiſcopus Romanus Lutheranus, aut Calvinianus, aut qui eorum erronea dogmata docuerit, invenitur. Sed hoc diſcurſu, licèt forti, nihil puto moverentur: cùm enim ab eis ſuppoſita labes in Eccleſiam irrepſerit à Romanis Pontificibus; unde conviciis ac mendaciis quotquot à multis ſeculis in Romana Cathedra ſederunt calumniari non deſiſtunt; ſuæ Sectæ honori potiùs deputarent, quòd ex ea nullus Romanam Cathedram occuparit.

VII. Quia tamen in Romanis Epiſcopis Recentiores culpant, & doctrinam, & mores; quoad ea quæ blatrant contra doctrinam, hanc in Romanis Epiſcopis fuiſſe puram Doctrinæ Evangelicæ, Apoſtolicæ, & Catholicæ Eccleſiæ conformem ſigillatim oſtendi in Vera Eccleſia, & è converſo doctrinam, quam moderni Sectarii profitentur; eſſe omnium ſeculorum conſenſu tamquam hæreticam à Catholica Eccleſia proſcriptam. Quò verò ad ea quæ contra facta & mores quorumdam Romanorum Pontificum obmurmurant, præter ea quæ in Vera Eccleſia dixi, repetam quæ S. Auguſtinus Epiſt. 53. laudata de Donatiſtis ait: *In illum autem ordi-*

nem

nem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ & innocentibus Chriſtianis: quibus Dominus providens ait de præpoſitis malis (Matth. 23. v. 3.) „ Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt „. *Ut certa ſit ſpes fidelis, quæ non in homine, ſed in Domino collocata numquam tempeſtate ſacrilegi ſchiſmatis diſſipetur, ſicut iſti diſſipati ſunt, qui legunt in Codicibus Sanctis Eccleſias quibus Apoſtoli ſcripſerunt, & nullam in eis habent Epiſcopum. Quid autem perverſius & inſanius, quàm Lectoribus eaſdem Epiſtolas legentibus dicere* „ Pax tecum „ *& ab earum Eccleſiarum pace ſeparari, quibus ipſæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt?*

VIII. Hæc à Lectore perpendenda dicebat S. Auguſtinus de Donatiſtis, quia & ipſi ob crimina in ea conficta aſſerebant Eccleſiam à Chriſto Sponſo apoſtataſſe, & factam eſſe meretricem. Teſtis eſt idem S. Doctor in Serm. ad Cæſarienſem plebem coram Emerito Epiſcopo Donatiſta habito, ubi conquerentibus Donatiſtis, quòd Catholici eos perſequerentur, juſtam eſſe hanc perſecutionem oſtendens, ait: *Pſalmum lego* (100. v. 5.): *Detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar. Si rectè perſequor occultè proximo ſuo detrahentem, non rectiùs perſequor Dei Eccleſiam publicè blaſphemantem, quando dicit* „ Non eſt ipſa „ *quando dicit* „ Noſtra eſt quæ in parte eſt „ *quando dicit* „ Illa meretrix eſt „? *Ergo blaſphemantem Eccleſiam non perſequar? Perſequar planè, quia membrum ſum Eccleſiæ: perſequar planè, quia filius ſum Eccleſiæ. Ipſius voce Eccleſiæ utor, ipſa per me dicit in Pſalmo* (17. v. 38.) „ Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant „. *Deficiant in malo, proficiant in bonum.* En quos moderni Hæretici in proſcindenda tanquam adultera Catholica Eccleſia habuere Magiſtros. Nos perſequimur errorem, ſed perſonas hortamur, ut deficiant in malo, & proficiant in bonum, redeundo, unde diſceſſerunt.

§. III.

Error de Rebaptiſmo, & de Trinitate.

I. EX præfato errore, quo dicebant Eccleſiam à toto terrarum Orbe defeciſſe, & ſolùm apud ipſos remanſiſſe, hunc alium trahebant, nimirùm ſolùm Baptiſmum apud eos & in ſua factione collatum validum eſſe dicebant. Et propterea ſi Catholicorum aliqui ad eos deficiebant, illos Donatiſtæ rebaptizabant. Ita refert S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 69. *Audent etiam rebaptizare*

Ca-

Gathòlicos, ubi ſe ampliùs hæreticos eſſe firmarunt; cùm Eccleſiæ Catholicæ univerſæ placuerit, nec in ipſis hæreticis Baptiſma commune reſcindere. Quia verò in ſui patrocinium afferebant exemplum S. Cypriani, qui Baptiſmum extra Eccleſiam datum irritum eſſe cenſuit, eos Lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 3. ita redarguit: *Vos certè nobis objicere ſoletis Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium: cur auctoritatem Cypriani pro veſtro ſchiſmate aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis?* Et poſt multa: *Quapropter Sanctus Cyprianus tantò excelſior quantò humilior, qui documentum Petri ſic amavit, ut diceret* (Epiſt. 71. ad Quintum) „ Documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patien„ tiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ ali„ quando à Fratribus & Collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſug„ geruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potiùs noſtra ducamus „: *ſatis oſtendit facillimè ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret Baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis qui foràs exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cùm foras exirent .... Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati; cui & ipſe ſinè dubio crederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur*.

II. Damnat ergo Donatiſtas S. Auguſtinus, quia poſtquam univerſa Eccleſia ſtatuit, Baptiſma in nomine Trinitatis validum eſſe, quamvis ab hæretico vel ſacrilego miniſtro collatum, ipſi pertinaciter & iniquè Baptiſma in Eccleſia Catholica, tamquam à ſacrilegis collatum, ut irritum reſpuebant: cùm hoc poſito, ſuum potiùs, ut apoſtaticâ & verè ſacrilegâ manu collatum rejicere ut nullum debuiſſent. Sed in hoc etiam ſecum ipſi pugnabant. Ubi enim baptizatos à Catholicis tanquam manu ſacrilegâ, ideòque nulliter tinctos rebaptizare volebant, imò & in ſuo ſchiſmate baptizatos, ſi ad Catholicos acceſſiſſent, redeuntes rebaptizabant, ac ſi Baptiſmum amiſiſſent: tranſeuntes tamen à ſua ad ſectam Maximiani, quam æquè ſacrilegam reputabant, redeuntes ſinè novo Baptiſmo ſuſcipiebant. Hinc eos S. Auguſtinus L. 4. contra Creſcon. cap. 62. ita redarguit: *Si enim Baptiſmum Felicianus à vobis recedendo perdiderat, cur non denuò rediens baptizatus eſt, ut ei quod perdiderat redderetur? Ipſe denique Maximianus ſi ad vos redeat, non baptizatur, quod deberet utique ſi perdiderat Baptiſmum..... Sicut ergo eis redeuntibus redditur Eccleſia, reddatur Baptiſmus. Baptizentur, inquam, redeuntes, ſi Baptiſmum amiſerunt abſcedentes. Hoc quia non facitis, etiam vos fatemini ab Eccleſia recedentibus ineſſe Baptiſmum, nec prodeſſe. Dant ergo ſicut habent,*

Digitized by Google

bent, ideſt ut & ipſis, qui ab eis extra Eccleſiam ſumunt, inſit Baptiſmus, nec tamen proſit. Unde ſicut illis redeuntibus non redditur quod non amiſerunt: ita & illis non dandum eſt quod acceperant, ſed agendum cum eis, ut per Eccleſiam proſit utriſque, quod extra Eccleſiam ineſſe potuit, non prodeſſe. Hactenus S. Auguſtinus. Ex quo apparet, Donatiſtas voluiſſe, non ſolùm Baptiſmum à Catholicis receptum nullum eſſe, ſed etiam tranſeuntes ad Catholicos Baptiſmum quod habebant amittere: quod tamen de tranſeuntibus de una ad aliam ex eorum Sectis non aſſerebant: & in hoc S. Auguſtinus eos perſtringit.

III. De validitate Sacramenti, & præcipuè Baptiſmi ſub debita forma & intentione etiamſi ab Hæretico, vel alio Infideli, vel improbo collati, pro viribus egi Tom. 2. in 3. p. tum qu. 7. de Sacramentorum Miniſtris Dub. 5. & 6. tum Tract. de Bapt. qu. 4. de Miniſtro Bapt. Dub. 2. §. 3. & toto Dub. 3. unde hic repetenda ibi dicta non ſunt. Solùm addam Optatum Lib. 5. de Schiſm. Donat. cap. 6. ita eos alloquentem: *Redeo nunc ad illud veſtrum quod dicitis: qui non habet quod det, quomodo dat? Unde hæc vox eſt: de qua lectione recitari poteſt? Vox eſt de vico collecta, non de libro lecta: qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba in lege ſcripta non ſunt; nam ſi (ut vultis) homo dat, Deus vacat; & ſi Deus vacat, & apud vos eſt omne quod dandum eſt, ad vos ſit converſio, quos baptizatis, in nomine veſtro tinguntur. Erubeſcite, beato Paulo clamanti, & ſuam gratulationem profitenti* (1. Cor. 1. v. 3.) „ Numquid in nomine meo baptizati eſtis „? *Ille gaudet, quòd duos ſolos & unam domum baptizaverit: & vos populos rebaptizare contenditis, & peccaſſe vos & peccare gaudetis, dicentes, quid dat, qui non habet quod det? Cui creditur, ipſe dat quod creditur, non per quem creditur.* Nam ut ait S. Auguſtinus Tract. 5. in Joan. *Sibi tenuit Dominus baptizandi poteſtatem, ſervis miniſterium dedit. Dicit ſe ſervus baptizare, rectè dicit, ſicut Apoſtolus dicit* „ Baptizavi autem & Stephanæ domum „ (1. Cor. 1. v. 16.) *ſed tamquam miniſter: ideò ſi ſit malus, & contingat illi habere miniſterium, etſi eum homines non norunt, & Deus eum novit: permittit Deus baptizari per eum, qui ſibi tenuit poteſtatem.*

IV. Alium errorem Donatiſtis affingunt Epiphanius & Theodoritus, nempè quòd de Trinitate cum Arianis ſentirent. Verùm S. Auguſtinus particularis potiùs perſonæ Donati Epiſcopi Carthaginenſis, quàm totius Sectæ errorem fuiſſe exiſtimat. Lib. enim de Hæreſ. cap. 69. ubi de Donato Majorini in Epiſcopatu Carthaginenſi ſucceſſore: *Extant*, inquit, *ſcripta ejus, ubi apparet eum etiam non Catholicam de Trinitate habuiſſe ſententiam, ſed quamvis ejuſ-*

ejuſdem ſubſtantiæ, minorem tamen Patre Filium, & minorem Filio putaſſe Spiritum Sanctum. Verùm in hunc, quem de Trinitate habuit, ejus errorem Donatiſtarum multitudo intenta non fuit; nec facilè in eis quiſquam, qui hoc illum ſenſiſſe noverit, invenitur. In Epiſtola tamen 185. (aliàs 50.) ad Bonifacium Comitem cap: 1. dicit, quòd *etſi* aliqui *ipſorum minorem Filium eſſe dixerunt quàm Pater eſt, ejuſdem tamen ſubſtantiæ non negarunt. Plurimi verò in eis hoc ſe dicunt omninò credere de Patre & Filio & Spiritu Sancto quod Catholica credit Eccleſia. Nec ipſa cum illis vertitur quæſtio; ſed de ſola communione infeliciter litigant, & contra unitatem Chriſti rebelles inimicitias perverſitate ſui erroris exercent. Aliquando autem, ſicut audivimus, nonnulli ex ipſis volentes ſibi Gothos conciliare, quando eos vident aliquid poſſe, dicunt hoc ſe credere quod illi credunt. Sed majorum ſuorum auctoritate convincuntur, quia nec Donatus ipſe ſic credidiſſe aſſeritur, de cujus parte ſe eſſe gloriantur.* Quibus apparet, quòd ſi ex Donatiſtarum grege aliqui Arianis communicarunt, hi pauci fuere, nec in errore ſed in ſchiſmate, ut ſibi præſidio eſſent, communicarunt.

V. Nec obeſt Epiſtola ab Arianis in Conciliabulo Sardicenſi data, quæ extat apud Hilarium in Libro fragmentorum, in qua inter Epiſcopos ad quos directa fuit exprimitur Epiſcopus Carthaginenſis, qui alius eſſe non potuit, quàm Donatus. Nam admiſſo, quòd Epiſcopus ille Carthaginenſis (cujus nomen in illa Epiſtola omittitur) fuerit Donatus, hoc feciſſe Arianos credendum eſt, ut eum ad ſuam ſocietatem traherent in ſchiſmate, non quia ſcirent in eodem errore ſecum eſſe. Ita S. Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium c. 34. *Non igitur mirum*, inquit, *ſi illi hæretici Donatum ſibi adſciſcere tentaverunt, quem per totum Orbem Catholica damnabat Eccleſia. Quamquam nos ſinè Civitatum nominibus Epiſcopos ad quos hæ Literæ datæ ſunt habeamus. Aut ergo aliquis Donatus fuit non in Africa Epiſcopus, cui nomini Carthago à veſtris eſt addita, aut, ut dixi, Africanam hæreſim Orientalis hæreſis ſibi tentavit adjungere.* Idem confirmat Epiſt. 163. (modò 44.) cap. 3. num. 6. Alipium ſibi ſuggeſſiſſe, *Arianos cùm à communione Catholica diſcrepaſſent, Donatiſtas in Africa ſibi ſociare tentaſſe.* Tale enim eſſe hæreticorum ingenium noſtris etiam temporibus experimur, ut quamvis erroribus ſint diverſi, imò contrarii, omnes tamen adversùs Eccleſiam Catholicam initâ ſocietate conjuncti ſunt.

* * *

§. IV.

Donatiſtarum impia facinora.

I. PRimò. Sacroſancta Eccleſiæ Sacramenta indigniſſimè tractarunt; Euchariſtiam canibus projicientes, & Sanctum Chriſma effundentes: utriuſque tamen ſceleris Deum ultorem ac vindicem experti fuere. Teſtis eſt Optatus Milevit. Lib. 2. cap. 19. *Vt omnia*, inquit, *Sacroſancta ſupra memorati veſtri Epiſcopi violarent, juſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſinè ſigno Divini judicii: nam iidem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi latrones Sancti Corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos laniaverunt. Ampullam quoquè Chriſmatis per feneſtram, ut frangerent, jactaverunt, & cùm caſum adjuvaret abjectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam ſpiritali ſubvectione deduceret: projecta caſum ſentire non potuit; Deo muniente, illæſa inter ſaxa conſedit.* Num hæc & ſequentia imitati fuerint Calviniſtæ, qui illorum hiſtoriam legerit, judicare poterit.

II. Secundò. Altaria vel frangebant, vel radebant, vel removebant. Facinus hoc idem Optatus Lib. 6. cap. 1. his verbis exaggerat: *Quid enim tam ſacrilegum, quàm Altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, removere? In quibus & vota populi, & membra Chriſti portata ſunt: quò Deus Omnipotens invocatus ſit: quò poſtulatus deſcenderit Spiritus Sanctus: unde à multis & pignus ſalutis æternæ, & ſpes reſurrectionis accepta eſt. Altaria, inquam, quibus fraternitatis munera non juſſit Salvator imponi, niſi quæ eſſent de pace condita*,, Depone, *inquit*, munus ,, tuum ante Altare, & redi priùs, concorda cum fratre tuo, ut ,, poſſit pro te Sacerdos offerre ,, (Matth. 5. v. 24.) *Quid eſt enim Altare, niſi ſedes Corporis & Sanguinis Chriſti? Hæc omnia furor veſter, aut raſit, aut fregit, aut removit.*

Quia verò dicebant, ſe hoc feciſſe, quia Catholici immundi effecti erant, ait: *Si livoris judicio nos vobis ſordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari conſueverat? Quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic per certa momenta Corpus & Sanguis habitat? Quid offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia ſanctè (ut arbitrabamini) obtuliſtis. Dum impiè perſequimini manus noſtras illic, ubi Corpus Chriſti habitabat, feriſtis & veſtras. Hoc modo Judæos eſtis imitati: illi injecerunt manus Chriſto in Cruce, à vobis percuſſus eſt in Altari.* Hoc loquendi modo Optati, quis non videt, generalem Eccleſiæ

fidem

Digitized by Google

fidem tunc fuiſſe Realem Corporis & Sanguinis Chriſti in Altari præſentiam?

III. Nunc ad Calviniſtas cæteroſque Heterodoxos me converto. Donatiſtæ Altaria fregerunt vel raſerunt, vel ab Eccleſiis Catholicorum amoverunt: & ob hoc ut ſacrilegi increpantur: Vos idem feciſtis, nec tantùm ea quæ à Catholicis priùs erecta inveniſtis, ſed omnia prorsùs Altaria ab Eccleſiis veſtris abſtuliſtis, & loco Altarium ſimplices menſas poſuiſtis. Donatiſtæ Altaria everterunt, raſerunt, amoverunt præciſè, quia ea à Catholicis ſordidata exiſtimabant, cæterùm in eis Corpus & Sanguinem Chriſti adeſſe & offerri non negabant. Vos Altaria ſuſtuliſtis, quia verum Corpus & Sanguinem Chriſti in eis eſſe & offerri in ſacrificium negatis. Quanto ergò potiori jure in vos, quæ Optatus in Donatiſtas, proſequi potero dicens cum eo: *Sufficeret inſaniæ veſtræ, quòd membra laniaſtis Eccleſiæ, quòd Dei populos jam dudum in unitate poſitos veſtris ſeductionibus diviſiſtis. Inter hæc omnia vel Altaribus parceretis. Cur vota & deſideria hominum cum ipſis Altaribus confregiſtis? Illinc enim ad aures Dei aſcendere populi ſolebat oratio: cur concidiſtis precibus viam? & ne ad Deum ſupplicatio de more ſolito aſcenſum haberet, impiá manu quodammodo ſcalam ſubducere laboraſtis? Et tamen cùm omnium veſtrum una ſit conjuratio, in hoc titulo ſimili errore diſſimiliter deliquiſtis*. Ita Optatus in Donatiſtis ad modernos Heterodoxos.

IV. Tertiò. Sacros Calices frangebant, & conflabant Donatiſtæ. Sic Optatus idem cap.2. *Hoc tamen*, inquit, *immane facinus à vobis geminatum eſt, dum fregiſtis etiam Calices Chriſti Sanguinis portatores, quorum ſpecies revocaſtis in maſſas, merces nefariis nundinis procurantes, ad quam mercem nec emptores eligere voluiſtis; avari dum venditis, ſacrilegi dum inconſideratè vendidiſtis. Paſſi eſtis etiam comburi manus veſtras, quibus ante nos eoſdem Calices tractabatis. Eam rem cum paſſim vendi juſſiſtis, emerunt forſan in uſus ſuos ſordidæ mulieres, emerunt pagani facturi vaſa, in quibus incenderent Idolis ſuis. O ſcelus nefarium! ò facinus inauditum! Auferre Deo quod Idolis præſtes, ſubducere Chriſto, quod proficiat ſacrilegio*. Quid de Calicibus Sacris egerint præſertim Calviniſtæ, ubi Catholicorum Eccleſias invaſere, ipſi norunt, hiſtoriæ tradunt.

V. Quartò. Codices, Pallas, & Vela ſacra, quibus Altaria & myſteria tegebantur, per vim extorquebant: *Velamina* (inquit Optatus ibid. cap.5.) *& inſtrumenta Dominica extorſiſtis, quæ jamdudum fuerant in commune poſſeſſa: extorſiſtis cum Codicibus pallas: judicio ſuperbiæ veſtræ utraque arbitrati eſtis eſſe polluta: niſi fallor, hæc purificare properaſtis: laviſtis procul dubio pallas: indicate, quid*

de Codicibus feceritis. Pallæ autem erant linteamina, quibus totum Altare tegebatur, cui imponebantur Calix & Corpus Chriſti, quod replicatâ pallâ tegebatur inſtar ſindonis. Ita Iſidorus Peluſiota Lib. 2. Epiſt: 123. Simile facinus quod Donatiſtæ, patravit in Chriſtianos Genſericus, de quo Victor Uticenſis Lib. 1. n. 12. ait: *Mittit Proculum quemdam in Provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum Miniſteria Divina & Libros ſanctos... quibus ſe non poſſe tradere clamantibus Sacerdotibus, ipſi rapaci manu cuncta depopulabantur, atque de pallis Altaris, proh nefas! camiſias ſibi & femoralia faciebant.*

VI. Quintò. Templa Catholicis erepta tamquam polluta etiam in parietibus abluebant, quaſi ea purificantes. De hoc Optatus ibid. cap. 6. *Dic*, inquit, *frater Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipſi parietes, ut à vobis iſta paterentur? an quia illic rogatus eſt Deus? an quia illic laudatus eſt Chriſtus?* Quia verò dicebant, ſe hoc facere quia à Catholicorum polluta fuerant veſtigiis; eos ita perſtringit: *Si Catholicorum veſtigia, & in vico & in plateis calcavimus, quare non omnia emendatis? nam & fovendorum corporum causâ eâdem nos & vos lavacra pariter abluerunt, & ante vos frequenter noſtrorum loti ſunt multi. Si poſt nos purificanda putatis omnia, lavate & aquam ſi poteſtis; aut ſi veſtigia (ut ſupra diximus) noſtra vobis eſſe videntur polluta, ſufficeret terra: ut quid & parietes lavare voluiſtis, in quibus humana non poſſunt poni veſtigia? parietes non calcare, ſed tantùm videre potuimus. Si & quod tangit aſpectus lavandum eſſe cenſetis, cur cætera dimiſiſtis illota? Videmus tectum, videmus & Cælum, hæc à vobis lavari non poſſunt* &c. Hiſce & aliis Donatiſtarum inſaniam deridet Optatus.

VII. Sextò. Sacras Virgines, quæ in Catholica Eccleſia votum caſtitatis emiſerant, poſtquam pœnitentiæ ſubjeciſſent, ad ſecundam profeſſionem adigebant, novum velum eis imponentes. Ita idem Optatus dicto Lib. 6. cap. 4. ubi hoc reprobans: *Jam*, inquit, *illud quàm ſtultum, quàm vanum eſt, quod ad voluntatem, & quaſi ad dignitatem veſtram revocare voluiſtis, ut Virgines Dei agere pœnitentiam diſcerent, ut jamdudum profeſſæ, ſigna voluntatis capitibus, poſtea vobis jubentibus immutarent, & ut mitellas* (mitrellas) *alias projicerent, & alias acciperent*. Mitella, ſeu mitrella, erat faſciæ genus quo redimita erant, & quaſi velabantur capita Virginum, ſicut modò Monialium. Quia ergò ex communione cum Catholicis putabant Donatiſtæ eas eſſe inquinatas, præter pœnitentiam, abjecto priori velo novum ab eis ſuſcipere adigebant. Eos ergò ita perſtringit Optatus: *Quid eſt, quòd eas iterum crines ſolvere coegiſtis? quid inquam quòd ab ipſis per vos exacta eſt ſecun-*

ſecunda profeſſio? quis eſt alter ſpiritalis ſponſus, cui iterum nuberent? quando mortuus eſt cui nupſerant, ut iterum nubant? Nudaſtis denuò capita jam velata, de quibus profeſſionis traxiſtis indicia, quæ contra raptores aut petitores videntur inventa. In mitella indicium eſt voluntatis, non caſtitatis auxilium: ut rem jam devotam, nec qui ſponſabat perſeveret petere, aut ne raptor audeat violare: ſignum eſt ergo non ſacramentum virginitatis. En quanti tunc erat virginitatis votum & profeſſio, ut vel hæretici pro ea ſarta tecta tuenda contenderent, at quia indebito modo id præſtabant Donatiſtæ, Optatus reprehendit. Quid porrò dixiſſet, ſi ſacris Virginibus nedum mutato, ſed prorſus fracto, nedum velo, ſed ipſo caſtitatis voto, eas è Monaſteriis extrahi, & ad explendam libidinem ſibi ſacrilegè ſociare eos vidiſſet? Hoc fecere noſtri quoque Reformatores Lutherus, & ſocii, hoc faciunt quotquot ei adhærent. Hæc ne eſt Reformatio, an potiùs turpiſſima Eccleſiæ deformatio?

VIII. Septimò. Immanitatem, quâ præſertim ſub Apoſtata Juliano in Catholicos ſævierunt Donatiſtæ, refert idem Optatus Lib. 2. cap. 16. & 17. *Erubeſcite*, inquit, *ſi ullus eſt pudor: eâdem voce vobis libertas eſt reddita, quâ voce Idolorum patefieri juſſa ſunt Templa. Eiſdem penè momentis veſter furor in Africam revertitur, quibus Diabolus de carceribus relaxatur. Et non erubeſcitis, quia uno tempore cum inimico communia gaudia poſſidetis? Veniſtis rabidi, veniſtis irati, membra laniantes Eccleſiæ... De ſedibus ſuis multos feciſtis extorres, cùm conducta manu venientes Baſilicas invaſiſtis: multa ex numero veſtro per loca plurima (quæ ſuis nominibus dicere longum eſt) cruentas operati ſunt cædes, & tam atroces, ut de talibus factis ab illius temporis judicibus relatio mitteretur. Sed intervenit & occurrit judicium Dei, ut ille, qui vos jamdudum redire juſſerat, Imperator profanus & ſacrilegus moreretur, qui perſecutionem vobis provocantibus miſerat, aut mittere diſponebat*. Deinde refert aliqua eorum immania facta contra Catholicos. Alia exaggerat S. Auguſtinus pluribus in locis, & præcipuè Epiſt. 68. (modò 88.) ubi de eorum furore in Catholicos, præcipuè in Clericos: *Conclericos*, inquit, *noſtros plagis immaniſſimis quaſſaverunt. Laicis quoquè & plagas graviſſimas inflixerunt, & intulerunt eorum ædificiis incendia. Presbyterum etiam quemdam, qui propriâ & liberâ voluntate unitatem noſtræ communionis elegit, de domo ſua raptum, & pro arbitrio immaniter cæſum in gurgite etiam cœnoſo volutatum, budâ* (ſtoreâ ex juncis) *veſtitum, cùm quibuſdam dolendum, quibuſdam ridendum in pompa ſui facinoris oſtentaſſent, abductum inde quò voluerunt, vix poſt dies duodecim dimiſerunt*. Presbyter autem ille Reſtitutus vocabatur.

IX. Quia

IX. Quia verò Honorii legibus pœnâ capitis in eos pronuntiatâ perſecutionem ſe pati conquerebantur, contra eos ita proſequitur: *Vos dicitis pati perſecutionem; & nos ab armatis veſtris fuſtibus & ferro concidimur. Vos dicitis pati perſecutionem; & noſtræ domus ab armatis veſtris compilando vaſtantur. Vos dicitis pati perſecutionem; & noſtri oculi ab armatis veſtris calce & aceto extinguuntur.* Et infra: *Nos interim ſi quando veſtros tenemus, cum magna dilectione ſervamus illæſos: loquimur illis, & legimus omnia quibus error ipſe convincitur, qui fratres à fratribus ſeparat; facimus quod Dominus per Iſaiam Prophetam* (c.*66.* v.*5.* *dicens*,, Audite qui
,, pavetis Verbum Domini; dicite, fratres noſtri eſtis, his quos
,, oderunt, & qui vos execrantur ut nomen Domini honorificetur,
,, & appareat illis in jucunditate; ipſi autem erubeſcant,,. *Ac ſic aliquos eorum conſiderantes evidentiam veritatis & pulchritudinem pacis, non Baptiſmo, quem jam ſicut regalem characterem tanquam deſertores acceperant; ſed fidei, quæ illis deſuit, & Spiritus Sancti caritati & Chriſti corpori ſociamus.* Caritas ergo Catholicorum propria eſt, & aptior ad revocandos ad fidem Chriſti hæreticos deſertores.

X. Octavò. Non in vivos tantùm, ſed etiam in defunctos Catholicos Donatiſtæ ſæviebant. Teſtis eſt Optatus Lib. *6.* cap. *7.* his verbis: *Quid referam etiam illam impietatem de veſtra conjuratione venientem? quia ad hoc Baſilicas invadere voluiſtis, ut vobis ſolis cœmeteria vindicetis, non permittentes ſepeliri corpora Catholica; ut terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Jam tacet cum quo paulò ante litigabas: quid inſultas funeri? quid impedis ſepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidiſtis malitiæ fructum: & ſi corpora non vis in unum quieſcere, animas tamen in uno apud Deum poſita non poteris ſeparare.* Donatiſtæ Catholicorum corpora nec in ſepulchris ſibi ſociare volebant, moderni Acatholici corpora Martyrum & Sanctorum è ſepulchris extraxerunt, abjecerunt, & cineres in auras ſparſerunt: teſtis eſt Gallia in S. Irenæo, Germania in Liberio & aliis. Quale ſit immanius ſacrilegium, perpendat Lector.

XI. Nonò. Prætextu martyrii ſponte aliis ſe occidendos tradebant; imò ſibi ipſis violentas manus frequenter inſerebant. Qui hoc inſano furore corripiebantur *Circumcelliones* appellati fuere: quia, ut ſcribit S. Auguſt. Lib. 1. contra Gaudentium cap. 28. tale hominum genus, *Victus ſui causâ cellas circumiens ruſticanas, unde & Circumcellionum nomen accepit.* Quia verò eis diſplicebat hoc nomen, eos *Agoniſticos* appellabant, quaſi bonum certamen cer-

certantes. At, inquit Auguſt. in Pſal. 132., *Utinam milites Chriſti eſſent, & non milites Diaboli* adversùs Chriſtum pro Diabolo pugnantes. Tales eſſe indicabat eorum furor, quo tum in Catholicos, tum in alios, tum in ſe ipſos barbarè irruebant, ut vel ipſis diſcretioribus Donatiſtis diſplicerènt. Eos enim ita deſcribit S. Doctor Lib. de Hæreſ. cap. 69. *Ad hanc hæreſim in Africa & illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreſte, & famoſiſſimæ audaciæ, non ſolùm in alios immania facinora perpetrando, ſed nec ſibi eâdem inſanâ feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximèque præcipitiorum, & aquarum, & ignium ſe ipſos necare conſueverunt; & in iſtum furorem alios quos potuerint ſexus utriuſque ſeducere, aliquando ut occidantur ab aliis, mortem niſi fecerint comminantes. Verumtamen pleriſque Donatiſtarum diſplicent tales, nec eorum communione contaminari ſe putant, qui Chriſtiano Orbi dementer objiciunt ignotum crimen Afrorum.*

XII. Interim ſe ſe martyres jactitabant, & odio ſeculi hæc pati, ſibi applicantes dictum Chriſti Jo. 15. v. 18. *Si Mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit*; & ſimiliter contemtu ſeculi ſe paratos eſſe ad mortem ſibi etiam aſciſcendam, imitantes Raziam, de quo in 2. Machab. cap. 14. v. 41. Sed hanc eſſe Circumcellionum inſaniam, non Martyrum gloriam, pluribus demonſtrat S. Auguſtinus Lib. 1. contra Gaudentium Epiſcopum Donatiſtam cap. 26., & præcipuè quia non pro Chriſto & unitate, ſed pro parte & ſchiſmáte Donati mori eligebant. Pares Martyribus erant in pœna, ſed non in cauſa. Ut enim idem Doctor ait in Pſalm. 34. Serm. 2. *Quoniam multi hic patiuntur, & pro peccatis, & pro ſceleribus ſuis, magnâ vigilantiâ diſcernenda eſt cauſa, non pœna. Sceleratus enim poteſt habere Martyris ſimilem pœnam ſed tamen diſſimilem cauſam. Tres erant in Cruce, unus Salvator, alius ſalvandus, alius damnandus: omnium par pœna, ſed impar cauſa.* quæ repetit in Pſalm. 68. Serm. 1. Neque furorem ſuum exemplo Raziæ, qui ſe de muro præcipitem dedit, & inteſtina ſua diſcerpſit, tueri potuiſſe, oſtendit idem S. Auguſt. dicto Lib. 1. contra Gaudentium cap. 30. Razias enim facto ſuo, non ſapientiæ, ſed inſipientiæ dedit exemplum, non Martyribus, ſed Circumcellionibus imitandum. Ejus mortem mirabiliorem magis, quàm prudentiorem refert Scriptura: narrat quomodo facta ſit, non laudat, quòd facienda eſſet. Laudatur Samſon, aliqui celebrantur Martyres, qui tormentis & morti ſpontè ſe obtulerunt; ſed quia hoc non ſpontè ſuâ fecerunt, ſed ſpiritu Dei, qui ad hoc, quando voluit, eis uſus fuit, ſicut ad immolandum filium Abraham movit. Ita diſcurrit S. Auguſt. De hoc aliqua dixi Tomo 1. in 1. 2. q. 3. de Act. Hum. Dub. 7.

Digitized by Google

Dub.7. §. 3., Tom.2. in 2. 2. q.8. de Objecto Dominii. Dub. 2., & Tom.2. in 3.p. q.2. de Baptiſmo Dub.3. de Diſpoſitionibus ad Martyrium.

XIII. Decimò. Donatiſtæ Monachorum hoſtes infenſiſſimi erant. Hæc Hæreticorum indoles ſemper fuit, cujus inter omnes teſtem habemus Lambertum Danæum, ut ex dictis apparet. Petilianus & ipſe Donatiſta Monachos maledictis onerabat, ut enim dicit S. Auguſt. Lib. 3. contra Literas Petiliani cap. 40. *Deinceps perrexit ore maledicto in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum*. Pro Monachis tamen contra Donatiſtas ſtrenuè pugnat S. Doctor in Pſal.132. ut ſupra oſtendi cap.58. §. 2. & alibi.

XIV. Porrò cùm ea,quæ de Donatiſtis contra unitatem & veritatem Eccleſiæ Catholicæ hactenus dixi, ſimilia ne dicam eadem ſint, quæ à modernis Heterodoxis patitur Catholica Eccleſia præſens, in ejus & Catholicorum omnium ſolamen utar verbis, quibus Bonifacium Comitem Epiſt.50. (modò 185.) S.Auguſtinus conſolabatur: *Non te autem*, inquit, *iſta conturbent, fili dilectiſſime. Hæreſes enim & ſcandala futura prædicta ſunt, ut inter inimicos erudiamur; ac ſic & fides & dilectio noſtra poſſit eſſe probatior: fides utique, ne ab eis decipiamur; dilectio autem, ut etiam ipſis corrigendis, quantum poſſumus, conſulamus; non ſolùm inſtantes, ne infirmis noceant, atque ut ab errore nefario liberentur, ſed etiam orantes pro eis, ut aperiat Dominus illis ſenſum, & intelligant Scripturas. Quia in Sanctis Libris ubi manifeſtatur Dominus Chriſtus, ibi & ejus Eccleſia declaratur: iſti autem mirabili cæcitate, cùm ipſum Chriſtum præter Scripturas neſciant, ejus tamen Eccleſiam, non Divinarum literarum auctoritate agnoſcunt, ſed humanarum calumniarum vanitate confingunt*. An ſimili errore laborent moderni Hæretici, æquus Lector judicet.

CAPUT LXII.

De Priſcillianiſtis.

§. I.

Priſcilliani hiſtoria, & exitus.

I. HÆRESIM iſtam ſpeciali horrore deteſtantur Veteres, quia omnium præcedentium hæreſum congeries fuit, & præſertim Gnoſticorum luem, quæ Orientem diù infecerat, in Occidentem tranſtulit. Primus eam intulit Marcus qui-

Digitized by Google

quidam Ægyptius. Ita Sulpitius Severus de ſuæ ætatis malis diſſerens Lib. 2. Hiſt. num. 61. *Primus*, inquit, *eum intra Hiſpanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Memphis ortus*. Hunc Marcum Lambertus Danæus cap. 70. facit Monachum, qui Ægyptiâ Mem-
„ phi profugus ob Valentis Edictum de revocandis ad ſuas Cu-
„ rias & ad publica munera ſubeunda Monachis, venit in Hiſpa-
„ niam, ſed jam Gnoſticorum & Manichæorum labe & veneno
„ planè rabidus, & infectus, quemadmodum inter Monachos er-
„ rores omne genus aluntur „. Hæc Monachorum rabidus hoſtis Danæus. Cui breviter os claudere ſic poſſem: Si errores omnes inter Monachos aluntur, & ex eis prodeunt: ergo tua prætenſa reformatio, quæ à Luthero Monacho primùm concepta fuit, turpiſſimus error (uti re verâ eſt) habenda erit. Cur ergo Lutherum Monachum, jure damnandum, celebras, cæteros omnes laudandos, ut errorum propagatores condemnas?

II. Sed ad rem veniamus. Unde colligis, Danæe, Marcum hunc Ægyptium fuiſſe Monachum? Sulpitius Severus hoc non dicit. S. Hieronymus in cap. 44. Iſaiæ: *Gnoſtici*, inquit, *per Marcum Ægyptium Galliarum primùm circa Rhodanum, deinde Hiſpaniarum nobiles feminas deceperunt*. Iſidorus etiam de Viris Illuſtribus ait: *Idacius Hiſpaniarum Epiſcopus cognomento & eloquio clarus ſcripſit quemdam Librum ſub Apologetici ſpecie, in quo deteſtanda Priſcilliani dogmata & maleficiorum ejus artes, libidinumque ejus probra demonſtrat, oſtendens, Marcum quemdam Memphiticum Magiæ ſcientiſſimum Nianis & Priſcilliani magiſtrum*: quibus Marcus dicitur quidem Magus, ſed non Monachus. Adeſt Valentis Edictum L. *Quidam ignaviæ* de Decurionibus, in quo, qui ob ignaviam deſertis civitatibus, & publicis muneribus ſub ſpecie religionis cum cœtibus Monachorum congregantur, jubentur ad municipia patriarum revocari. Sed hoc Edictum Magiſtro Prætorii fuit intimatum, non Præfecto Ægypti. Deinde unde conſtat, hunc Marcum fuiſſe unum ex Monachis revocatis? Veriſimile ergo eſt, Marcum iſtum fuiſſe unum ex illis Gnoſticis, qui in Ægypto latitantes, & à S. Epiphanio adhuc juvene detecti, fuerunt indè expulſi, & ex iſtis Marcum in Hiſpaniam veniſſe, ut putat Baronius ad ann. 381. num. 99. Et certè conveniunt tempora, nempè Epiphanii juventus cum Marco in Hiſpanias veniente.

III. Appulſus in Hiſpaniam Marcus, virus ſuum evomere ſenſim aggreſſus eſt, quo mulierem quandam Agapem nomine, & Helpidium Rhetorem primum infecit, qui illud in Priſcillianum virum nobilem, divitem, facundum, ac ingenio fervidum traduxerunt, à quo per Hiſpaniam lues iſta propagata poſtea

nomen etiam accepit. Ita Sulpitius Severus citato loco: *Hujus* (Marci) *auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, & rhetor Helpidius. Ab his Priſcillianus eſt inſtitutus, familiâ nobilis, prædives opibus, acer, inquietus, facundus, multa lectione eruditus, diſſerendi ac diſputandi promtiſſimus. Felix profectò, ſi non pravo ſtudio corrupiſſet optimum ingenium; prorsùs multá in eo animi & corporis bona cerneres. Vigilare multum, famem ac ſitim ferre poterat, habendi minimè cupidus, utendi parciſſimus: ſed idem vaniſſimus, & plus juſto inflatior profanarum rerum ſcientiá; quin & magicas artes ab adoleſcentia eum exercuiſſe creditum eſt.*

IV. Iſtæ qualitates, quas in Priſcilliano Sulpitius deſcribit, comprobant, verum eſſe S. Auguſtini dictum & monitum, qui in Pſalm. 124. magnas Animas comparans montibus, quorum alii ſunt montes ſeu colles pacis, alii diſſenſionis, ait: *Tales montes, ut jam ſæpè diximus vobis, ſignificant magnas quaſdam Animas, ſed malas. Non enim putetis, Fratres, quia potuerunt fieri hæreſes per aliquas parvas Animas. Non fecerunt hæreſes niſi magni homines, ſed quantùm magni, tantùm mali montes. Non enim montes erant tales qui ſuſciperent pacem, ut colles juſtitiam: ſed illi diſſenſionem ſuſceperunt à Diabolo patre ſuo. Montes ergo erant: ad tales montes cave ne fugias. Venturi enim ſunt homines, & dicturi tibi: Magnus ille vir, & magnus ille homo. Qualis fuit ille Donatus? qualis eſt Maximianus? & neſcio quis Photinus qualis fuit? & ille Arius qualis fuit? omnes iſtos Montes nominavi; ſed naufragoſos.* (Priſcillianus etiam qualis fuit?) Si ergo nominentur præſentium Sectarum principes, & dicatur: Lutherus, Calvinus, & alii quales fuerunt? Reſponde, Magni Montes, ſed naufragoſi: & iterum audi Auguſtinum tibi dicentem: *Cùm ergo tibi laudati fuerint iſti montes, & cœperit tibi ſuaderi, ut venias ad ipſos montes, quaſi ad auxilium, & ibi requieſcas, reſponde: In Domino confido; quomodo dicitis Animæ meæ, Tranſmigra in montes ſicut paſſer? Bonum eſt enim tibi, ut in illos montes leves oculos, unde tibi auxilium à Domino; ut evadas ſicut paſſer de muſcipula venantium non tranſmigres in montes.* His S. Auguſtinus præmunit Catholicos, ut à ſubdolis Hæreticorum artibus caveant. Quæ noſtris temporibus apprimè accommodari poſſunt.

V. Ad Priſcillianum igitur rediens cum Sulpitio proſequar: *Is, ubi exitialem doctrinam aggreſſus eſt, multos nobilium, pluresque populares auctoritate perſuadendi, & arte blandiendi allicuit in ſocietatem. Ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ, fluxá fide, & ad omnia curioſo ingenio, catervatim ad eum confluebant. Quippè humilitatis ſpeciem ore & habitu prætendens, honorem ſui & reveren-*

rentiam cunctis injecerat. Hiſce artibus Priſcillianus ſuæ hæreſi, quæ Priſcillianiſtarum poſtea dicta fuit, turpia dedit initia. Ut tamen tollatur æquivocatio, notandum, ne Priſcillianiſtæ cum Priſcillianis dictis etiam Quintillianis ſeu Pepuzianis confundantur. His enim nomen dederunt Priſcilla quædam, ſeu Quintilla Montani, ſeu Cataphrygum diſcipulæ de Pepuza varia ſomnia confingentes, ut indicavi cap.23. de Montaniſtis §.8.

VI. *Jamque paulatim* (pergit Sulpitius) *perfidiæ illius tabes pleraque Hiſpaniæ pervaſerat; quin & nonnulli Epiſcoporum depravati, inter quos Inſtantius & Salvianus, Priſcillianum non ſolùm conſenſione, ſed ſub quadam etiam conjuratione ſuſceperant. Quo Adyginus* (vel Hyginus) *Epiſcopus Cordubenſis* (Hoſii ſucceſſor) *ex vicino agens, comperto, ad Idatium Emeritæ Ætatis* (veriùs Civitatis) *Sacerdotem refert. Is verò ſine modo, & ultra quàm oportuit, Inſtantium ſociosque ejus laceſſens, facem quandam naſcenti incendio ſubdidit: ut exaſperaverit malos potiùs quàm compreſſerit. Igitur poſt multa inter eos & digna memoratu certamina, apud Cæſaraugustam congregatur, cui tum etiam Aquitani Epiſcopi interfuere.* (Hoc Concilinm Cæſarauguſtanum fuit anno 380. coactum, quod extat Tom.1. Conc. Harduini.)

Verùm Hæretici committere ſe judicio non ſunt auſi, in abſentes tum lata ſententia, damnatique Inſtantius & Salvianus Epiſcopi; Helpidius & Priſcillianus laici. Additum etiam, ut ſi quis damnatos in communionem recepiſſet, ſciret in ſe eandem ſententiam promendam. Atque id Ithacio Soſſubenſi Epiſcopo negotium datum, ut decretum Epiſcoporum in omnium notitiam deferret, & Hyginum (ſupra Adyginum) *extra communionem faceret: qui primus omnium inſectari palam hæreticos cœpiſſet, poſtea turpiter depravatus, in communionem eos recepiſſet.* Quis hæc ultima verba conſiderans occulta Dei judicia non paveat? Hyginus Cordubenſis Epiſcopus, qui primus in hanc hæreſim arma movit, in eamdem lapſus, atque relapſus, à Maximo Imperatore exilio damnatur in Leronem, ſeu Lerinum inſulam tunc ſerpentibus plenam. Quis ergo ſuis viribus fidat? Jure ejus ſenectam dolens ad Valentinianum ſcribit Ambroſius: *Hoc ſolo dolore percitus, quòd Hyginum Epiſcopum ſenem in exilium duci comperi, cui jam nonniſi extremus ſupereſſet ſpiritus.*

VII. Multa hinc inde acta ſunt, quæ à Sulpitio narrata compendio perſtringam. Inſtantius & Salvianus damnati, ut ſibi vires adderent, Priſcillianum Sectæ principem adhuc laicum Epiſcopum in Labinenſi, ſeu veriùs Sibilenſi oppido conſtituerunt. Hinc Hieronymus Lib. de Script. Eccl. cap. 121. Epiſcopum Abilenſem

eum appellat. E contra verò Idacius atque Ithacius zelo quidem, *ſed*, inquit Sulpitius, *parùm ſanis conſiliis, ſeculares Judices adeunt;* & à Gratiano Edictum obtinent, quo Hæretici non ab Eccleſiis tantùm, ſed extra omnes terras expelli jubebantur. Tum Inſtantius, Salvianus, & Priſcillianus Romam iter arripuere, ut à Damaſo tunc Romano Pontifice communionem ſurriperent. Tranſeuntes per Gallias libidinum ſemina ſparſerunt; & fama fuit, Priſcillianum Proculam Euchrociæ filiam ſtupro gravidam effeciſſe, & partum ſibi graminibus abegiſſe. Perducti Romam, ne quidem in conſpectum Damaſi admiſſi ſunt. Salvianus in Urbe obiit. Mediolanum relictâ Româ adeuntes adverſarium ſibi Ambroſium repererunt.

VIII. Videntes, ſe à duobus Epiſcopis, qui in Eccleſia maximè auctoritatis erant, repulſos, & Eccleſiæ totius judicio damnatos, Inſtantius & Priſcillianus, mutatis conſiliis ad Gratianum Imperatorem provocarunt, à quo per Macedonium Officiorum Magiſtrum pecuniâ ſibi devinctum reſcriptum obtinuerunt, quo, ſpretis prioribus decretis ſuis, Eccleſiis reſtitui jubebantur. Quo freti Inſtantius & Priſcillianus Hiſpanias repetentes, Eccleſias quibus præfuerant, invaſerunt, & Ithacium Eccleſiæ perturbatorem ad Judices detulerunt: ac miſſi à Macedonio Officiales qui Ithacium Treviris tunc agentem ad Hiſpanias retraherent. Quos ille fruſtratur, & poſtea per Pritannium Epiſcopum defenſus illuſit.

IX. Interea rumor ſparſus fuit, quòd Maximus, Gratiano erepto imperio, ac deinde etiam vitâ, Gallias & Hiſpanias ſibi adjunxerit. Quo audito novi Imperatoris adventum præſtolari Ithacius ſtatuit. Igitur ubi Maximus Trevirorum victor ingreſſus eſt, precibus obvolutus multa ingerit Ithacius plena in Priſcillianum ac ſocios ejus invidiæ & criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum & Hiſpaniarum Vicarium literis, omnes omninò quos labes illas invaſerat, ad Synodum Burdigalenſem deduci jubet. Illuc ergo perducti Inſtantius & Priſcillianus: Inſtantius juſſus prior cauſam dicere, parùm ſe expurgans, indignus Epiſcopatu pronuntiatus eſt, ac proinde exauctoratus anno Chr. 385., Priſcillianus verò Epiſcopale judicium declinans, ad Principem provocavit.

X. Exinde omnes hæretici ad Imperatorem delati: ſecuti ſunt accuſatores Ithacius & Idacius. Cauſæ cognitio ab Imperatore demandata eſt Evodio Præfecto, viro acri & ſevero. Qui Priſcillianum gemino judicio auditum convictumque maleficii, nec diffitentem, obſcenis ſe ſtuduiſſe doctrinis, nocturnos etiam turpium

femi-

feminarum egiſſe conventus, nudumque orare ſolitum, nocentem pronuntiavit, redegitque in carcerem, donec ad Principem deferret. Geſtis ergo ad Aulam delatis, cenſuit Imperator, Priſcillianum ſocioſque ejus capitis damnari oportere. Quod factum fuit Treviris anno 385., ubi Priſcillianus capite plexus eſt unà cum Feliciſſimo & Armenio Latroniano & Euchrocia matrona, de qua ſupra, in crimine ſociis. Inſtantius, quem ab Epiſcopis damnatum dixi, in Sylinam inſulam ultra Britanniam ſitam deportatur, ac in ſequentibus judiciis, alii gladio, alii exilio puniti. Hæc ex Sulpitio, cui accedit S. Hieronymus Lib. de Script.Eccl. c.121. & 122. Proſper, Iſidorus in Chron. &c.

XI. Is fuit infelix Priſcilliani exitus. Ejus tamen delatores, & accuſatores Ithacium & Idacium Eccleſia non probavit: tum quia non tam fidei zelo, quàm animo vindictæ & livore operati fuiſſent. Tum quia actores in cauſa ſanguinis extitiſſent, ac præter Eccleſiæ mores, & Chriſtianæ manſuetudinis leges, cujus exemplum in primis præbere debent Epiſcopi, proceſſiſſent. Unde Sulpitius Lib. 2. num. 64. *Mea quidem*, inquit, *ſententia eſt, mihi tam reos, quàm accuſatores diſplicere*. Eundemque fuiſſe S. Martini ſenſum, his verbis refert: *Tum Martinus apud Treveros conſtitutus non deſinebat increpare Ithacium, ut ab accuſatione deſiſteret, Maximum orare, ut ſanguine infelicium abſtineret: ſatis ſuperque ſufficere, ut Epiſcopali ſententiâ hæretici judicati Eccleſiis pellerentur: novum eſſe & inauditum nefas, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſeculi judicaret. Denique quoad uſque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio eſt, & mox diſceſſurus egregiâ auctoritate à Maximo elicuit ſponſionem, nihil cruentum in eos conſtituendum*. Ab aliis tamen Epiſcopis, Magno, & Rufo ſeductus Maximus promiſſis non ſtetit. Nec ſolus S. Martinus, ſed Epiſcoporum ſanior pars factum improbavit, unde Ithacii communionem vitavit: quamquam in Concilio Trevirenſi anno 386. alii metu Imperatoris, qui Ithacio favebat, ei communionem reſtituerunt, quibus tandem metuens graviora mala ipſe S. Martinus acceſſit. Ex his conſtat probatum eo ſeculo non fuiſſe, quòd Hæreticorum cauſæ ad Imperatorem ſecularesque Magiſtratus, & eædem ad ſententiam uſque capitis promoverentur; & maximè Sacrorum Antiſtitum ſuggeſtione. Quamvis ſi Eccleſiæ bono expediat, poſſint Principes in ejus adjutorium manum ad internecionem uſque admovere, ut ait S. Leo Epiſt. 14. (aliàs 93.) ad Turribium.

XII. Id comprobavit effectus. Priſcilliani enim & ſociorum ejus cædem nulli rei Chriſtianæ bono profuiſſe, teſtatur qui tunc vivebat Sulpitius Lib. 2. num. 66. his verbis: *Cæterum Priſcilliano occiſo,*

occiſo, non ſolùm non repreſſa eſt hæreſis, quæ illo auctore prorupe-rat, ſed confirmata latiùs propagata eſt. Namque Sectatores ejus, qui eum priùs ut ſanctum honoraverant, poſtea ut martyrem colere cœperunt. Peremtorum corpora ad Hiſpanias relata, magniſque obſequiis celebrata eorum funera. Quin & jurare per Priſcillianum ſumma religio putabatur, ac inter noſtros perpetuum diſcordiarum bellum exarſerat: quod jam per quindecim annos fœdis diſſenſionibus agitatum nullo modo ſopiri poterat &c. Imò diù hæreſis hæc Eccleſiam agitavit, ac nedum ad S. Leonis tempora pervaſit, ut ex laudata Epiſt. cap. 17. colligere licet, ſed & ad ſecula poſteriora fœdas fruticationes emiſiſſe aliquas, cenſent non pauci.

§. II.

Priſcillianiſtarum errores.

I. Cum ex dictis hæreſis hæc plurium præcedentium errores ac ſordes in ſe collegerit, ideò eorum capita, ut ex alienis fontibus hauſta, & in ſuperioribus jam refutata breviter recenſebo, & aliqua illius propria adjiciam. Primò ergo unam eſſe Patris & Filii & Spiritus Sancti perſonam aſſerebant. Hoc ex Sabellio accepiſſe præter S. Auguſtinum Lib. de Hæreſ. cap. 70. confirmat S. Leo Epiſt. 15. citata ad Turribium cap. 1. ubi de Priſcillianiſtis: *Demonſtratur*, inquit, *quàm impiè ſentiant de Trinitate Divina, qui & Patris & Filii & Spiritus Sancti unam atque eandem aſſerunt eſſe perſonam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur: nec alius ſit qui genuit, alius qui genitus eſt, alius qui de utroque proceſſit; ſed ſingularis unitas in tribus quidem vocabulis, ſed non tribus ſit accipienda perſonis. Quod blaſphemiæ genus de Sabellii opinione ſumſerunt .... Quod Catholicæ fidei ſinè ambiguitate contrarium eſt: quæ Trinitatem unitatis ſic* Homouſion *confitetur, ut Patrem & Filium & Spiritum Sanctum ſinè confuſione indiviſos, ſinè tempore ſempiternos, ſinè differentia credat æquales: quia unitatem in Trinitate non eadem perſona, ſed eadem implet eſſentia.*

II. Secundò: Ex Arianorum lacuna ebiberant, quaſdam virtutes ex Deo proceſſiſſe, quas habere cœperit, & quas eſſentiâ ſui ipſe præceſſerit. *Sed* (inquit S. Leo ibid. cap. 2.) *ſicut illos Catholica Eccleſia deteſtatur; ita & iſtos, qui putant unquam Deo id quod ejuſdem eſt eſſentiæ defuiſſe. Quem ſicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas eſt. Quàm enim mutatur quod minuitur, tam mutatur etiam quod augetur.* Sic qui Filium Dei in eadem eſſentia à Pa-

à Patre procedere negabant, à Deo poſtea virtutes quaſdam in ejus eſſentia proceſſiſſe, æquè ſtulti ac impii affirmabant.

III. Tertiò: Aſſerebant Chriſtum ideò dici Filium Dei Unigenitum, quia ſolus natus eſt de Virgine. Eos S.Leo cap. 3. ita aggreditur. Nam vel volunt, Dominum Jeſum Chriſtum antequam naſceretur ex Virgine non fuiſſe, ita ut ab ea ſui eſſe principium ſumſerit: & ſic in errorem Pauli Samoſateni, & Photini miſerrimè labuntur. Vel negant Chriſtum de Matre ſumſiſſe principium: & ſic aſſerant neceſſe eſt, non unum eſſe Filium Dei, ſed alios quoquè ex ſummo Patre genitos, quorum hic unus ſit natus ex femina, & ob hoc appelletur Unigenitus: quia hanc naſcendi conditionem alius filiorum Dei nemo ſuſceperit. Quòcumque ergo ſe vertant, in abruptum impietatis incidunt: *Cùm & de Matre is natus ſit, qui erat Deus Verbum, & de Patre nemo ſit genitus præter Verbum.*

IV. Quartò: Animam hominis Divinæ eſſe ſubſtantiæ dicebant. Errorem hunc in Gnoſticis cap. 4. §. 5. ſupra rejeci. Eum ex Philoſophorum & Manichæorum ſchola manaſſe, dicit S. Leo cap. 5. oſtendens hanc eſſe impietatem, quam *Catholica fides damnat, ſciens nullam tam ſublimem, tamque præcipuam eſſe facturam, cui Deus ipſe natura ſit. Quod enim de ipſo eſt, id eſt quod eſt ipſe, neque id aliud eſt, quàm Filius & Spiritus Sanctus*. Inſuper: *Nemo hominum veritas, nemo ſapientia, nemo juſtitia eſt: ſed multi participes ſunt veritatis & ſapientiæ & juſtitiæ. Solus autem Deus nullius participationis indigus eſt; de quo quidquid dignè utcumque ſentitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit: quia eſſe illi quod eſt ſempiternum, ſemper eſt proprium. Unde in ſe manens innovat omnia, & nihil accipit quod ipſe non dederit. Nimiùm igitur ſuperbi, nimiùmque ſunt cæci, qui cùm dicant humanam naturam Divinæ eſſe ſubſtantiæ, non intelligunt, nihil ſe aliud dicere, quàm Deum eſſe mutabilem, & ipſum perpeti quidquid poteſt naturæ ejus inferri*. Ita hunc errorem ad evidentiam proſternit S. Leo.

V. Quintò: Aſſerebant, Animas priùs in Cœlo peccaſſe, & in pœnam fuiſſe in corpora detruſas. Fuit hic error in Origene jam refutatus. Illum tamen fabulis veſtiebant Priſcillianiſtæ: dicebant enim, teſte S. Leone loco citato cap. 10., *Animas, quæ humanis corporibus inſeruntur, fuiſſe ſinè corpore, & in cæleſti habitatione peccaſſe, atque ob hoc à ſublimibus ad inferiora delapſas in diverſæ qualitatis principes incidiſſe, ac per aerias ac ſydereas poteſtates, alias duriores, alias mitiores corporibus eſſe concluſas, ſorte diverſâ & conditione diſſimili: ut quidquid in hac vita variè & inæqualiter pro-*

Digitized by Google

provenit, *ex præcedentibus cauſis videatur accidere*. Hæc inſania deſtruit præcedentem. Nam ſi Animæ humanæ ſunt de ſubſtantia Dei: quomodo peccare, quomodo in pœnam corporibus à principibus recludi potuere? Subſtantia Divina Deus eſt. Potuitne Deus peccare, pœnamque ab alio ſuperiore ſe ſubire ac pati?

VI. At S. Auguſtinus de Hæreſ. cap. 70. aliter hunc errorem exponit: *Hi*, inquit, *Animas dicunt ejuſdem naturæ atque ſubſtantiæ, cujus eſt Deus, ad agonem quendam ſpontaneum in terris exercendum, per ſeptem Cælos, & per quoſdam gradatim deſcendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo Mundum factum volunt: atque ab hoc principe per diverſa carnis corpora ſeminari*. Ita cum Manichæis, de quibus ſupra, ſentire videbantur, ponentes, Dei particulas cum Principe tenebrarum, quem Mundi conditorem dicebant, certaſſe, & ab eo corporibus devinctas: ideòque Deum malum & ipſi fingebant.

VII. Sextò: Invitos & fatali ſyderum neceſſitate coactos, non ſponte & electione peccare homines dicebant, neſcire volentes, perditionem noſtram ex nobis eſſe Oſeæ 13. v.9., Stoicis potiùs quàm fidei adhærentes. Contra hoc Damaſcenus Lib. 2. Fide Orthod. cap.7. ait: *Cùm liberi arbitrii à Conditore præditi ſimus, hinc efficitur ut actiones noſtræ juris noſtri ſint. Alioqui ſi ex ſyderum motu cuncta facimus, ſequitur, ut ea quæ facimus, neceſſitate faciamus. Id porrò quod neceſſitate fit, neque virtus neque vitium eſt. Quòd ſi nec virtutem nec vitium habemus, profectò nec laudibus nec ſupplicio digni ſumus: atque ita iniquus Deus reperietur, dum aliis res ſecundas, aliis calamitoſas tribuit. Imò verò nec gubernabit Deus res conditas, nec eis providebit, ſiquidem omnia neceſſitate agantur ac ferantur, ſupervacaneaque in nobis erit pars rationalis. Nam ſi nulla actio è noſtro arbitrio pendet, fruſtrà conſultamus: vis quippè rationis utique conſultandi cauſâ nobis conceſſa eſt: unde etiam quidquid ratione utitur, arbitrii quoquè libertate præditum eſt.*

Porrò ut hunc errorem explicarent, addebant: ſub aliis poteſtatibus eſſe partes Animæ, ſub aliis corporis membra. Virtutes, quibus Animas regi fingebant, in nominibus Patriarcharum ſtatuebant; è regione ſigna opponebant corporea, quorum virtuti corpora ſubjicerentur. Quod exponens S. Auguſtinus L. de Hær. cap.70. *Aſtruunt etiam*, inquit, *fatalibus Aſtris homines colligatos, ipſumque corpus noſtrum ſecundùm duodecim ſigna Cæli eſſe compoſitum, ſicut hi qui Mathematici vulgò appellantur: conſtituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, & inde cætera nominatim ſigna percurrentes, ad plantas uſque perveniunt, quas Piſcibus tribuunt, quod ultimum ſignum ab Aſtro-*

Aſtrologis nuncupatur. Hæc & alia fabuloſa, vana, ſacrilega, quæ perſequi longum eſt, hæreſis iſta contexit.

VIII. Septimò: Diabolum nunquam fuiſſe bonum docebant, neque naturam ejus opificium eſſe Dei, ſed ex chao & tenebris emerſiſſe, nec ullum ſui habere auctorem, & omnis mali principium & ſubſtantiam eſſe. Hunc errorem ex Archonticis aliiſque hæreticis hauſtum ſupra rejeci. Quod in præſenti præſtat S. Leo Epiſt. citatâ cap.6. *Cùm fides vera quæ eſt Catholica, omnium creaturarum ſivè ſpiritualium, ſivè corporalium bonam confiteatur ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam: quia Deus, qui univerſitatis eſt conditor, nihil non bonum fecit. Unde & Diabolus bonus eſſet, ſi in eo quod factus eſt permaneret. Sed quia naturali excellentiâ malè uſus eſt*,, & in veritate non ſtetit,, (Jo.8. v.44.) *non in contrariam tranſiit ſubſtantiam, ſed à ſummo bono, cui debuit adhærere, deſcivit.*

IX. Octavò: Nuptias, & Matrimonii uſum cum Gnoſticis Manichæis & aliis ſupra refutatis damnabant: non quia continentiam præeligerent, ſed quia permiſſum cum mulieribus commercium, quod ipſi frequentabant, in matrimonio habere non poterant, quia in eo non eſt libertas turpitudinis, ubi & pudor matrimonii ſervatur, & ſpes ſobolis. S. Leo cap.7.

X. Nonò: His addebant: *Plaſmationem humanorum corporum Diaboli eſſe figmentum, & ſemina conceptionum operâ Dæmonum in mulierum uteris figurari: propter quod reſurrectionem carnis non eſſe credendam, quia concretio corporis non ſit congruens Animæ dignitati*. Ita S. Leo cap. 8. addens: *Quæ falſitas ſinè dubio opus Diaboli eſt, & talia prodigia opinionum figmenta ſunt Dæmonum, qui non in feminarum ventribus formant homines, ſed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores*. Nam & David in Pſalm. 118. v. 73. dicit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt me & plaſmaverunt me*. Et ad Jeremiam Dominus ait c.1. v.5. *Priuſquam te formarem in utero novi te.* Non ergo Diabolus, ſed Deus eſt, qui in mulieris utero format hominis corpus. Quibus verbis eorum diſtinctio vana demonſtratur, quâ filios quidem perditionis operâ Diaboli concipi in utero matris dicebant; filios tamen promiſſionis ex mulieribus quidem natos, ſed ex Spiritu Sancto dicebant eſſe conceptos. Nam & David & Jeremias filii promiſſionis erant, qui tamen in utero matris, ſicut cæteros ſe formatos à Deo dicunt.

XI. Decimò: Has ob cauſas Priſcillianus conjugia diſſolvebat, viroſque à nolentibus feminis, feminas à nolentibus viris ſeparabat. Cum mulieribus tamen, quas adoptivas vocabat, etiam Clericos & Monachos habitare, ac fœdè cum eis commiſceri Gnoſticorum & Manichæorum more concedebat.

Hic malo ſuo genio obcæcatus Danæus Catholicos quaſi eodem errore notat dicens „ Papiſtæ tamen prætextu religionis profitendæ, & ingreſſu Monaſterii, ut loquuntur, idem penè etiam „ conjugibus permittunt Can. *Notificaſti*, & Can. *Qui uxorem* 33. „ q.5. Vide etiam Auguſt. Epiſt. 199. „

Sed de more vel in meridiana luce cæcutit. Nam Priſcillianus, ut dixi, vel nolentes viros ac feminas à conjugio abſtrahebat, & feminas ſic abſtractas promiſcuè luxuriari volebat, matrimonium damnans, & promiſcuum coitum probans. Eccleſia Catholica matrimonium ſanctum, imò & Sacramentum indiſſolubilis nexus declarat, nec aliter ſolvi permittit, niſi uterque conjugum mutuo conſenſu perpetuam continentiam ſeparati in Monaſteriis voveant. Ita præſcribunt Canones ab eo citati. Imò Canon *Notificaſti*, qui eſt Alexandri II., ſtatuit contra quemdam, qui oppoſitum fecerat, irritè ſe geſſiſſe: *Non enim violentiá, ſed ex pari voluntate & conſenſu (ſicut Sancti Patres dicunt) hoc fieri debet, neque vir Monaſterium eligere, aut profeſsá continentiá habitum cum feſtinatione debet mutare*. Idem firmant ſequentes Canones. S. Auguſtinus autem citatâ Epiſt. 199. (modò 262.) totus eſt in corrigenda quadam muliere nomine Ecdicia, quæ neſciente viro ſuo bona ſua in eleemoſynam diſtribuerat, & vidualem ſtatum profeſſa erat, eique injungit ut ſuper his ſatisfaciat viro ſuo. Sed Danæus, decipiendo ſuis calumniis incautos unicè intentus, hæc legere noluit.

XII. Undecimò: Carnibus tanquam immundis veſci nolebant. Hunc quoque errorem à Manichæis hauſtum ſuperiùs refutavi. Hic autem error præcedentis appendix fuit. Sicut conjuges etiam nolentes à nolentibus disjungebant: ita licèt operibus carnis dediti, carnium eſum execrabantur; quia nimirùm ut ait S. Auguſtinus hoc cap.70. *Opificium omnis carnis non Deo bono & vero, ſed malignis Angelis tribuunt*. Videantur ſupra dicta cap. 42. §. 5. in Manichæis. Audiatur tamen Philaſter Hæreſ. 84. qui loquens de hoc & ſuperiore Priſcillianiſtarum, quos *Abſtinentes* vocat, errore, Catholicam ſui temporis doctrinam exponens, de conjugum ſeparatione ait: *Aliud eſt itaque conſenſu communi hoc fieri laudis causá majoris conſequendæ à Domino, & aliud contra legem ſuadere, contraque amborum facere voluntatem* (ut faciebant Priſcillianiſtæ). De abſtinentia item à cibis, ait: *Quod ex voluntate eſt, laudis eſt amplioris, imò potiùs mercedis cœleſtis eſt deſiderium: quod autem extra legem eſt, non à Deo Chriſto eſt traditum, ſed inani hominum præſumtione & errore inventum... Hoc autem idcò faciant, ut eſcas paulatim ſpernentes dicant eas non eſſe bonas, & ita non à Deo homi-*

Digitized by Google

hominibus eſcæ cauſâ fuiſſe conceſſas, ſed à Diabolo factas ut adſerant, ita ſentiunt (Priſcillianiſtæ).

XIII. Duodecimò: Die Dominico, & die Natalis Chriſti ſeverè jejunabant, non macerandi corporis, ſed erroris ſui profitendi ſtudio; quo aſſerebant, nec Chriſtum veram carnem habuiſſe, nec verè reſurrexiſſe: ideòque tales feſtos dies deprimentes potiùs, quàm honorantes. Ita S. Leo citatâ Epiſt. ad Turribium c.4. *Quod utique*, inquit, *ideò faciunt, quia Chriſtum Dominum in vera hominis natura natum eſſe non credunt, ſed per quandam illuſionem oſtentata videri volunt quæ vera non fuerint; ſequentes dogmata Cerdonis atque Marcionis, & cognatis ſuis Manichæis per omnia conſonantes. Qui, ſicut in noſtro examine detecti atque convicti ſunt, Dominicum diem, quem nobis Salvatoris noſtri reſurrectio conſecravit, Solis, ut proditum eſt, reverentiæ hanc continentiam devoventes, ut per omnia ſint à noſtræ fidei unitate diſcordes; & dies qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur. Unde dignum eſt, ut inimici Crucis & Reſurrectionis Chriſti, talem excipiant ſententiam, qualem elegerunt doctrinam*. Hæc de illis S.Leo pronuntiat.

XIV. Decimotertiò: Scripturas veras adulterabant, & falſas ac apocryphas inducebant. Teſtatur S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap.70. dicens: *Hoc verſutiores etiam Manichæis, quòd nihil Scripturarum canonicarum repudiant, ſimul cum apocryphis legentes omnia, & in auctoritate ſumentes, ſed in ſuos ſenſus allegorizando vertentes quidquid in ſanctis Libris eſt quod eorum evertat errorem*. Sacros etiam Codices ab eis fuiſſe corruptos, veracium teſtium relatione ſe comperiſſe dicit S. Leo in ſæpè laudata Epiſtola c. 15. Quare diſtrictè mandat, *ut falſati Codices, & à ſincera veritate diſcordes in nullo uſu lectionis habeantur. Apocryphæ autem Scripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiam penitùs auferendæ ſunt, atque ignibus concremandæ*; & hoc Epiſcopis præcipit, itaut ni fecerint, noverint, hæreticos ſe fore judicandos. De hac eorum fraude loquitur S. Auguſt. Epiſt. 237. aliàs 253.

XV. Decimoquartò: Licitum eſſe mendacium, etiam juramento firmatum, ſuos docuit Priſcillianus, & hoc ut ſuas celarent turpitudines: unde S. Auguſt. hoc cap.70. ait: *Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines ſuas, habent in ſuis dogmatibus & hæc verba*:

Jura, perjura, ſecretum pandere noli.

Propterea S. Doctor Librum ſcripſit integrum contra Mendacium De hoc egi Tomo 1. in 1. 2. q. 3. de Act. human. moralit. Dub. 7 §. 2. & 3.

Porrò obſcenam fuiſſe Priſcillianiſtarum vitam, præter ſupra dicta teſtatur S. Hieronymus Epiſt. 43. ad Cteſiphontem adv. Pelagianos, ubi dicit: *Verbum perfectionis & ſcientiæ ſibi temerè vindicantes, ſoli cum ſolis clauduntur mulierculis, & illud eis inter coitum amplexuſque decantant* (Virgil. Georgic. 2.)

„ Tum Pater Omnipotens fœcundis imbribus æther
„ Conjugis in gremium lætæ deſcendit: & omnes
„ Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.

Qui quidem partem habent Gnoſticæ hæreſeos de Baſilidis impietate venientem. Adeò tamen callidi in ſuis impuritatibus tegendis erant, ut S. Auguſt. Epiſt. 237. ſupra citatâ dicat: *Poſſunt enim aliqui hæretici reperiri fortaſsè immundiores, ſed nullus iſtis fallaciâ comparatur.*

CAPUT LXIII.

De Hæreſi circa Cibum: & de Rhetorianis.

§. I.

Hæreſis de Cibo, & Spiritu Sancto.

I. SAncti Auguſtini ordinem ſequens, aliquas hæreſes, quas ex Philaſtro ipſe brevi ſtylo recenſet, hoc in capite & ego percurram.

Primò ergo cap. 71. S. Auguſtinus hæc habet: *Dicit Philaſter, eſſe alios hæreticos, qui cum hominibus non ſumunt eſcas: ſed utrum cum aliis qui ejuſdem Sectæ non ſunt, an etiam inter ſe ipſos id faciant, non exprimit. Dicit etiam eos de Patre & Filio rectè, de Spiritu autem Sancto non Catholicè ſapere, quòd eum opinentur eſſe creaturam.* De his Philaſter Hæreſ. 86. quos *Adelophagos* appellat Auctor Prædeſtinati cap. 71.; qui tollit dubium ab Auguſtino excitatum, dum addit: *Dicentes non debere ita cibum ſumere Chriſtianum, ut ab alio videatur dum comedit.* Quibus apparet, neminem prorsùs, nec etiam ſuæ Sectæ, voluiſſe præſentem dum comederent. Qui fuit proprius hujus hæreſis error. Alter enim de Spiritu Sancto in Macedonio, à quo illum acceperant, ſupra rejectus manet.

II. Adversùs priorem hujus hæreſis errorem, nempè Chriſtianum debere ita ſolitariè cibum ſumere, ut à nemine videatur, breviter me expedirem, opponendo exemplum Chriſti, qui ſocialem ſe exhibuit in menſis, tum nuptialibus Canæ, tum apud Pha-

Phariſæum, Zachæum, Lazarum & ſorores ejus; qui ante Paſſionem cœnam cum Diſcipulis ſuis, imò & poſt Reſurrectionem cibum cum illis ſumere voluit: vitamque adeò ſocialem duxit, ut ipſe Matth. 11. v. 19. dixerit: *Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax & potator vini.* Unde ergo, niſi ex ſuo inſano ſpiritu hauſerunt iſti, non debere ita cibum ſumere Chriſtianum, ut ab alio videatur dum comedit. Hiſce, inquam, eos dimitterem;

III. Verùm quia Danæus hoc cap. 71. ſolito ſuo in Monachos præſertim ſolitariam vitam agentes furore abreptus, eos cum hiſce hæreticis comparare vult, tanquam fruticationem ab eis manantem, ignoſcat Lector, ſi ultra ea quæ in Monachorum defenſionem ſupra cap. 60. §. 3. attuli, aliqua hic ad novas calumnias diſſipandas adjiciam. Conatur ergo primò Danæus oſtendere, vitam ſolitariam eſſe contrariam naturæ hominis, quod eſt animal gregabile, & ad ſocietatem natum, & ad hoc profert S. Auguſtinum Lib. de Bono Conjugali cap. 1. Sed cùm ibi S. Doctor primam ſocietatem eſſe dicat viri & uxoris, fiet ut qui ab hac ſocietate abſtinet, contra naturam hominis agat, quod etſi Danæus & alii Sectarii cælibatum deteſtantes probent, non tamen probat S. Auguſtinus, qui de laudibus virginitatis ejuſque excellentiâ ſupra bonum conjugale Librum edidit. Sed hic ſermo eſt de ſocietate civili: quæ quidem naturæ hominis conſentanea eſt, hoc tamen non tollit, quin aliquis altiori ſpiritu excitatus, ut humanæ ſocietatis evitet pericula, propter Deum & vitam æternam tutiùs procurandam, eam abdicet & ſoli Deo ſervire conſtituat. Si hoc damnat Danæus damnet & Chriſtum, qui Matth. 19. v. 28. Petro dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Reſpondit: *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit:*

IV. Hoc conſilio excitati, his promiſſis freti, omnia ac ſemetipſos abnegantes plurimi, hominum ſocietatem fugientes, Monaſteria vel remotas ſolitudines elegerunt, ibi diu noctuque ore mente & corde ſoli Deo vacantes, in Mundo poſiti tanquam in Mundo non eſſent: tacto Chriſti edocti, qui ante prædicationem in deſertum ſeceſſit, ibique quadraginta diebus jejunans ſolus permanſit (Matth. 4., Marci 1., Lucæ 4.) qui aſcendit in montem ſolus orare (Matth. 14., Marci 6.) & erat ibi *pernoctans in ora-*

oratione Dei Lucæ 6. v. 12. Qui ante Paſſionem ſeorſim à Diſcipulis nocte oravit tertiò, & inveniens adhuc dormientes, excitavit Diſcipulos dicens: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. 26.) Hinc ab ipſo tempore Apoſtolorum orta eſt bonorum renuntiatio; hinc præformatum Monachorum, Eremitarumque inſtitutum. Unde S. Hieronymus Lib. de Script. Eccl. c. 11. loquens de Philone Judæo Apoſtolis coævo dicit, quòd *Librum de prima Marci Evangeliſtæ apud Alexandriam ſcribens Eccleſia, in noſtrorum laude verſatus eſt: non ſolùm eos ibi, ſed in multis quoquè Provinciis eſſe memorans, & habitacula eorum dicens Monaſteria. Ex quo apparet talem primùm Chriſto credentium fuiſſe Eccleſiam, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt, ut nihil cujuſquam proprium ſit, nullus inter eos dives, nullus pauper. Patrimonia egentibus dividuntur, orationi vacatur & Pſalmis, doctrinæ quoquè & continentiæ, quales & Lucas refert, primùm Jeroſolymæ fuiſſe credentes.*

V. Cùm ergo apud Proteſtantes nemo ſit, qui tale vitæ inſtitutum profiteatur, imò in eo execrando omnium Sectariorum nomine perpetuus ſit Danæus, è contra verò in Eccleſia Romano-Catholica ſub diverſis vivendi regulis paſſim floreat: Peto: apud quos veteris forma pietatis ac inſtituti permanet? Procul dubio cæcus erit, qui priſcam apud eos Apoſtolicamque Eccleſiam prorsùs evanuiſſe non judicet. At inquiunt: plures ex iis defecerunt, & adhuc deficiunt. Dicam ego: multò plures profecerunt, & adhuc in ſanctitate proficiunt. Defectus vitium perſonæ eſt, non ſtatus & inſtituti. Multi à Lege deficiunt; ab Apoſtolatu defecit Judas; numquid propterea damnanda eſt Lex, Apoſtolatus culpandus? Legant S.Auguſt. in Pſalm. 99. à num. 12. & alibi.

VI. Turpiùs autem fallitur, vel fallere vult Danæus, dum hæreticos, de quibus modò ſermo eſt, ut redivivos in noſtris Monachis ac Eremitis ſolitariam vitam agentibus proponit. Nam illi ut hæretici habiti ſunt, non quia ſpontaneâ ac liberâ electione vitam ab aliorum conſortio etiam in cibo ſumendo ſejunctam amore ſolitudinis profiterentur, quod aliqui ex noſtris faciunt: ſed quia hoc ex Evangelio ita ſtatutum putabant, ut omnes Chriſtiani ad hoc tenerentur. In quo certè deſipiebant; Deus enim ut diverſos hujus vitæ ſtatus conſtituit; ita hominum quoque ingenia diverſis aptavit, nec quod reipſa optimum eſt, omnibus aptare voluit. Ita Chriſtus Matth. 11. æquè damnat Judæos, qui ipſum vitam ſocialem agentem tanquam voracem & potatorem traducebant, ac eos qui videntes Joannem in Deſerto jejunum vivere, dicebant, *Dæmonium habet*. Sicut ergo nos Proteſtantium ſociali

ac

ac hilari vitæ, dum Legi non adverſatur, non detrahimus: ita ipſi contra ſolitariam monaſticam & auſteram profeſſionem oblatrare ceſſent; ac norint, quòd Eccleſia Catholica pro hæreticis ſemper habuit, tam eos qui ſocialem vitam Chriſtianis generaliter interdixerunt, quàm eos qui monaſticum & ſolitarium vivendi genus in eiſdem univerſaliter damnarunt; cùm ex utroque ſtatu, ut dicebam, Eccleſiam ſuam Chriſtus conſtare voluerit.

VII. At quia qui Mundo propter Chriſtum renuntiarunt, hujus Mundi principem & ſectarios ſuos ſemper habebunt infenſos, in Monachorum & aliorum, qui à Mundo ſegreges vivunt, ſolatium & robur, utar verbis Chriſti ad Apoſtolos Joan. 15. v. 18. *Si Mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de Mundo fuiſſetis, Mundus quod ſuum erat, diligeret: quia verò de Mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis. Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* His verbis in Apoſtolis munivit Chriſtus omnes, qui propter ipſum relicturi erant Mundum, ne hujus odium paverent.

§. II.

De Rhetorianis.

I. RHetoriani ſeu Rhetorii à Rhetorio quodam nomen & errorem accepere in Ægypto & Alexandria. Quis fuerit Rhetorius iſte, nec Philaſter Hæreſ. 91., à quo S. Auguſtinus cap. 72. hujus hæreſis notitiam accepit, quidquam memorat, ſolùm fuiſſe Ægyptium, & Alexandriæ errorem ſparſiſſe indicans. Fabritius in Notis ad Philaſtrum hìc ſuſpicatur, ſub Rhetorio hoc Rhetorem latere Themiſtium, qui, ut legitur apud Caſſiodorum in Hiſt. Tripart. Lib. 8. cap. 12., cùm Valens Antiochiæ degens Conſubſtantialitatis cultores acriter inſequeretur, ab eis ulteriùs inſequendis deſtitit permotus oratione Themiſtii, quâ dicebat, *non oportere eum eſſe infenſum propter diſcordiam Eccleſiaſticorum dogmatum: quando etiam apud paganos ultra trecentarum ſectarum differentia videretur: & unuſquiſque pro dogmate proprio in ſententia diverſa conſiſteret. Etſi fortè hoc Deo gratius eſſet, dum non facilè cognoſcitur, & diverſo modo glorificatur: quatenus unuſquiſque ampliùs timeat, dum integritatem ejus ſcientiæ, vel quomodo, aut qualis, quantuſque ſit magis ignorat.* Hoc idem Imperatori Joviano Themiſtium perſuaſiſſe, refert Socrates Lib. 3. Hiſt. cap. 25.

II. Hâc igitur pravâ imò impiâ doctrinâ imbuti Rhetorii, omnes

omnes laudabant hæreſes, omnes benè ſentire, ac in via ſua ambulare, & malè non cogitare, dicebant: & fortè hanc opinionum diverſitatem Deo placere magis quàm diſplicere, cùm ex hoc ejus incomprehenſibilitatis magis extollatur majeſtas. Hinc infert loco citato Philaſter: *Et Photinus ergo laudandus eſt hæreticus, qui Chriſtum Dominum negat eſſe ante ſecula cum Patre. Et omnis hæreſis, quæ blaſphemat, aut in Patrem, aut in Filium, aut in Spiritum. Cur itaque blaſphemos hæreticos laudat, cùm eos Chriſtus Dominus* (Matth. 12. v. 31.) *ex hoc jam ſeculo damnaverit dicens, non dimitti hominibus blaſphemiam, in Spiritum Sanctum blaſphemantibus & perſeverantibus, neque hic neque in futuro?*

III. In eodem errore fuiſſe Symmachum, qui prius Samarita, poſteà Judæus, indè Chriſtianus, tandem Ebionita, ac proinde varius in religione fuit, colligitur ex Prudentio Lib. 2. qui de eo ita canit:

Perſiſtit tamen, affirmans iter eſſe viandi
Multifidum, variumque, Deus cum quæritur unus.
Hinc alios, aſt indè alios properare ſeorſum,
Quemque per anfractus proprios, ſed compita eodem
Fine coarctari, ſimul & concurrere in unum.

Similia profitebatur Lampetius quidam, à quo Lampetiani, qui teſte Damaſceno num. 98. de Hæreſ. dicebant, licere Chriſtiano quidquid voluerit eligere: *Neque enim deceat, inquiunt, ut Chriſtianus vi quidquam facere cogatur, quando ſcriptum eſt*. Pſam. 53. v.8. „ Voluntariè ſacrificabo tibi „: *& rursùm quia* Pſalm. 26. v. 8. „ Ex voluntate mea confitebor illi „. *Quinimo nonnulli aſſerunt, eos permittere naturalibus affectionibus indulgeri, nec velle eis repugnare, tamquam natura hoc exigat.*

IV. Ejuſmodi error, ut à Rhetoriis aſſerebatur, nempè omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere, omnium maximus eſt: aperit enim cuique viam quodcumque libuerit cogitandi & eligendi, ut nullus ſit error, nulla hæreſis, nullum vitium, nullum peccatum, ſed in tanta à Deo homo relictus ſit poteſtate, ut quodcumque cogitet, hoc verum ſit, & quodcumque faciat, ſit bonum; omnis religio quam eligat ſit vera, nec ulla ſit lex, quam tranſgredi poſſit. *Quod*, inquit S. Auguſtinus, *ita eſt abſurdum, ut mihi incredibile videatur.*

V. Lambertus Danæus ipſe hoc cap. 72. contineri non poteſt, quin damnet eos qui volunt, liberam cuique eſſe debere Religionis quam velit, & quam veram putat, profeſſionem, quia nihil invitum & coactum Deo placet, ut Lampetiani dicebant. Et addit „ Propterea tamen non debet quodlibet humani ingenii com-

„ commentum admitti, ſed ea tantùm doctrina, quæ cœleſtis eſt, „ & verbo Dei conſentiens audienda. Retinenda enim eſt nobis „ illa Petri ſententia in 2. Epiſt. cap. 1. v. 20. Prophetiam non eſſe „ propriæ cujuſque explicationis, ut in quamcumque velit partem quiſque eam inflectere poſſit. Nam ut Deo jubente allata „ eſt: ita nulla ejus interpretatio admittenda eſt, quæ à Dei gloria & ſpiritu diſſentiat. Iſaiæ 30. v. 8., Hierem. 36. v. 2. Idcircoque dicunt Apoſtoli reſcribentes, *Placuit*, non *nobis* tantum, „ ſed *nobis* & *Spiritui Sancto* Act. 15. v. 28.

„ Immane verò eſt iſtud, quemque hæreticum vera dicere „ etiam in eo, in quo cenſetur hæreticus; quæ dicendi ratio etiam „ in ipſis verbis contradictionem, ut ajunt, implicat, ſeque ipſa „ tollit & refutat. Cujus erroris nullum certè poteſt eſſe fundamentum, niſi quis fortaſsè illud Pauli afferat Rom. 14. v. 15. „ Quiſque abundat in ſuo ſenſu. Quod planè aliò pertinet, neque ad hunc errorem confirmandum facit, ſed & quòd hæretici, „ ut docet Hilarius in Libro ad Conſtantium, jam ad ſuos errores „ defendendos auctoritate Sacræ Scripturæ paſſim niti videbantur, magnum hujus Rhetorianorum erroris fundamentum vel „ fulcimentum fuit. Jovinianus Imperator perperam laudatur à „ Themiſtio, quòd liberam eſſe cujuſque religionem ſiverit. Iſtud „ tamen Rhetorianorum cogitari, nedum dici non potuit, niſi „ propter allegorias in Scripturæ interpretatione jam inductas „ homines exiſtimaſſent in ſcripto Dei verbo nihil certum nihilque definitum ineſſe, ſed velut naſum cereum à quoque pro „ animi ſui ſenſu in varias & contrarias partes & ſententias torqueri poſſe. Hanc igitur de Sacræ Scripturæ dubia & ancipiti „ intelligentia opinionem, non modò hæreticam eſſe hoc loco „ pronuntiat Auguſtinus, ſed etiam ſtupendam & abſurdam: „ quam tamen Papiſtæ tuentur, & in primis literis Clementis Romani Pontificis de Synodo Tridentina colligenda datis, disertè „ totidemque penè literis retulerunt, & deſcripſerunt.

VI. Hactenus Danæus putans, hoc diſcurſu Rhetorianos, &, ut ipſe ait, Papiſtas confodiſſe. Cum tamen ſagittæ ejus in ſuos ac ipſum retorqueantur. Quod oſtendam. Et quidem primò: Nam. in Rhetorianis damnat Danæus, quòd aſſererent liberum cuique eſſe quam vellet amplecti religionem, nullas eſſe hæreſes, & omnes hæreticos rectè ambulare. Peto modò: Cujus fontis rivus, ſunt *Adiaphoriſtæ* ſeu *Indifferentes*, qui etſi contraria inter ſe & hæretica doceant ac profiteantur, libera tamen eſſe, & omnes hâc non obſtante contrarietate, in vera Religione ſe eſſe & ſalutis capaces, glorientur? Non aliunde certè, quàm ex prætenſa reformatio-

matione manarunt. Ex uno Calvini fonte, quot Sectæ præſertim Angliam hiſce temporibus inundant? Puritani, Anglo-Calviniani, Piſcatoriani & Arminiani. Puritani ab Anglo-Calvinianis diſſentiunt. Ad Puritanos accedunt Independentes, & Presbyteriani, ex Independentibus, Antinomi, Antiſcripturiani, Quakeri, Ranteri, Levellerii & alii; qui licèt inter ſe in dogmatibus diſcordes, omnia tamen ſibi libera eſſe ac veram religionem profiteri inter ſe conveniunt. Imò eò uſque procedunt ut Deiſmum, ac Socinianiſmum plures amplexi, ad Religionem Chriſtianam ſufficere unum Deum, ac unum Chriſtum credere; reliqua adiaphora & libera eſſe, dicant; & tandem abjectis omnibus præceptis jure tum Eccleſiaſtico, tum etiam Divino, traditione perpetua ſervatis, liberam ut ſibi placet vitam ducentes, ſtatuunt quemlibet in religione quam putat eſſe veram poſſe ſalvari. Quinam ergo Rhetorianorum proles, ò Danæe ſunt; nos, an tui?

VII. Secundò: Rhetorianos Danæus damnat quia contra præſcriptum D. Petri Scripturam Sacram ſuo privato ſpiritu interpretantes, eam quò ipſis placebat trahebant, cùm nulla interpretatio admittenda ſit, quæ à Dei gloria & Spiritu Sancto diſſentiat, & ad hoc affert Danæus exemplum Apoſtolorum Act. 15. An etiam in hoc Rhetorianos imitentur Danæi ſocii, judicet pius ac eruditus Lector. Gloriantur ſinguli ſe habere ſpiritum Dei certum de vero Scripturæ ſenſu: & licèt eorum alii unum Scripturis affingant ſenſum, alii contrarium, omnes ſpiritu Dei ſe loqui profitentur. Apoſtoli, ut certum eruerent Scripturæ ſenſum de Circumciſione & legalibus ſervandis vel abrogandis, Eccleſiam in Concilio congregarunt, & tunc reſcripſerunt, *placuit* non *nobis* tantùm, ſed *Spiritui Sancto & nobis*. Moderni qui ſe nuncupant Evangelicos, contemtâ Eccleſiâ ſeorſim ſinguli Eccleſia ſunt, & ementito ſuo ſpiritu Scripturæ ſenſum qui ipſis placet tribuentes dicunt *placuit ſpiritui meo & mihi*: & ita Scripturis ad ſuum errorem detortis paſſim abutuntur, ac ſuam doctrinam, etſi ab Eccleſia hæreticam ex Scripturis declaratam, ut veram pronuntiant: ac libertate à Rhetorianis accepta, quod ſibi placet ſuſcipiunt, quod non placet rejiciunt, unumquemque in ſua religione tutum vivere concedentes.

VIII. Ut autem quiſquis videat, quàm nedum falsò, ſed impudenter Rhetorianorum errorem in Sacris Scripturis interpretandis nobis Catholicis affingat, prætermiſſo ejus errore quo putat á Clemente Pontifice Synodum Tridentinam fuiſſe indictam, non à Paulo III., ut re verà fuit, legatur ejuſdem Synodi decretum Seſs. 4. de Canonicis Scripturis, ubi ſic ſtatuitur: *Ad coercenda petu-*

Digitized by Google

petulantia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus Fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat. Hanc Regulam in interpretandis Sanctis Scripturis nos Pontificii & Catholici tenemus, à qua, utpotè ſuis conficiendis erroribus contrariâ, hæretici quovis tempore receſſerunt, & adhuc recedunt.

IX. Non ergo mirùm, ſi ſpiritu vertiginis pleni, modò huc, modò illuc ferantur, nec ubi pedem certò figere poſſint inveniant; à regia enim via declinantes in tortuoſas ſemitas inciderunt, per quas quò magis progrediuntur, eò magis à recta via elongantur. Non tædeat audire Epiphanium Hæreſi 59. num. 11. hoc ita exprimentem: *Quemadmodum enim*, inquit, *ſi quis interruptam ſepem ad publicam viam repererit, & illàc iter eſſe ſibi credens, relictâ viâ paululum deflexerit, ratus propinquum eſſe exitum, per quem redire in viam iterum poſſit, nec illud ſciens, altiſſimum illic eſſe murum, ac longiſſimo ſpatio interceptum; atque ita diſcurrat, nec quâ poſſit egredi uſpiam reperiat; cùmque uno alterove milliari progreſſus fuerit, longiùs deinceps iter ſuperſit, nec viam expediat, ſed hùc illucque ſe conferat. Hic igitur ad eum modum laborans, neque ullum ad rectam viam iter expediens, non aliter fortaſſis inveniet, quàm ſi eâdem, quâ ingreſſus erat, revertatur. Sic hæreſis omnis, cùm itineris compendium haberet in promtu per longas ambages digreſſa in ſolidiſſimum murum incidet, cujuſmodi eſt ignorantiæ inſcitiæque impedita ac tortuoſa flexio. Neque verò invenire unquam illa poterit, quâ ſe ad rectam viam referat, niſi ad primariam viam, hoc eſt regiam, iter retorſerit.* Deinde indicans, quæ ſit via regia ait: *Eſt enim regia quædam via, nimirùm Eccleſia Dei, ac veritatis iter. Unaquæque verò iſtarum hæreſeon regiâ derelictâ viâ, ad dextram ſiniſtramve deflectens, deinceps in immenſum errorem ſe ſe committens, abripitur: adeò ut nullum deinceps modum habeat in qualibet erroris inſolentia.* Hæc, benigne Lector, conſidera, & concludes præſentibus hæreſibus omnia congruere, nec alium ſupereſſe modum, niſi ut ad viam, à qua declinarunt, revertantur. Sed de hoc egi in Lib. de Eligenda Sententia.

X. De tempore, quo hæc Rhetorianorum hæreſis emerſerit, Philaſter nihil ſtatuit, ſolùm dicens, quòd in Ægypto & Alexandriæ viguerit. Poſt Apellitas exortam fuiſſe, & poſt annum à Chriſto paſſo 150., & à Chriſto nato 184. ſuſpicatur Danæus.

X 2 Dicit

Digitized by Google

Dicit tamen, quòd eam amplexi ſunt, & retinent hodie Mahumetani, qui quemque in ſua religione ſalvum fore docent & credunt. Debuiſſet tamen addere eam pleroſque ex ſuo grege hodie amplecti, apud quos invaluit, Chriſtianos omnes cujuſcumque ex hodiernis Sectæ ſint, imò & ipſos Catholicos in ſua Religione ſalutem poſſe conſequi, utpotè in ſolis adiaphoris diverſos, quæ Rhethoriana hæreſis fuit, ut ſupra dixi.

CAPUT LXIV.

De Theopaſchitis, & Triformiis.

§. I.

Theopaſchitæ qui fuerint, & quis eorum error.

I. Hos ſuppreſſo nomine referunt Philaſter Hæreſ. 92. & ex eo S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. 73. dicens: *Alia eſt hæreſis, quæ dicit, in Chriſto Divinitatem doluiſſe, cùm figeretur caro ejus in cruce.* Ex errore autem dicti ſunt *Theopaſchitæ*, à voce græca *Theos* ideſt *Deus*, & *paſcho*, ideſt *patior*: unde etiam *Theopaſſiani* à Danæo vocantur: ſicut qui dixerunt, patiente Chriſto Patrem quoquè fuiſſe paſſum, *Patripaſſiani* appellati ſunt. De primo hujus hæreſis auctore altum reperio ſilentium. De tempore ortus, licèt Eutychiani pro ea diù certaverint, eam tamen antea ortam ſuſceperunt; cùm, ut dixi, Philaſter & Auguſtinus, qui ortum Eutychianæ hæreſis præceſſerunt, illius meminerint. Unde probabile eſt, primò ſpargi cœpiſſe Apollinaris temporibus, qui cùm ut ſupra oſtendi cap. 51. vellet Verbum Divinum in Chriſto loco animæ fuiſſe, ſequebatur, dum anima in eo dolebat, Verbum ipſum doluiſſe. Ideòque hunc errorem initia ſua habuiſſe ſub Conſtantio Conſtantini Magni filio & Julio I. Rom. Pont. circa ann. 350. vel ſub Valentiniano & Valente ac Damaſo poſt ann. 360. Ab Eutychianis autem excitata diutiſſimè Eccleſiam turbavit.

II. Theopaſchitarum igitur error fuit, patiente Chriſto Divinitatem etiam fuiſſe paſſam. Hujus erroris Petrus Gnapheus (dictus Fullo) Sedis Antiochenæ invaſor patrocinium ſumſit. De quo Nicephorus Lib. 15. Hiſt. cap. 28. *Petrus*, inquit, *tumultus non minimos Antiochiæ excitavit, res pleraſque apud plebem per confuſionem miſcens, & inſolita quædam adversùs fidem inducens: quodque maximum eſt, omnes eos qui Deum crucifixum & paſſum eſſe non crederent,*

derent, anathematis fulmine jaciens. Atque ubi opinionem ſuam confirmavit, ter ſancto illi hymno acceſſionem iſtam,, Qui crucifixus es pro nobis ,, *tandem adjecit. Quæ verba ad hunc uſque diem apud Theopaſchitas obtinent.*

III. Radix hujus erroris erat, quòd cùm in Chriſto ſit una quidem Perſona, & hæc Divina, duplex tamen ſit Natura, Divina nempè & humana à Perſona aſſumta, aliud de eadem Chriſti Perſona dici debet ſecundùm Divinam, aliud ſecundùm humanam naturam: iſti autem hoc capere non valentes, vel potiùs nolentes, quod ſecundùm unam tantùm naturam Perſonæ Chriſti conveniebat, tribuebant alteri: & ſic videntes Deum in Chriſto paſſum, dicebant paſſum eſſe in Deitate, cùm dicere debuiſſent in carne aſſumta. Quamquam enim ſanguine ſuo dicitur Deus redemiſſe, & acquiſiviſſe Eccleſiam Act.20. v. 28.; quamquam item Deus gloriæ dicitur crucifixus 1. Cor.2. v.8.: paſſio tamen & crucifixio ſolùm eſt quantùm ad humanitatem, quæ quia per aſſumtionem erat humanitas Dei, quidquid illa agebat, vel patiebatur, dicebatur agere & pati Deus ob unionem hypoſtaticam ejus cum illa, cùm actiones & paſſiones ſint ſuppoſitorum.

IV. Hinc neſcientes capere aliqui, quomodo Deus crucifixus & paſſus ſit, & non ſit crucifixa & paſſa Deitas, in tres oppoſitos errores ceciderunt: ubi enim Theopaſchitæ Deitatem paſſam fatebantur, hoc exhorrentes Ariani negarunt Verbum & Filium Dei eſſe Deum; Neſtoriani verò duas in Chriſto ponebant perſonas, unam Divinam, alteram humanam, & hanc paſſam & cruci affixam aſſerebant, ut infra dicam. Utrique tamen fallebantur. Ariani quidem; nam S. Auguſtinus Lib. 2. cap. 20. contra Maximinum, qui ex illis Chriſti verbis Matth. 26. v.39. *Non quod ego volo ſed quod tu vis*, inferebat voluntatem ejus voluntati Patris eſſe ſubjectam, ait: *Quaſi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere eſſe ſubjectam? Nam ex natura hominis hoc dixiſſe Dominum citò videt, qui locum ipſum Sancti Evangelii paulò adtentiùs intuetur. Ibi enim dixit*,, Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem ,,. *Numquid ex natura unici Verbi poſſet hoc dici? Sed, homo, qui putas gemere naturam Spiritus Sancti, cur non etiam naturam Verbi Dei Unigeniti triſtem dicas eſſe potuiſſe? Ille tamen, ne quid diceretur tale, non ait*,, Triſtis ſum,, *quamvis etiam ſi hoc dixiſſet, non niſi ex natura hominis oportuiſſet intelligi: ſed ait*, ,, Triſtis eſt anima mea,,; *quam ſicut homo utique habebat humanam. Quamquam & in hoc quod ait*,, non quod ego volo,, *aliud ſe oſtendit voluiſſe quàm Pater; quod niſi humano corde non potuiſſet, cùm infirmitatem noſtram in ſuum, non Divinum, ſed humanum transfi-*

tranſfiguraret affectum. Homine quippè non aſſumto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum,, non quod ego volo,,. *Numquam enim poſſet immutabilis illa natura quidquam aliud velle quàm Pater. Hæc ſi diſtingueretis, Ariani hæretici non eſſetis*. Hæc quæ Auguſtinus dicebat Arianis, dicam ego Theopaſchitis.

V. Neſtorianos item (cum Theopaſchitis) perſtringit Damaſcenus Diſſert. adv. Neſtorianos cap. 37. Cuidam enim illorum dicenti: *Quomodo igitur paſſus eſt? cùm enim nullatenus paſſus ſit tanquam Deus, debuerit ergo ſolus ille intelligi paſſus, qui ex ſemine David*. Reſpondit: *Verùm imbecillis judicii eſſe videtur aſſertio iſta. Non enim Pater communem hominem ſociali conjunctione atque adoptione ornatum pro nobis tradidit. Nam hunc in modum ſcribitur* (Joan. 3. v. 16.),, Sic Deus dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret,, ... *Cùm igitur pro mundi ſalute voluerit pati, atque id ſinè carne perficere non valeret (quia ſecundùm naturam ſuam impaſſibilis eſt, utpotè Deus) carnem paſſioni obnoxiam aſſumſit: & cùm eſſet Deus, etiam factus eſt homo ut pati poſſet. Ambo itaque hæc illi aderant, & ut pateretur carne, & ut minimè pateretur Deitate. Erat enim idem ipſe Deus pariter & homo. Inferior igitur ac debilis eſt omnis exemplorum excogitatio, quàm ut myſterium iſtud clarè repræſentet. Ad exiguam tamen illius expoſitionem hæc afferemus. Veluti ferrum, aliave ſimilis materia familiariori cum igne congreſſu ignem in ſe concipit, ac parit flammam: ſi autem ab aliquo percutiatur, materia quidem damnum patitur; remanet verò ignis natura nihil ab eo qui percuſſit læſa, ſic & intellexeris id quod dicitur, Filium carne pati, ac Deitate non pati*. Sed de hoc alia dicam cum de Eutychianis, & Neſtorianis egero.

§. II.

De Triformiis, eorumque errore.

I. HUjus hæreſis ſinè nomine auctoris ex Philaſtro Hæreſ. 93. meminit S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 74. his verbis: *Eſt alia, quæ triformem ſic aſſerit Deum, ut quædam pars ejus ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus Sanctus, hoc eſt, quòd Dei unius partes ſint, quæ iſtam faciant Trinitatem, velut ex iis partibus compleatur Deus, nec ſit perfectus in ſe ipſo Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus*. Quia ergo Deum triformem, & quaſi Patre Filio & Spiritu Sancto tanquam tribus partibus conſtantem, & compoſitum aſſerebant, ideò Triformes vel Triformiani appellantur.

II. Ne

II. Ne tamen eos quis confundat cum Tritheis, & Tetratheis hæreticis, ſciat Triformes à Tritheis, & Tetratheis, & tempore & errore diſtingui. Tempore quidem, nam hi Triformes ætate illos anteceſſerunt: emerſiſſe enim creduntur ante ſeculum quintum, eo ſcilicet tempore, quo propter Sabellianos & Arianos ſubinde ortos de Dei eſſentia, & trium in ea perſonarum diſtinctione, acerrima erat diſputatio, occaſione cujus multi ex ſuo ſenſu non ex Dei Verbo ſententiam ferre volentes, in varios & oppoſitos ferebantur errores. Trithei verò ſeu Tritheitarum auctor Severus, & propagator fuiſſe putatur Joannes Grammaticus cognomento Philoponus patriâ Alexandrinus, qui ſub Phoca Imperatore & Bonifacio III. Romano Pontifice vixit circa annum Chriſti 600.: de quibus agit Nicephorus Lib. 18. Hiſt. c. 47. & 49. Tetrathei ſeu Tetratheitæ ſecundùm aliquos ſub Mauritio anno 599. ſecundùm alios ante Anaſtaſium I. Imperatorem eodem ſeculo emerſere. Ut ut ſit Triformibus fuere ætate poſteriores: ideòque Philaſter & Auguſtinus, qui Triformes memorant, de Tritheis & Tetratheis non loquuntur.

III. Errore etiam diverſi fuere. Nam Triformes unam Dei Eſſentiam admittebant, quæ tamen ex Patre, Filio, & Spiritu Sancto veluti ex partibus coaleſceret. Trithei verò ſicut tres perſonas, ita tres Deos eſſe dicebant, ſicut Petrus, Paulus, & Joannes non unus homo, ſed tres homines ſunt. Cùm enim Philoponus pro Eutychianis adverſus Catholicos argueret, ſi in Chriſto ſunt duæ naturæ, ergo in Chriſto ſunt duæ hypoſtaſes; & Catholici reſponderent, id non eſſe conſequens, cùm non idem ſint omninò natura & hypoſtaſis: alioquin tres fore in Divinitate naturas quemadmodum ſunt tres hypoſtaſes: reſpondit Philoponus ita eſſe, & profitendum contendit, quòd in Trinitate, ſicut ſunt tres hypoſtaſes, ita ſint tres eſſentiæ ſeu tres naturæ.

IV. Diverſi quoquè in errore fuerunt Tetrathei. Eorum enim dogma hoc fuit, præter tres illas Divinas hypoſtaſes, & perſonas, exiſtere quamdam eſſentiam, quæ trium communis eſſet, & ſe tribus illis communicaret, propter quam communicationem Dii fierent. Ideòque Quaternitatem pro Trinitate docebant. De his, quos Severitas, Angelitas, & Damianitas appellat Nicephorus Lib. 18. Hiſt. cap. 49. hæc habet: *Alium eſſe dicunt Patrem, alium Filium, alium Paracletum, Spiritum videlicet Sanctum: non eſſe autem horum quemque per ſe ipſum naturam, ſed habere communem Deum, ſive Deitatem in eis exiſtentem, atque de ea Deitate indiviſibili modo participantes, quemlibet eſſe Deum.* Manifeſtus error contra fidem, quæ docet, tres illas perſonas aliud non eſſe quàm ipſam

ipſam Divinam naturam, nec ipſam aliud eſſe, nec alio modo ſubſiſtere, quàm in tribus illis perſonis totam in omnibus, totam in ſingulis; cujus non participatione tantùm aliquâ, ſed totâ poſſeſſione quælibet perſona Deus eſt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres perſonæ ſed unus & idem Deus. In hoc ergo Triformes diſtinguebantur, quòd non tres Deos admittebant, ut Trithei, nec quartam eſſentiam eſſe Deitatem à tribus perſonis diſtinctam, ut Tetrathei aſſerebant.

V. Errabant tamen & ipſi, quia licèt Divinam naturam in ſingulis tribus perſonis conſtituerent, non tamen totam: ſed eam cogitabant velut quoddam compoſitum vel aggregatum, quæ in tribus illis hypoſtaſibus conjunctis tota ſit & perfecta, in ſingulis verò imperfecta, & non tota. Unde faciebant Trinitatem, velut monſtrum quoddam triforme tribus diverſis formis tanquam tribus capitibus, qualem ſuum Geryona finxerunt profani Poetæ. ignorantes, quòd ut ait Athanaſius in Symbolo: *Alia quidem eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, ſed Patris & Filii & Spiritus Sancti una eſt Divinitas, æqualis gloria, & coæterna majeſtas*, tam in omnibus quàm in ſingulis, non pars in uno pars in altero.

CAPUT LXV.

De Aqueis, Melitoniis, & Opheis.

§. I.

De Aqueis ſeu Hydrotheitis.

I. HI qui à Danæo Aquei, & ab Auctore Prædeſtinati c. 75. *Hydrotheitæ*, à S. Auguſtino Lib. de Hæreſ. cap. 75. ex Philaſtro Hæreſ. 106. reticito nomine ita deſcribuntur: *Alia eſt* (hæreſis) *quæ dicit, aquam non à Deo creatam, ſed ei ſemper fuiſſe coæternam*. A quibus, quo auctore, quo tempore, & qua in regione orta fuerit, nemo quem viderim dicit. Ab aliquo ex antiquis Hæreticis, qui, ut vidimus, circa Mundi principia variè erraverunt, excogitatam, & à ſcholis Ethnicorum Philoſophorum acceptam fuiſſe, probabile eſt. In hoc errore fuiſſe Thaletem ſcribit S. Auguſtinus Lib. 8. de Civit. Dei cap. 2. *Aquam putavit rerum eſſe principium, & hinc omnia elementa Mundi, ipſumque Mundum, & quæ in eo gignuntur, exiſtere*; & ibid. cap. 5. Philoſophiam Platonicam aliis præferens: *Platonicis Philoſophis*, inquit, *cedant*,

cedant, qui verum Deum & rerum auctorem, & veritatis illuſtratorem, & beatitudinis largitorem dixerunt: ſed alii quoquè Philoſophi, qui corporalia naturæ principia corpori deditis mentibus opinati ſunt, cedant his tantis & tanti Dei cognitoribus viris, ut Thales in humore, Anaximenes in aere, Stoici in igne, Epicurus in atomis, hoc eſt minutiſſimis corpuſculis, quæ nec dividi, nec ſentiri queunt, & quicumque alii, quorum enumerationi immorari non eſt neceſſe, ſivè ſimplicia, ſivè conjuncta corpora, ſivè vitâ carentia, ſivè viventia, ſed tamen corpora, cauſam principiumque rerum eſſe dixerunt. Quibus S. Doctor omnia corporalia à ratione primi rerum principii excludit, & ſolum Deum ſtatuit cum Platonicis.

II. De aquis verò, à Deo fuiſſe factas negarunt aliqui, dicit S. Auguſt. Lib. 11. de Civit. Dei cap. 34. *Quamvis & aquas, quod perverſiſſimæ atque impiæ vanitatis eſt, negent quidam factas à Deo, quoniam nuſquam ſcriptum eſt*,, Dixit Deus, Fiant aquæ ,,. *Quod poſſunt ſimili vanitate etiam de terra dicere; nuſquam enim legitur* ,, Dixit Deus: Fiat terra ,, *Sed, inquiunt, ſcriptum eſt* ,, In principio fecit Deus cœlum & terram ,,. *Illic ergo & aqua intelligenda eſt: uno enim nomine utrumque comprehenſum eſt. Nam* ,, ipſius eſt mare ,, *ſicut in Pſalmo (94. v. 5.) legitur* ,, & ipſe fecit illud, & aridam terram manus ejus finxerunt ,,. Cùm enim dicitur Deus creaſſe cœlum & terram, & in hujus creatæ terræ globo aqua illi ſuperfuſa contineatur, neceſſe eſt quoquè aquam in ea contentam à Deo creatam confiteri. Verùm priùs terra & aqua invicem confuſæ erant, ac velut materia quædam informis. Cum verò die tertiâ dixit Deus *Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum unum, & appareat arida*, terra & aqua ſeparatæ viſibiles & formatæ ſunt, ut communibus uſibus deſervirent.

III. Cæterùm aquam à Deo factam Scripturæ apertè teſtantur. David enim Pſalm. 88. v. 10. *Tu dominaris*, inquit, *poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas*. Si ergo Deus etiam aquis dominatur, illas quoquè creavit: unde v. 12. ſubdit: *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra: orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundaſti, aquilonem & mare tu creaſti*. Unde tres Pueri in Cantico etiam aquas inter alia opera excitant ad celebrandas laudes Creatoris: *Benedicite aquæ omnes* &c. Danielis 3. v. 60. Et Pſal. 134. v. 6. generaliter dicitur: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis*. Inſania ergo eſt, Deo, qui omnibus ut Creator dominatur, & omnia fecit ſivè in cœlo ſivè in terra, ſolam aquam eripere, & dicere eam à Deo non eſſe factam, ſed Deo eſſe coæternam: Aquæ enim quæ in terra continentur, ubi erant, antequam terra fieret?

§. II.

De Melitoniis.

I. MElitonios iſtos hæreticos vocat Danæus, quia licèt, inquit, S. Auguſtinus hoc cap. 76. nullo nomine auctoris eos indicet, in Indice tamen Libro de Hæreſ. præfixo, ut ex veteri Codice, ſupponit hoc nomine eos appellari. Verùm cùm in Maurina S. Auguſtini Editione neque in Indice ſub tali nomine (imò ſub nullo) proponantur: nec Philaſter, ex quo S. Auguſtinus hæreſim hanc deſcripſit, errorem ejus ſub ullo auctoris nomine exponat, crediderim Melitoniorum nomen his hæreticis falsò fuiſſe aſſutum. Eò maximè quod Danæus ipſe fatetur, hujus Melitonis hæretici nomen invenire ſibi non licuiſſe: Melito enim Sardicenſis Epiſcopus de quo Euſebius Lib. 4. Hiſt. cap. 13. & cap. 26. qui ſub M. Antonino floruit, vir Catholicus fuit & plures Libros pro Fide Chriſtiana ſcripſit.

II. Igitur hæreſim iſtam recentiorem fuiſſe, & potiùs Audæanorum, & Anthropomorphitarum ſurculum, error ipſe manifeſtat, qui teſte S. Auguſtino aſſerebat: *Corpus hominis, non animam eſſe imaginem Dei*: qui præfatorum hæreticorum error fuit. Cùm enim Deum corporeum fingerent, conſequenter imaginem Dei in homine, non in anima quæ ſpiritualis eſt, ſed in corpore, quod lineamentis membriſque conſtans aſpectabile eſt, collocabant; contra quos egi ſupra c.46. §.2., & in 1. p. Qu. 1. de Formatione Hominis Dub. 6. ubi hanc materiam fusè tractavi, oſtendens: Primò diſtinctionem inter ſimilitudinem & imaginem. Secundò, varietatem opinionum de eo, in quo homo ſit ad imaginem Dei. Tertiò, ſtatui hominem eſſe ad imaginem Dei ſecundùm animam, & tandem aliquas enodavi difficultates. Quæ omnia huc revocari poſſunt.

III. Hinc S. Auguſtinus in Pſalm. 48. versùs finem: *Imago*, inquit, *Dei intus eſt, non eſt in corpore, non eſt in auribus iſtis, quas videtis, & oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus; ſed eſt, facta tamen, ubi eſt intellectus, ubi eſt mens, ubi ratio investigandæ veritatis, ubi eſt fides, ubi eſt ſpes veſtra, ubi caritas veſtra; ibi habet Deus imaginem ſuam*; & in Pſal. 54. *Cariſſimi*, inquit, *meminiſſe debemus ad imaginem Dei nos eſſe factos, nec alibi quàm in ipſo intellectu. Nam in multis rebus à beſtiis ſuperamur: ubi autem homo ad imaginem Dei factum ſe novit, ibi aliquid in ſe agnoſcit amplius eſſe quàm datum eſt pecoribus. Conſideratis verò omnibus, quas habet*

habet homo, invenit, ſe eo propriè diſcretum à pecore, quòd ipſe habeat intellectum. Idem S. Ambroſius Lib. 5. Hexameron cap. 8. *Non ergo caro poteſt eſſe ad imaginem Dei, ſed anima noſtra, quæ libera eſt*. Ita quiſquis verè homo & rationis compos fuit ſemper ſenſit.

IV. Prætereundum tamen non eſt, in hac veritate explicanda ſingularem eſſe Philaſtrum, & aliqua aſſerere, quæ contra communem etiam Patrum ſententiam ſunt. Hâc enim Hæreſi 97. dicit, Animam hominis priùs creatam fuiſſe, quàm formaretur corpus, & animam factam ſextâ die, corpus verò die ſeptimo plaſmatum. Poſt multa enim hæc ſubjungit: *Vides ergo, quomodo factum hominem, ideſt animam ante oſtendit rationabilem & immortalem eſſe creatam à Domino, quæ utique imago Dei eſt appellata: Terram autem de limo acceptam adjunctam animæ, ideſt exteriorem hominem corpus fragile die ſequenti manifeſtavit plaſmatum, ac immiſſo ſopore in Adam, poſteaque de coſta ejus accepiſſe Dominum & feciſſe mulierem Scriptura teſtatur, ac prædicat: Et ut primùm ſit anima facta, ideſt ſexto die: die autem ſeptimo corpus de terra plaſmatum Adæ. Sic de viri corpore, ideſt de latere ejus factam feminam demonſtraverit, non eſt ambiguum, & quod anima ante facta ſit, caro autem poſtea plaſmata, & ſic poſtea inſpiratione infuſa Dei & ſpiritalis in fine collata ſit gratia*. Ex his ſecundò dicit Hæreſ. 98., inſpirationem illam, ſeu inſufflationem Dei in faciem Adæ non fuiſſe animæ creationem, ſed Spiritus Sancti in ea infuſionem: adeò ut oppoſitum tenere hæreſis ſit. Hæc Philaſter, re verâ ſingularis.

V. Et quidem circa primùm: Nam licèt S. Auguſtinus aliquando ſenſerit, animam hominis priùs fuiſſe creatam, quàm plaſmatum corpus ut Lib. 7. de Geneſ. ad Litteram à cap. 24., hoc tamen ſolùm opinando, & quatenus Scripturæ non adverſetur, dixit, nec tamen animam ſextâ die creatam, & ſeptimâ plaſmatum hominem, ſed animam primâ die, & ſextâ hominem: *Credatur ergo*, inquit, *ſi nulla Scripturarum auctoritas, ſeu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum ſexto die, ut corporis quidem humani ratio cauſalis in elementis Mundi, anima verò jam ipſa crearetur, ſicut primitùs conditus eſt dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam ſuo tempore ſufflando, hoc eſt inſpirando, formato ex limo corpori insereret*. Ita opinanter Auguſtinus: in hoc ut dicebam à Philaſtro diſſentiens, quòd anima primâ die creata, & ſextâ (non ſeptimâ) corpori inſufflatione Dei unita illud vivens fecit, cùm ſciret, quòd die ſeptimo requievit Deus ab univerſo opere Geneſ. 2. v. 2., & quòd licèt poſtea aliqua ut facta narrentur, hæc per recapitulationem dicta intelligenda ſint.

 VI. Por-

VI. Porrò quod de animæ ante corpus creatione opinabile Auguſtino viſum fuit, erroneum judicavit Hieronymus in Ep.38. (aliàs 61.) ad Pammachium, ubi inter errores Joan. Jeroſolymitani, tamquam errori Origenis affinem hunc refutans: *Si*, inquit, *fuit anima, antequam Adam in Paradiſo formaretur, in quolibet ſtatu & ordine & vixit & egit aliquid (neque enim poſſumus incorporalem & æternam in modum glirium immobilem torpentemque ſentire) neceſſe eſt, ut aliqua cauſa præceſſerit, cur quæ priùs ſinè corpore fuit, poſtea circumdata ſit corpore. Et ſi animæ eſt naturale eſſe ſinè corpore; ergo contra naturam eſt eſſe in corpore. Si contra naturam eſt eſſe in corpore, ergo reſurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet reſurrectio contra naturam; ergo juxta ſententiam veſtram corpus quod contra naturam eſt reſurgens, animam non habebit*. Hæc Hieronymi ſententia, quòd anima non ante corpus, ſed ſimul cum corpore creata fuerit, facta eſt ſententia Eccleſiæ.

Hinc excluſum manet quod ſecundò dicit Philaſter, nempè quòd Deus quando inſufflavit Adæ, non animam ſed gratiam inſpiraverit. Nam cùm Gen. 2. v. 7. Inſpiratio dicatur *ſpiraculum vitæ*, & addatur: *& factus eſt homo in animam viventem*, manifeſtum eſt illâ inſpiratione Adam accepiſſe animam, quâ viveret vitâ naturali, non gratiam, quâ vitâ ſupernaturali donatus eſſet. Quare immeritò hoc tanquam hæreticum traducit Philaſter. De his videri poſſunt quæ dixi Tomo 6. in 1. p. qu. 1. de Form. Hom. Dub. 2. §. 1. & 2. Hoc enim hîc indicare volui, ut cautum reddam Lectorem, ne ſi oppoſitum apud Philaſtrum legerit, judicium ſuum facilè ei ſubmittat.

§. III.

De Opheis.

I. HOc nomine eos proponit Danæus, quia apud S. Auguſtinum in Indice ita appellatos, ſed in recentiori editione non hoc, imò nullo, niſi erroris nomine eos appellatos invenio. Auctor Prædeſtinati cap. 77. eos *Ametritas* appellat, ſed quo fundamento neſcitur. Hujus hæreſis ignotus eſt auctor, ac tempus ortus incertum, ſicut & durationis: ſolus error certus eſt, de quo S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 77. *Alia* (inquit, hæreſis) *dicit innumerabiles mundos, ſicut opinati ſunt quidam Philoſophi gentium*. Et ante ipſum Philaſter Hæreſ. 113. *Alia eſt hæreſis, quæ dicit mundos eſſe infinitos, & innumerabiles, ſecundùm Philoſophorum quorumdam inanem ſententiam*. De facto enim hoc quidam Philoſophi

Gen-

Gentiles ſenſerunt. Anaximander teſte S. Auguſtino Lib. 8. de Civit. Dei ap. 2. *Rerum ſingularum principia eſſe credidit infinita, & innumerabiles mundos gignere, & quæcumque in eis oriuntur, eoſque mundos modò diſſolvi modò iterum gigni exiſtimavit*. Hic Anaximenem diſcipulum & ſucceſſorem reliquit, cujus Anaxagoras & Diogenes auditores fuere, Democritus etiam & Epicurus atomos infinitos ponentes ut rerum omnium principia, ut ſcribit in eorum vita Diogenes Laertius Lib. 9. & 10. & Lactantius Lib. 3. Inſt. c. 17. & Lib. de Ira Dei cap. 10. ubi eos ſtrenuè impugnat.

III. Ex his apparet, hunc errorem de infinitis ac innumerabilibus Mundis, ex eo proceſſiſſe, quòd non unum ſed infinita principia ponebant. Cùmque ex hæreticis Baſilides 365. Cœlos confinxerit, non eſt incredibile, iſtos ad innumerabiles etiam Mundos excogitandos fuiſſe permotos. Ineptè tamen, ſeu veriùs impiè. Ineptè, quia hos innumerabiles Mundos à principiis nedum ratione, ſed & ſenſu carentibus, quales ſunt atomi, aut materiæ particulæ, procedere quidam eorum dicebant. Et propterea irridet Lactantius Lib. de Ira Dei cap. 10. Cum enim Leucippus ex præfatis Philoſophis unus diceret: *Quoniam eſt omne infinitum, nec poteſt quidquam vacare, neceſſe eſt ergo innumerabiles eſſe Mundos*. Reſpondet: *Quæ tanta vis fuerat atomorum, ut moles tam inæſtimabiles ex tam minutis conglobarentur? Ac primum requiro, quæ ſit iſtorum ſeminum vel ratio, vel origo? Si enim ex illis ſunt omnia, ipſa igitur unde eſſe dicemus? Quæ natura tantam copiam ad efficiendos innumerabiles Mundos ſubminiſtravit?* Indè proſequitur oſtendens, neque hunc Mundum ex atomis conſtare poſſe: quod præſtat etiam Lib. 3. Inſt. c. 17. Sed hæc modernis quibuſdam Philoſophis perpendenda relinquo.

Quia verò ex Philoſophis aliqui ponebant, atomos, ſeu particulas illas à ratione aliqua conglobari, ut refert S. Auguſtinus Lib. 8. de Civit. Dei cap. 2. ſupra laudatus, & aliqui eorum pluribus mentibus, imò infinitis, infinitos Mundos tribuebant; aliqui, licèt non plures, unam expreſsè ponerent; quæ autem eſſet iſta mens, vel ratio infinitos Mundos cauſans non exponerent, ideò nedum inſani, ſed & impii erant, cùm vel Deum negarent, vel plures Deos admitterent. Sic impii fuere Baſilidiani, qui Mundum & hominem conditos, non à ſummo Deo, ſed ab Angelis, & ſuos 365. Cœlos ab eiſdem formatos, & gubernatos aſſerebant. Aſt his dimiſſis

IV. Unum tantùm eſſe Mundum veritas ac fides docet, & experientia teſtatur. Si enim innumerabiles, aut ſaltem alii præter iſtum quem habitamus, eſſent Mundi, horum notitia, vel ex profanis

Digitized by Google

ſanis hiſtoriis perveniſſet ; hoc autem nemo indicavit, Scriptura Sacra de unius ſolius Mundi creatione ſermonem facit cap. 1. Geneſis *In principio creavit Deus Cœlum & terram*. Unius Cœli, ſeu Firmamenti, & in eo unius Solis & Lunæ mentio fit. Unius terræ ac maris, ac eorum quæ terra producit, & quæ in mari continentur, memoria fit, unius pariter hominis, ex quo omnes qui ad præſentem uſque diem propagati ſunt, deſcendunt. Ubi ergo ſunt hi alii innumeri Mundi, niſi in eorum chimerico capite? De hoc agit S. Th. 1. p. qu. 47. art. 3. ex quo hanc veritatem propugnavi Tom. 5. in 1. p. qu. 2. de Principio Durationis Dub. 2. §. 1. Quæ ibi dixi huc revocari poſſunt.

CAPUT LXVI.

De Tertulliis, Liberatoribus, & Nativitariis.

§. I.

Tertullii qui fuerint & in quo erraverint.

I. HOc nomine iſtos proponit Danæus, quia eo ſupponit in Indice S. Auguſtini appellari cap. 78. quod tamen in noviſſima editione non apparet, in qua ſinè nomine eorum error indicatur. A quodam Tertullo auctore profectos putat, ſed quis fuerit iſte Tertullus, ſe invenire non potuiſſe fatetur, ſicut nec quando, & ubi hæreſis iſta emerſerit, aut quamdiù perſtiterit. Alii, ut apud Iſidorum, Honorium, Rabanum, & Gratianum, eam tribuunt Tertulliano vel Tertullianiſtis, cùm S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. 86. dicat, Tertullianum ſenſiſſe *animas hominum peſſimas poſt mortem in Dæmones verti*; ut infra dicam cap. 71. Sed cùm in Libris Tertulliani qui extant, ut notat Pamelius paradoxo 11., nihil tale extet; potiùs ergo, ut Pamelius indicat, ad Origenem referri poteſt, qui circulationes Angelorum in homines & hominum in Angelos & Demones admiſit: cujus teſtis eſt S. Hieronymus Epiſt. 59. (modò 94.) ad Avitum, ubi Origenem voluiſſe dicit: *Rurſumque naſci ex fine principium, & ex principio finem: & ita cuncta variari, ut qui nunc homo eſt, poſſit in alio mundo Dæmon fieri, & qui Dæmon eſt, & negligentiùs egerit, in craſſiora corpora relegetur, ideſt ut homo fiat*. Et paulò poſt: *Qui verò non fuerint meriti, ut per genus hominum revertantur ad priſtinum ſtatum, fient Diabolus & Angeli ejus, & peſſimi Dæmones*. Hæc quæ Hieronymus de doctrina Origenis refert, an congruant hæreſi de qua hic locuturus ſum, Lector judicare poterit.

II. Hanc

II. Hanc ergo hæreſim exponens S. Auguſtinus cap. 78. *Alia*, inquit, *ſceleratorum animas converti in Dæmonas dicit, & in quæque animalia ſuis meritis congrua*. Philaſter etiam Hæreſi 121. *Nec deeſt hæreſis quæ dicit animas fœnerariorum, ſceleratorum, & homicidarum, & aliorum talium tranſire in Dæmones, & pecudes, & beſtias, & ſerpentes*. Hujus autem hæreſis error fuit, quòd dicebat, animas ſceleratorum in naturam Dæmonum, & beſtiarum tranſire in futuro ſeculo. Quòd ſi dixiſſet, tales contra Legem Dei viventes converti in Dæmones & beſtias quoad mores, in quibus illis ſimiles vivunt, error non eſſet. Ita Philaſter ibi: *Animæ itaque natura non vertitur in naturam alteram, ſed quum voluntate contemnit ac negligit Dei præceptum, ſtudiiſque legitimis ac ſalutaribus inhærere diſſimulat, futuro judicio pœnarum ſe dedicans, non aliâ niſi morum causâ pecudibus cognoſcitur comparanda, non naturâ ſed moribus, ut ſcriptum eſt* (Pſal.48. v.13. „ Et homo cùm in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis „ & 2.Petri 2. v.22. „ Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti „) *Non ergo naturæ pecudum, ſed moribus in hoc ſeculo ſimiles efficiuntur hujuſmodi homines, Pagani, Judæi & alii quàm plurimi. Nam & Salvator Judæis cùm diceret* Jo. 8. v. 44. „ Vos de Diabolo eſtis patre veſtro „ *non naturâ ſed ſceleratis moribus & belluinis ſenſibus ſimiles arguendo & judicando manifeſtabat: & Joannes Judæis dixit* „ Progenies viperarum „ (Matthæi 3. v. 7. Ita Philaſter.

III. At quia hi hæretici volebant, homines Dæmonibus & beſtiis in hoc ſeculo moribus ſimiles, in futuro ſeculo in Dæmones & beſtias fore etiam naturâ convertendos; hoc non ex Chriſti ſchola, ſed Pythagoræ, vel Platonis, aut ſi velis Origenis, animarum metempſycoſim ſtatuentium, dicebant. Doctrina enim Chriſti eſt quidem animas peſſimas ad æternos cruciatus cum Dæmonibus eſſe tradendas, non tamen in Dæmones aut pecudes naturâ fore convertendas. Sic enim Matth. 25. v. 41. Chriſtus in judicio ſe dicturum impiis minatus eſt: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*. Et Paulus 2. Cor. 5. v. 10. *Omnes nos*, inquit, *manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſivè bonum, ſivè malum*. Ubi ait *Omnes nos*, non mutati in alios.

IV. Si autem fortè dicatur, teſtimonio Chriſti Matth. 22. v. 30. Juſti in reſurrectione *erunt ſicut Angeli Dei*; ergo impii tranſibunt in Dæmones. Reſpondeo primò, Chriſtum ibi loqui non de ſolis Juſtis, ſed generaliter de omnibus poſt reſurrectionem. Secundò, dicit

dicit fore ſicut Angelos, non naturâ Angelos: fore autem ſicut Angelos, quia *neque nubent neque nubentur*. Connubiorum enim neceſſitas in hac vita ex eo oritur, ut hominibus homines ſuccedant, ne per mortem Mundo deſint incolæ, & ſic propagatione, quæ per connubium fit, humanum genus in hoc Mundo conſervetur. At in reſurrectione, quâ omnes reſurgent immortales, erunt ſicut Angeli, non naturâ, ſed immortalitate; & ideò neque nubent, neque nubentur. Hinc Tertullianus ipſe Lib. de Reſurrect. Carnis cap. 62. ait: *Non dixit* erunt Angeli, *ne homines negaret*: *ſed* tanquam Angeli, *ut homines conſervaret. Non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit. Reſurget igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipſa, & quidem integra*. Quibus apparet, Tertullianum ſaltem adhuc Catholicum, in oppoſitum errorem non abiiſſe.

V. Si ulterius dicatur: Nabuchodonoſorem, ut habetur Danielis 4. v. 29. & 30., ab hominibus in ſuperbiæ pœnam abjectum, in feram converſum, fœnum ut bovem ſeptennio comediſſe, corpus ejus rore Cœli infectum fuiſſe, adeò ut capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium. Rursùs, ut refert Nicephorus Lib. 8. Hiſt. cap. 35. Teridates princeps, cùm Chriſtum perſequeretur, & inter alios Gregorium Epiſcopum (quem Neocæſarienſem aliqui putant) in fovea per quatuordecim annos detineret, Dei vindictam expertus, ipſe cum tota domo & Optimatibus ſuis ad vitam ſimul & formam porcorum redactus eſt, ita ut ſe invicem laniarent; ſed poſtea Gregorio è fovea extracto, ejuſque hortatu fidem Chriſti omnes amplexi, ſuillâ formâ & vitâ liberati, priſtinam humanam formam recuperarunt. Quibus duobus factis evinci videtur, ſceleſtorum animas in pœnam aliquando in beſtias tranſire.

VI. Reſpondetur tamen, hæc non juvare. Non primum. Quia Nabuchodonoſor toto ſeptennio cum feris ac beſtiis vitam quidem egit, & omni humano cibo deſtitutus fœnum ut bos comedere coactus fuit, & cùm toto illo tempore nec capillos nec ungues tondere potuerit, capilli ejus ad ſimilitudinem aquilarum, & ungues avium creverunt: nunquam tamen formam humanam exuit, & in belluinam commutavit. Unde cum Nabuchodonoſor jam pœnitens v. 31. dixit: *Senſus meus redditus eſt mihi*: ait S. Hieronymus ibi: *Quando autem dicit ſenſum ſibi redditum, oſtendit non formam ſe amiſiſſe, ſed mentem*. Idem ſentit Theodoritus Orat. ſeu Lib. 4. in Danielem: *Nam quia*, inquit, *homo cùm eſſet & in honore maximo, non intellexit, ſed comparatus eſt jumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis, & in ſibi ſubjectos ferinâ mente & animo fuerat*,

rat, meritò etiam ferinâ & agreſti vitâ juſtiſſimè damnatus fuit.

VII. Neque ſecundùm: Nam narratio illa Tiridatis principis Armeniæ unà cum domo & Optimatibus ſuis in porcum converſi, & à Gregorio Epiſcopo ad fidem redacti, & humanæ formæ unà cum aliis reſtituti, fabula potiùs quàm hiſtoria cenſenda videtur. Eam quidem refert Nicephorus, ſed ſolus, nec enim apud alium probatum auctorem eam legere licuit, nec ex quo fonte eam hauſerit Nicephorus dicit. Deinde Gregorius ille, Thaumaturgus eſſe nequit, cùm de eo nil tale narretur. De altero Gregorio in Majori Armenia Epiſcopo, qui Tiridatem illius gentis principem ad Chriſti fidem traxit, agit Baronius ad ann. 311. num. 22., ubi refert quidem Tiridatem in pœnam immanis impietatis, quam ergà quaſdam Sacras Virgines exercuerat, fuiſſe à Deo inſaniâ percuſſum, & poſtea fide Chriſti ſuſceptâ, ope Gregorii fuiſſe liberatum; ſed in porcinam formam cum ſuis fuiſſe tranſmutatum non dicit.

VIII. Hoc tamen per malam hypotheſim admiſſo, nihil error quem impugnamus in ſui favorem acquireret. Non enim Tiridates & ſocii in naturam porcorum fuiſſent converſi, ut præfatus error contendit; ſed ſolùm in externam & apparentem ſpeciem & formam retentâ humanâ naturâ; eo ſimili modo quo Angeli retentâ Angeli naturâ ſub ſpecie hominis ſe præſentarunt, cùm homine converſati ſunt, in ſpecie edentes, bibentes, ac cætera quæ hominis ſunt peragentes, ut Angelus Raphael cum Tobia. Imò & Dæmones ipſi varias beſtiarum formas, & hominum quoquè, ad illudendum aſſumere conſueverunt, ut de Diabolo accedente ad Chriſtum dixi ſupra Tom. 4. p. 1. cap. 18. §. 3. num. 26. Sicut ergo Angeli & Dæmones in varias formas ſe transfigurantes propriam naturam retinent, ſic, dato quòd Tiridates & ſui ad formam porcorum redacti fuiſſent, & omnia quæ porci ſunt egerint, non proinde inferretur, eos in naturam porcorum fuiſſe converſos. Sed hæc dimittamus.

§. II.

Liberatores qui fuerint, & in quo errarint.

I. HOs hæreticos, qui apud Philaſtrum & Auguſtinum anonymi ſunt, Liberatores Danæus appellat nomine ſumto ab errore, quo, inquit S. Auguſtinus, Lib. de Hæreſ. cap. 79. *Deſcendente ad inferos Chriſto, credidiſſe incredulos, & omnes inde exiſtimant liberatos;* & Philaſter Hæreſi 122. *Alii ſunt hæretici, qui dicunt Dominum in Infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem*

etiam ibidem renuntiaſſe, ut confitentes ibidem ſalvarentur. Fuere apud antiquos qui ſentirent, damnatos homines, imò & Diabolos ipſos aliquando fore ſalvandos, ut Marcionitæ, Origeniſtæ, & Chiliaſtæ, qui ſolùm poſt mille à generali reſurrectione annos etiam electis ſalutem concedebant; cui opinioni aliqui ex veteribus Patribus adhæſerunt, ut oſtendi Tom. 2. in 1.p. Tract. de Viſione Dei qu.2.Dub.2. ubi eam rejeci. Hi tamen hæretici plùs audentes, & turpiùs errantes, docebant, Chriſto deſcendente ad Inferos etiam damnatorum, omnes omninò, etiam qui in hoc Mundo increduli fuerant, ejus verbis credidiſſe, & à pœnis Inferni liberatos ad Cœlum cum ipſo fuiſſe traductos. De Chriſti deſcenſu ad Inferos locutus ſum Tomo 16. Theol. Qu. 2. ubi Dubio 1. recenſitis qui circa hoc fuerunt erroribus, & præcipuè Calvini, ſtatui, Chriſtum verè ſecundùm animam deſcendiſſe ad Inferos, non ut damnatorum pœnas ibi ſuſtineret, ut impiè volebat Calvinus, ſed ut juſtos, qui inibi detinebantur captivi, liberaret. Dubio 2. Chriſtum oſtendi ad locum damnatorum ſecundùm realem ſui præſentiam non deſcendiſſe, nec ullum ex ibi damnatis, nec pueros in Limbo exiſtentes liberaſſe, & contrariis argumentis ſatisfeci. Et Dubio 3. de veteribus Sanctis Patribus, & in Purgatorio detentis ſermonem habui. Quæ cui placuerit huc revocari poſſunt.

II. Errorem iſtum temporibus S. Gregorii Magni aliquorum mentes occupaſſe, fidem facit Epiſtola ejuſdem 15. Lib.7. ad Gregorium Presbyterum & Theodorum Diaconum Eccl. Conſtantinopol., in qua hæc ad eos ſcribit: *Poſt diſceſſum veſtrum, dilectiſſimis filiis meis Diaconis narrantibus, agnovi, quòd Dilectio veſtra dixiſſet, Omnipotentem Dominum Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum ad Inferos deſcendentem, omnes qui illic confiterentur eum Deum ſalvaſſe, atque à pœnis debitis liberaſſe. De qua re volo, ut Caritas veſtra longè aliter ſentiat. Deſcendens quippè ad Inferos, ſolos illos per ſuam gratiam liberavit, qui eum & venturum eſſe crediderunt, & vivendo præcepta ejus tenuerunt*; & rationem dat: Quia cùm etiam poſt Incarnationem Domini nullus quoquè ex his ſalvari poſſit, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent (ad Tit. 1. v.16., 1.Joan. 2. v.4., Jacob.2. v.20.) *Si ergo*, inquit, *fideles nunc ſinè bonis operibus non ſalvantur, & infideles ac reprobi ſinè bona actione Domino ad Inferos deſcendente ſalvati ſunt: melior illorum ſors fuit, qui Incarnationem Domini minimè viderunt, quàm horum qui poſt Incarnationis ejus myſterium nati ſunt*. Quod ſentire fatuum & hæreticum eſſe dicit, cùm tale & Verbo Dei contrarium Philaſter & Auguſtinus judicarint.

III. At

III. At quia ſe tuebantur dicentes, ideo damnatos deſcendente Chriſto ab Inferno liberatos fuiſſe, quia ipſum confeſſi ſunt, & in eum crediderunt: & inſuper quia Jo.12. v.32. Chriſtus ipſe dixit: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*: Contra primum eis S. Gregorius ex Philaſtro opponit illud Davidis Pſalm. *6.* v. *6.* *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et illud Pauli Rom.2. v.12. *Quicumque ſinè lege peccaverunt, ſinè lege peribunt*. Ad ſecundum verò, Chriſti verba *Omnia traham ad me ipſum* ſic exponit: *Omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum poſt mortem non potuit, qui ſe à Deo malè vivendo ſeparavit*. Et S. Auguſtinus Tract. 52. in Joann. ait: *Si* omnia *ipſi homines intelligendi ſunt, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere: ex quibus omnibus ait, nihil eſſe periturum; cùm ſupra de ſuis ovibus* (Jo.10. v.28.) *loqueretur. Aut certè omnia hominum genera, ſivè in linguis omnibus, ſivè in ætatibus omnibus, ſivè in gradibus honorum omnibus .... & quidquid aliud dici poteſt ſecundùm innumerabiles differentias, quibus inter ſe præter ſola peccata homines diſtant, ab excelſiſſimis uſque ad humillimos, à Rege uſque ad mendicum, omnia inquit traham poſt me* &c. Ex quibus conficitur, Chriſtum deſcendentem ad Inferos ex omni hominum genere non omnes, ſed aliquos, nempè electos & juſtos ad ſe traxiſſe & ab Inferis liberaſſe; reprobos verò de ſuo adventu ad majorem cruciatum monuiſſe quidem, ſed in æterna damnatione reliquiſſe. In his ampliùs immorari non vacat. Qui plura optaverit, adeat quæ locis ſupra citatis dixi.

§. III.

Nativitarii cur ſic dicti.

I. HI poſtremi ſunt, quos ex Philaſtro Sanctus Auguſtinus nomine ſuppreſſo hìc cap. 80. recenſet. Nativitarios ſeu Initiarios Danæus appellat, quia Nativitatem Filii Dei non fuiſſe æternam, ſed initium habuiſſe erroneè dicebant. *Alia* (hæreſis) *ſempiternè natum non intelligens Filium, putat illam nativitatem ſumſiſſe à tempore initium: & tamen volens coæternum Patri Filium confiteri, apud illum fuiſſe antequam de illo naſceretur, exiſtimat, hoc eſt, ſemper eum fuiſſe, verumtamen ſemper Filium non fuiſſe: ſed ex quo de illo natus eſt, Filium eſſe cæpiſſe*. Hujus erroris ſemina jeciſſe viſus eſt Tertullianus, cùm Lib. adverſùs Hermogenem cap. 3. dicit, Deum ſemper quidem fuiſſe Deum, non tamen ſemper fuiſſe Patrem, ſicut nec ſemper Dominum, & Judicem:

dicem: *Quia*, inquit, *& Pater Deus eſt, & Judex Deus eſt, non tamen ideò Pater & Judex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec Pater potuit eſſe ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cùm & delictum & Filius non fuit, quod Judicem, & qui Patrem Dominum faceret.*

II. In hunc errorem conſenſit poſt Arium Eunomius, de quo S. Auguſtinus Lib. 15. de Trinit. cap. 20. *Ridenda eſt*, inquit, *dialectica Eunomii, à quo Eunomiani hæretici exorti ſunt: qui cùm non potuiſſet intelligere, nec credere voluiſſet, Unigenitum Dei Verbum, per quod facta ſunt omnia, Filium Dei eſſe naturâ, de ſubſtantia Patris genitum; non naturæ, vel ſubſtantiæ ſuæ, ſivè eſſentiæ dixit eſſe Filium, ſed Filium voluntatis Dei, accidentem ſcilicet Deo volens aſſerere voluntatem, quâ gigneret Filium: videlicet ideò quia nos aliquid aliquando volumus, quod antea non volebamus; quaſi non propter iſta mutabilis intelligatur noſtra natura, quod abſit ut in Deo eſſe credamus*. Ita S. Auguſtinus, qui ſubdit, quòd *Hæretico verſutiſſimè interroganti, utrum Deus Filium volens an nolens genuerit: ut ſi diceret nolens, abſurdiſſima Dei miſeria ſequeretur: ſi autem volens, continuò quod intendebat, velut invictâ ratione concluderet, non naturæ eſſe Filium ſed voluntatis*. At Catholicus *Vigilantiſſimè viciſſim quæſivit ab eo, utrum Deus Pater volens an nolens ſit Deus: ut ſi reſponderet, nolens, ſequeretur illa miſeria, quam de Deo credere magna inſania eſt; ſi autem diceret, volens, reſponderetur ei: Ergo & ipſe Deus eſt ſuâ voluntate, non naturâ*. Quo reſponſo ſuâ met interrogatione convictum obmuteſcere fecit Hæreticum. Nunquam ergo Pater non habuit Filium, ſed ſemper & Deus & Pater fuit.

III. Verùm quia iſta hæreſis ex una parte ponebat Filium eſſe coæternum Patri, non tamen ab æterno fuiſſe Filium, ſed ſolùm cœpiſſe eſſe Filium, quando in tempore genitus & natus ex Patre eſt; ſic arguo. Ergo Dei Filius erat antequam naſceretur, juxta Arii familiare dictum, *Erat quando non erat*. Filius enim non merè adoptivus, ſed naturalis antequam generetur, non ſolùm non eſt Filius, ſed abſolutè ac nullo modo eſt. Quomodo igitur cum Patre ab æterno fuit, qui ſolùm in tempore à Patre genitus fuit? Rurſus. Iſte quem licèt non ut Filium, confitentur coæternum Patri etiam antequam naſceretur ex illo, vel ab æterno erat eadem Perſona cum Patre, vel diſtincta. Si eadem perſona, ergo non erat coæterna Patri, nihil enim ſibi coæternum, ſicut nec conſubſtantiale eſſe poteſt; unde fit quod diſtinctio perſonarum & Trinitas ab æterno non fuerit, ſed ſolum in tempore eſſe cœperit. Si verò erat Perſona à Deo Patre ab æterno diſtincta; peto.

Eratne

Eratne à Deo tunc procedens & genita? an à Deo nullo modo procedens? Si primum dicatur. Ergo Filius ab æterno non ſolùm cum Patre fuit, ſed fuit ut Filius, quia ab æterno genitus. Si verò dicatur ſecundum: ergo ab æterno duo ingenita ponenda erunt.

IV. Concludat Philaſter hâc Hæreſi 124. *Non ergo disjungendum eſt unum ab altero, ſed conjungenda eſt ſempiternitas Filii, & generatio cum ſempiternitate eſt copulanda, deque Patre ita eſt credenda ac detinenda confeſſio, ut unus nobis Pater genitor, & unus nobis Filius unicus Patris, propriè quippè genitus de Patre cognoſcatur. Ergo ſemper eſſe & genitum eſſe pià fide eſt æquum: ut ſempiterna ejus generatio non temporalis ſit, & Filii Unigeniti de Patre & cum Patre vera proprietas & ſempiternitas non ignoretur. Si quis autem primùm confitetur eſſe eum ingenitum, & ſic poſtea fuiſſe genitum de Patre, ignorat quid confitetur. Cùm enim unam putat evadere hæreſim* (Arianorum Homouſion & æternitatem Filii negantium) *incurrit in alteram pejorem, ingenitum Filium confitendo, imò potiùs & Patrem & Filium denegando, duoque ingenita prædicando, & unius Patris ingeniti, & unius Filii unigeniti de Patre, propriè denegando veritatem*. Hæc Philaſter.

V. Ut ſuum errorem tuerentur afferebant illud Joannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: quo Verbi coæternitas Deo oſtenditur. Temporalem autem Filii generationem colligebant ex Pſalm. 2. v. 7. *Ego hodie genui te*. Quibus conjunctis inferebant, Verbum quidem fuiſſe ab æterno, Filium autem non, ſed certo quodam tempore genitum, nam vox illa *hodie* ſignificat tempus.

At quæſo. Verbum illud, quod ab æterno erat apud Deum, & erat Deus, Deo conſubſtantiale erat: fuit ne à Deo prolatum, & à Deo in ſimilitudinem naturæ Divinæ procedens: an à ſe ipſo exiſtens? Si hoc dicatur; ergo non erat Verbum, quia de eſſentia Verbi eſt dici vel proferri; ſivè mente, ſi ſit Verbum internum; ſivè ore ſi ſit externum, ſed alter Deus ingenitus. Quòd ſi dicatur à Deo prolatum &, in ſimilitudinem à Deo procedens; ergo erit genitum, & Filius, quia generatio eſt *origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ*: ergo ſi ab æterno erat ut Verbum, ab æterno erat ut genitum, & ut Filius: unde S. Auguſtinus Lib. 7. de Trinit. cap. 2. dicit: *Eò Filius, quò Verbum, & eò Verbum, quò Filius*. Quod verò ex Pſalmo 2. afferebant, eos nihil juvat. Nam *Hodie*, ut idem S. Auguſtinus in dictum Pſalmum exponit, quia præſentiam ſignificat, atque in æternitate nec præteritum quidquam eſt quaſi eſſe deſierit, nec futurum quaſi nondum ſit, ſed præſens

tan-

tantùm; quia quidquid æternum eſt, ſemper eſt: divinitùs accipitur ſecundum id dictum: *Ego hodie genui te*, quo ſempiternam generationem virtutis & ſapientiæ Dei, qui eſt unigenitus Filius, fides ſinceriſſima & Catholica prædicat. Ideòque his verbis utitur Paulus Hebr. 5. v. 5. ad extollendum Filii Dei generationem ſupra temporalem Angelorum creationem. Et ipſe David Pſalm. 109. v. 3. ait: *Ex utero ante Luciferum genui te*.

VI. Poſt Eunomianam velut ab ea ſurculum hanc hæreſim erupiſſe, cenſet Danæus: quam tamen, paulò poſt ſeculum quartum extinctam, excitatam in pejus hiſce temporibus à Serveto ſuæ Sectæ pſeudo-reformatæ homine (quem tamen impium appellat) „ qui Patrem fingit geniturientem ab initio, demùm au- „ tem Filium re ipsâ, cùm Chriſtus ex Maria Virgine natus eſt „ additque, hæreticos de quibus egimus fuiſſe Servetanis tolerabiliores, ac minùs blaſphemos: qui inſuper apud privatos tantùm homines errorem ſpargere brevi tempore permiſſi ſunt totâ Eccleſiâ reclamante: ubi Servetani à regnis & principibus probantur, & venenum ſuum latè & apertè fundere ſinunt. Ita diſcurrit Danæus de hominibus, qui è ſua Pſeudo-Reformatorum ſchola prodiere.

De his poſtremis hæreſibus ex Philaſtro ſumtis ſic claudit S. Auguſtinus hoc cap. 80. *Has hæreſes putavi in hoc Opus meum de Philaſtri Opere transferendas. Et alias quidem ipſe commemorat; ſed mibi appellandæ hæreſes non videntur. Quaſcumque autem ſinè nominibus poſui, nec ipſe earum nomina memoravit.*

CAPUT LXVII.

De Luciferianis.

§. I.

Luciferi Calaritani zelus, ſchiſma, & exitus.

I. LUCIFERIANI à Lucifero Calaritano in Sardinia Epiſcopo nomen ſumſere. Hujus ſi ſpectentur initia, vix ullus pro fide Catholica eo conſtantior & fortior invenietur. S. Athanaſii defenſor acerrimus, & à Conſtantio in exilium miſſus, mala & quidem graviſſima invicto animo ſuperavit. Adeò ut S. Athanaſius in Epiſtola ad eum data hiſce laudibus illum celebret: *O verè Lucifer, qui juxta nomen lumen veritatis ferens, poſuiſti ſuper candelabrum, ut luceat omnibus! Quis enim exceptis*

Aria-

Arianis non pervidet ex tua doctrina veram quidem fidem, maculam autem Arianorum? Valdè & admirabiliter, ut eſt lumen à tenebris, ita ſeparaſti veritatem à calliditate & hypocriſi hæreticorum; defendiſti Catholicam Eccleſiam, probaſti nihil eſſe ſed tantùm phantaſiam Arianorum verba, docuiſti calcandos eſſe frendores diabolicos. Quàm bona & jucunda hortamenta tua ad martyrium: quàm deſideratiſſimam oſtendiſti mortem eſſe pro Chriſto Filio Dei. Et poſt multa in laudem ejus addit: *Nunc autem tantus eſt amor affectionis tuæ in animis omnibus omnium collocatus, ut Heliam te temporibus noſtris nominent: & non mirum, ſi enim qui Deo placere videntur, Filii Dei nominantur, quantò magis participes Prophetarum confeſſores, & maximè te, appellare dignum eſt?*

II. His laudibus Luciferum proſequitur celebratque Athanaſius, quia in Concilio Mediolani anno 365. à Conſtantio congregato adeò acriter pro fide Catholica, & causâ Athanaſii pugnavit, ut indignatus Conſtantius eum primò Germaniciam Syriæ exulem amandarit, ubi ab Eudoxio tunc Antiochiæ Epiſcopo inter Arianos Catholicis infenſiſſimo duriora invictè ſuſtinuit. Indè Eleutheropolim in Palæſtina eum tranſtulerit, ubi ab Eutyche Epiſcopo Ariano apparenter tamen Catholico, tam ipſe, quàm qui cum eo communicabant, dirè vexatus fuit; ita ut Eutyches effractis Eccleſiæ foribus in Luciferum omneſque qui cum eo erant ſtricto acinace inſiliens, Sancta Sacramenta ſacrilegè everterit. Anno tamen 361. quo Conſtantius obiit, exilium ſuum in Thebaide Lucifer agebat. Tempore exilii Libros ſcripſit, quos Athanaſius Spiritus Sancto plenos in laudata Epiſtola prædicat, in quibus totus erat in ſuadendo pro Catholica fide martyrio. Unde propter hoc & ea quæ paſſus fuerat, Confeſſoris nomine Athanaſius eum ornavit.

III. Hucuſque celebrem pro fide Catholica Athletam pinxi Luciferum; at quæ deinceps ſubjiciam de ejus lapſu occulta Dei judicia adorare me cogent. Accenſus illius pro Catholica fide zelus debitam humilitatem & caritatem ſocias progreſſu temporis fortè non habuit, ideòque à Deo derelictus evanuit, ut oſtendam. Conſtantio vitâ functo Julianus ſucceſſit, qui cùm omnes Epiſcopos ab exilio revocaſſet, Lucifer unà cum S. Euſebio Vercellenſi è Thebaide rediit. Euſebius Alexandriam ad S. Athanaſium accurrit, ut ibi pro pace Eccleſiæ Concilium haberetur. Lucifer verò miſſo Alexandriam Diacono, qui ſuo nomine Concilio intereſſet, Antiochiam ſe contulit. Ubi ſtudio pacis conciliandæ Paulinum virum ſanctum Epiſcopum creavit, ratus utrique parti gratiſſimum fore, ſed eum ſpes fefellit: nam auctum potiùs, quàm extinctum dilidium eſt: reverſo quippè Meletio viro Catholico, licèt ab hæreti-

reticis ordinato, Antiochiæ in parte Catholica duo fuerunt Epiſcopi Meletius & Paulinus, & tertius in parte Ariana, nempè Euzojus.

IV. Abſoluto Alexandrino Concilio, de quo ſupra, Euſebius Vercellenſis Antiochiam Legatus miſſus, cùm ibi vidiſſet à Lucifero creatum Epiſcopum, factum improbans, ac neutra cum parte communicare volens receſſit. Interim Meletius redux ab exilio curam ſuſcepit Catholicæ plebis: quæ & ab Arianis, & à Paulino ſegregata ſuos conventus ſeorſim celebrabat. Hæc ex Socrate Lib.3. Hiſt. cap.6. & c.19. Cum porrò Antiochiam perveniſſet Euſebius, & Paulini Ordinationem à Lucifero inconſideratè factam, velut diſſidii occaſionem improbaſſet, Lucifer hoc indignè ferens Antiochiam reliquit, & ab Euſebii communione ſecedens ſchiſma inchoavit, cœpitque in partes Eccleſiæ unitatem diſtrahere. Ita Socrates dicto cap.9. *Lucifer verò*, inquit, *cùm ordinationem ſuam ab Euſebio ſuſceptam non eſſe intelligeret, eam rem contumeliæ loco ducens permoleſtè tulit. Proindè ab Euſebii communione ſe ſe abjunxit, & ea, quæ à Synodo decreta fuerant, ſtudio contentionis adductus cœpit reprehendere. Hæc dum per tempus diſcordiarum geruntur, multos ab unitate Eccleſiæ ſegregarunt. Quippè nova tunc exorta eſt hæreſis eorum qui Luciferiani dicuntur. Verùm Lucifer iram ſuam explere non valuit. Conſtrictus enim ſuis ipſius pollicitationibus tenebatur, quibus Diaconum miſſis ſpoponderat ſe decretis Concilii aſſenſurum. Itaque ipſe quidem Eccleſiaſticam retinens fidem, in Sardiniam ad propriam ſedem receſſit. Hi verò qui unà cum ipſo primùm fuerant exulcerati, hactenus ab Eccleſia ſegregati permanent.*

V. Hæc poſtrema Socratis verba, quibus dicit, quòd Lucifer Eccleſiaſticam retinens fidem ad propriam ſedem in Sardiniam receſſit, excitant dubium, an Lucifer extra ſinum & unitatem Eccleſiæ permanſerit, ac obierit: cui reſpondendum cenſeo affirmativè: nulla enim eſt apparentia, quòd Lucifer ad unitatem redierit, cùm potiùs Patres eum cum ſuis in ſchiſmate perſiſtentem deplorent. S. Auguſtinus Epiſt.185. (aliàs 50.) cap. 10. loquens de Eccleſia, quæ errantes in ſinum ſuum reducere ſatagit, ait: *Hoc diſplicuit Lucifero, quia factum eſt in eis ſuſcipiendis atque ſanandis, qui veneno perierant Ariano: & cui diſplicuit in tenebras cecidit ſchiſmatis, amiſſo lumine caritatis.* Quibus apparet, Luciferum Alexandrinæ Synodi de recipiendis in priſtinam dignitatem ab hæreſi Ariana venientibus de facto reſtitiſſe, contra id quod dicit Socrates, & ideò ſchiſma feciſſe. Hoc confirmat Lib. de Agone Chriſtiano cap.30. ubi de iis qui errore Ariano damnato redeunt: *Hos*, inquit,

Digitized by Google

inquit, *Eccleſia Catholica materno recepit ſinu, tamquam Petrum poſt fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tamquam eumdem poſt pravam ſimulationem Pauli voce correctum. Hanc illi* (Luciferiani) *matris caritatem ſuperbè accipientes, & impiè reprehendentes, quia Petro poſt galli cantum ſurgenti non gratulati ſunt, cum Lucifero, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.*

S. Ambroſius item Orat. de Obitu Satyri fratris: *Lucifer enim* inquit, *ſe à noſtra tunc temporis communione diviſerat, & quamquam providè exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putavit, tamen fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent tamen erga Dei Eccleſiam non tenerent, cujus patiebantur velut quoſdam artus dividi & membra lacerari*. Tandem maximum argumentum, quòd Lucifer non receſſerit à ſchiſmate, mihi eſt, quòd Patres, qui eum tanquam ſchiſmatis auctorem damnarunt, nullam unquam reſipiſcentiæ ipſius, aut ad Eccleſiam reditus mentionem fecerunt. Quin Ruffinus Lib. 1. cap. 20. in ſchiſmate eum obiiſſe teſtatur dicens: *Ita regreſſus ad Sardiniæ partes, ſivè quia citâ morte præventus tempus ſententiæ mutandæ non habuit: etenim temerè cœpta corrigi ſpatio ſolent, ſivè hoc animo immutabiliter ſederat*. Non ſtatim autem Luciferum poſt ſchiſma conflatum obiiſſe certum eſt, quia anno 362. ſchiſma fecit, & anno 370. octo annis à conflato ſchiſmate ſuperſtes fuit: atque ideò longum ei tempus ſuppetiit, quo errorem poſſet retractare.

VI. In favorem tamen Luciferi duo produci ſolent. Unum: quòd S. Hieronymus adversùs Luciferianos ſcribens, ubi in Luciferum ſchiſmatis auctorem calamum ſtringere debuiſſet, eum potiùs celebrat, *Beatum* illum appellans: *Cogor*, inquit, *de Beato Lucifero, ſecus quidquam, quàm & illius meritum & mea humanitas poſcit, exiſtimare*.

Alterum: quòd ejus ſanctitati Eccleſia Sardiniæ ſuffragetur: nam in urbe Calaritana ab antiquis temporibus conſecrata Deo fuit Baſilica ſub invocatione Sancti Luciferi. Et Eccleſia Vercellenſis in Hymno Sacro cum SS. Euſebio Vercellenſi & Ambroſio Mediolanenſi ipſum invocet. Demùm Spondanus in Epitome Annal. Baronii ad ann. 362. num. 48. notat ex authenticis monumentis ſibi oblatis anno 1617. conſtare, quòd cùm Archiepiſcopi Calaritani pio ſtudio diverſa Sanctorum corpora in Eccleſia Metropolitana reperta eſſent, inventa fuit ſub Altari primario grandis arca marmorea continens oſſa cujuſdam corporis odoris ſuavitate fragrantia, quæ facilè credita ſunt eſſe oſſa ipſius Luciferi, eamque opinionem Cœlo velut confirmante, campanæ nullo eas pulſante ſpontè feſtivum ſonum, ſicut in ſolemnitate Paſchali, ediderunt;

quæ, addit Spondanus, ſi vivente Baronio contigiſſent, facilè ſententiam de infelici exitu Luciferi revocaſſet.

VII. Ad hæc ex Natali Alexandre Hiſt. Eccl. Secul. 4. cap. 3. art. 13. reſpondeo. Ad primùm quidem, S. Hieronymum titulum *Beati* in Lucifero dignitati Epiſcopali, quâ in terris eminuerat (mos enim tunc erat Epiſcopos quoſcumque titulo Beati ornare) detuliſſe, non ſanctitati vitæ, quâ Beatum in Cœlis illum exiſtimaret. Certè ſi S. Hieronymus in ſententia fuiſſet, Luciferum ante mortem pœnituiſſe, ac ſchiſmate revocato in Eccleſiæ unitate deceſſiſſe, id hoc loco urgere debuiſſet, quo nil fortius ad Luciferianorum, contra quos agebat, damnationem, & ad vindicandam Luciferi ſanctitatem proferre potuiſſet: nec Hieronymus hoc omiſiſſet, quia cùm ipſe fuiſſet ordinatus Presbyter à Paulino, quem Lucifer Epiſcopum Antiochiæ conſtituerat, in Luciferi honorem tuendum valdè propenſus erat. Cùm ergo non aliâ defenſione illum excuſet, niſi quòd *ſegregatis paucis ovibus reliquum gregem deſeruit*, non ut quidam maledici dicunt, amore gloriæ, aut adversùs Euſebium Vercellenſem, & concludit: *Nihil iſtorum de tali viro credo: unum eſt, quod etiam in præſenti conſtanter loquar, verbis eum à nobis diſſentire non rebus: ſi quidem recipiat, qui ab Arianis Baptiſma conſecuti ſunt.*

VIII. Ad alterum, quod majorem vim præfert, idem Alexandre reſpondet: Ex cultu ab una ſingulari Eccleſia perſonæ, cujus ſanctitas non eſt ab Eccleſia univerſali vindicata, non poſſe fieri certum ſanctitatis argumentum, & maximè dum agitur de perſona, de qua narrantur virtutes, & ſimul graves defectus, de quibus pœnitentia non apparet. Idem dici poteſt de Hymno ſuppoſito Eccleſiæ Vercellenſis, in quo cum Euſebio & Ambroſio Luciferi nomen laudatur. Quamvis, ut idem Alexandre advertit, cùm ex Eccleſiæ Africanæ notitia conſtet, alterum extitiſſe poſtea Luciferum Calaritanum pariter Epiſcopum, inter Sanctos illos Epiſcopos celebrem, qui fidem Catholicam propugnaturi Carthaginem Hunnerici temporibus venerunt; huic fortè erecta Baſilica eſt, & hujus oſſa cum aliis oſſibus Sanctorum inventa ſunt, ad eorumque inventionem ſanctitas miraculo comprobata eſt.

IX. Quia tamen de Luciferi Calaritani, à quo Luciferianum ſchiſma nomen ſumſit, ſanctitate non levis inter recentiores Criticos controverſia eſt, unde Papebrochius ad diem 20. Maji Sanctorum faſtis illum adſcribit, nec judicem in hac cauſa agere velim, dicam: Certum eſt, Luciferum Calaritanum Epiſcopum bonâ ſimul & malâ famâ celebrem fuiſſe: bonâ; quia pro Chriſti Divinitate propugnanda innumeros labores paſſus fuit, & à Conſtan-

ſtantio exilia duriſſimos carceres aliaque graviſſima incommoda pro Dei cauſa forti animo ſuſtinuit: malâ; quia ob improbatam ab Euſebio Vercellenſi Paulini à ſe factam Ordinationem ab eo ſe ſeparans ſchiſma fecit, vel ſchiſmati occaſionem dedit. Vel ergo in ſchiſmate perſtitit, & uſque ad mortem ab Eccleſia ſciſſus permanſit: & ſic extra unitatem mortuus Sanctis accenſeri nequit. Vel à ſchiſmate ante mortem receſſit, ac reſipiſcentiæ ſuæ teſtimonia reliquit (de quo tamen nemo Veterum loquitur, imò potiùs ex eis oppoſitum ut ſupra colligitur) & hoc poſito, propter eximias ejus virtutes jure inter Sanctos à Calaritanis eum reponi lubens concedam. Quid autem verè ſit, Deus novit.

§. II.

An Luciferiani verè fuerint hæretici.

I. Luciferum Calaritanum, à quo Luciferiani nomen & originem ſumſere, non fuiſſe hæreticum, ſed purè ſchiſmaticum, ex hactenus dictis colligi poteſt. Tum quia & ſcripto & facto ſe ad martyrium pro fide Catholica paratum oſtendit. Tum quia etſi decreta Synodi, tam Alexandrinæ, quàm Ariminenſis de recipiendis in Eccleſiam ab Ariana hæreſi redeuntibus, improbaret: hoc non fuit, quia Eccleſiæ denegaret hanc poteſtatem, ut Novatiani: ſed quia nimio zelo accenſus exiſtimavit, hoc eſſe contra antiquæ diſciplinæ rigorem, & maximè quòd Epiſcopi, qui ad Arianos defecerant, ad eandem dignitatem reciperentur. Ex quo apparet Luciferi errorem fuiſſe non circa fidem, ſed circa Eccleſiaſticam diſciplinam, ac proinde purum ſchiſma, non hæreſim.

Porrò ita ſenſiſſe Luciferum colligo ex S. Hieronymo Lib. adversùs Luciferianos, ſeu Dialogo inter Luciferianum & Orthodoxum, ubi Orthodoxo interroganti: *Expone mihi quare laicum ab Arianis venientem recipias, Epiſcopum non recipias?* Reſpondit Luciferianus: *Recipio laicum, qui erraſſe ſe confitetur; & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quàm mortem.* Orthodoxus inſtabat: *Recipe ergo & Epiſcopum; qui & erraſſe ſe confitetur; & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris quàm mortem.* Lucif. dicebat: *Si errare ſe confitetur, cur Epiſcopus perſeverat? Deponat Sacerdotium, concedo veniam pœnitenti.* Orthod. autem ait: *Reſpondebo tibi & ego ſermonibus tuis* „ Si laicus erraſſe ſe confitetur; quomodo laicus perſeverat „? *Deponat Sacerdotium, ideſt Baptiſma, & ego do veniam pœniteuti.* Ex his & aliis quæ ſequuntur apparet, Luciferianos Epiſcopos etiam pœnitentes in Eccleſiam quidem, ſed

non ad Epiſcopalem dignitatem recipiendos eſſe exiſtimaſſe, qui rigor nimius diſciplinæ, non error in fide videtur, niſi aliud adjiciatur; quod de Lucifero non legitur, quidquid ſit de Luciferianis, de quo infra. Scio Theodoritum Lib. 3. Hiſt. cap. 5. dicere, quòd *Lucifer in Sardiniam reverſus alia quædam adjecit Eccleſiaſticis dogmatis*; ſed cùm oppoſitum ſentiant S. Ambroſius & S. Hieronymus ſupra relati, iſtis potiùs adhærendum cenſeo.

II. Nunc de Luciferianis, an hæreticis accenſendi ſint; S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 81. eos ut tantùm ſchiſmaticos, non ut hæreticos proponere videtur dicens: *Luciferianos à Lucifero Calaritano exortos, & celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaſter inter hæreticos poſuit: credo tantummodò ſchiſma, non hæreſim eos condidiſſe, credentes. Apud quemdam tamen, cujus nomen in eodem ejus Opuſculo non inveni, in hæreticis Luciferianos poſitos legi per hæc verba* ,, Luciferiani, *inquit*, cùm teneant in omnibus Ca- ,, tholicam veritatem, in hunc errorem ſtultiſſimum prolabun- ,, tur, ut animam dicant ex transfuſione generari, tandemque di- ,, cant, & de carne, & de carnis eſſe ſubſtantia ,,. *Utrum ergo iſte propter hoc quòd de anima ita ſentiunt (ſi tamen verè ita ſentiunt) eos inter hæreticos ponendos eſſe crediderit, rectèque crediderit; an etiam ſi id non ſentirent, ſivè non ſentiunt; ideò tamen ſint hæretici, quia diſſenſionem ſuam pertinaci animoſitate firmarunt, alia quæſtio eſt, neque hoc loco mihi videtur eſſe tractanda*. Quibus S. Doctor videtur anceps eſſe, an Luciferiani hæretici declarandi ſint.

III. Et quidem etiam admiſſo, quòd de Anima ſentirent, eam ex transfuſione generari, & de carnis eſſe ſubſtantia, niſi pertinaci adhæſione id aſſererent, non ideò hæretici habendi eſſent. Nam illis temporibus de origine animæ multæ circumferebantur opiniones. Unde S. Auguſtinus Epiſt. 190. (aliàs 197.) ad Optatum cap. 1. propoſitæ quæſtioni: *Utrum ſcilicèt animæ ut corpora propagatione naſcantur, ſintque ex illa una quæ primo homini data eſt: an Creator Omnipotens, qui utique uſque nunc operatur, ſinè ulla propagatione novas faciat ſingulis proprias*. Reſpondit: *Scire te volo, in tam multis Opuſculis meis, numquam me fuiſſe auſum de hac quæſtione definitam proferre ſententiam*. Et Epiſt. 143. (aliàs 7.) quatuor propoſitis de hac re opinionibus, nulli earum audet præſcribere, cùm omninò non dubitet, animam eſſe immortalem. Et talem ſuſpenſionem ſibi oriri dicit, quia nullum de hoc in Scripturis invenit teſtimonium, quod nullam patiatur interpretationem. Quo circa Epiſcopi Africani in Sardinia exules in Epiſt. Synodica circa annum 521. data cap. 24. dicunt: *Quæſtionem verò animarum, aut tacitam debemus relinquere, aut ſinè contentione tractare: quia ſivè*
ex

Digitized by Google

ex propagine veniant, ſivè novæ ſingulis corporibus fiant (*quod Sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeſtè pronuntiat*) *cum cautela debet inquiri: maximè quòd ſinè fidei detrimenoo poteſt à fidelibus ignorari.*

IV. Poſtea tamen Eccleſia Univerſa certa Scripturarum interpres, videns humanam animam *ſpiritum* in eis paſſim appellari, & maximè illo edocta Eccleſiaſtæ 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*; tamquam certum & fide credendum propoſuit, animam hominis non per ſemen, nec ex anima genitoris propagari, ſed à Deo ſingulis proprias ſpirituales & immortales creari, & corpore per mortem reſoluto animam redire ad Deum qui fecit illam, ut pro meritis præmium vel pœnam recipiat. Quare quæ tempore S. Auguſtini opinio erat, modò error eſſet, & pertinaciter defenſa hæreſis fieret.

V. Luciferiani eſtò in opinione, quam habebant de origine animæ (ſi tamen habebant) ab hæreſi excuſari poſſent, alia tamen ſaltem eorum aliqui profitebantur, quæ ejuſmodi notam evadere nequeunt, quia ſchiſmati falſum dogma adjungebant. Nam primò, Epiſcopos & Clericos ab hæreſi Ariana redeuntes, etſi pœnitentes, incapaces prorsùs ſuorum Ordinum miniſteria exercendi pronuntiabant, in quo cum Novatianis ſentiebant. Hoc teſtatur S. Hieronymus Lib. adv. Luciferianos. Cùmque eis objiceretur: *Neſcis & Laicos & Clericos unum habere Chriſtum, nec alium Neophytis, alium Epiſcopis eſſe Deum? Cur ergo non recipiat Clericos, qui recipit Laicos pœnitentes?* Reſpondebant (notent Calviniſtæ): *Non eſt ipſum lacrymas fundere pro peccatis, & corpus attrectare Domini. Non eſt ipſum ad fratrum genua provolvi, & de ſublimi loco Euchariſtiam miniſtrare populo. Aliud eſt lugere quod fueris, aliud neglecto peccato in Eccleſia vivere glorioſum. Tu, qui heſternâ die ſacrilegus, creaturam Dei Filium prædicabas, qui quotidiè pejor Judæis blaſphemiarum lapides in Chriſtum jaciebas; cujus manus ſanguine plenæ ſunt, cujus ſtylus lancea militis fuit, ad unius horæ converſionem virginem Eccleſiam adulter ingredieris? Si peccaſſe te pœnitet, officium depone Sacerdotis: ſi te non peccaſſe confidis, permane quod fuiſti.* Hoc zelo, non tamen ſecundùm ſcientiam declamat apud Hieronymum Luciferianus. Qui tamen contra Calviniſtas fatetur, Sacerdotem in Euchariſtia attrectare Corpus Domini.

VI. Secundò: Hæreticos dicebant non eſſe Chriſtianos, ſed Gentiles. Ex quo inferebant, Eccleſiam, quæ ab Arianis, ideſt à Gentilibus, Epiſcopos ſuſcipit, *non tam Epiſcopos recipere, quàm è Capitolio Sacerdotes, ac per hoc Antichriſti magis Synagoga, quàm Chri-*

Digitized by Google

Chriſti Eccleſia debeat nuncupari. Ita apud eundem Hieronymum. In quo & falſum dicunt, quia hæretici baptizati ſunt, ideòque Chriſtiani à Gentilibus diſtincti; & ſibi contradicunt, dum laicos ab hæreſi venientes in Eccleſiam recipiunt, & dum Clericos & Epiſcopos excludunt: Donatiſtas imitantur, qui peccatores ab Eccleſia excludunt, Catholicam Eccleſiam, quæ illos recipit, Lupanar & Synagogam Satanæ nuncupantes: unde S. Auguſtinus in Pſalm. 67. Luciferianos cum Donatiſtis in hoc conjungens: *Quàm multi*, inquit (aſſeruerunt) *de Catholica Eccleſia toto Orbe diffuſa, & de malorum commixtione uſque in finem ſeculi, quòd bonis in Sacramentorum ejus ſocietate non obſint adversùs Donatiſtas & Luciferianos & alios, ſi qui ſunt, qui ſimili errore à veritate diſſentiunt*.

VII. Tertiò: Hilarius, ſeu Hilarus Romæ Diaconus, quem S. Hieronymus Lib. adv. Luciferianos *Deucalionem Orbis* appellat, quia inter Luciferianos præcipuum, venientes ab hæreſi Ariana baptizabat. Hilarius iſte initio fuit pro fide Catholica ſtrenuus, propterea Luciferi ad Concilium Mediolanenſe Legati à Liberio ſocius unà cum Pancratio ſeu Eutropio Presbytero deſtinatus, anno 355. Ibi cùm pro fide Conſtantio impavidè reſtitiſſet, eamdem cum Lucifero exilii ſortem obtinuit. Antequam tamen in exilium deportaretur Hilarius, Urſacii & Valentis juſſu ab Eunuchis exutus veſtibus, dirè cæſus, inter verbera Deo gratias agens, ſuam in fide conſtantiam præclaro exemplo manifeſtavit. At qui Luciferi in fide ſocius fuit, ſocius quoquè, imò ſuperior in ſchiſmate eſſe voluit: ubi enim Lucifer ac ſui Arianos ad Eccleſiam venientes non rebaptizabant, iſte denuò baptizandos cenſuit, ſcriptis etiam ſuper hoc libris, quibus fateri tenebatur contra Eccleſiæ conſuetudinem, in Conciliis & noviſſimè in Nicæno I. probatam, auſu temerario ſe loqui. Ejus Secta, utpotè puri Diaconi, exitum in ejus morte ac finem habuit. Huic Hilario quidam tribuunt Commentaria in Epiſt. Pauli, quæ inter Opera S. Ambroſii leguntur, quamvis alii ea adjudicent alteri Hilario Romano Clerico poſteriori, qui anno 370. ſub Damaſo vixit.

VIII. Hilarium iſtum ſchiſmaticum S.Hieronymus poſt multa ita perſtringit: *Eſt præterea aliud, quod inferemus, adversùm quod ne mutire quidem audeat Hilarius Deucalion Orbis. Si enim Hæretici Baptiſma non habent; & ideò rebaptizandi ab Eccleſia ſunt, quia in Eccleſia non fuerunt, ipſe quoquè Hilarius non eſt Chriſtianus. In ea quippè Eccleſia baptizatus eſt, quæ ſemper ab hæreticis Baptiſmum recepit. Antequam Ariminenſis Synodus fieret, antequam Lucifer exularet, Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus ab hæreticis venientes in*

in eo quod priùs acceperant Baptiſmate ſuſcipiebat. Niſi fortè tantùm Ariani hæretici ſunt, & ab his ſolis baptizatum recipere non licet, ab aliis licet. Diaconus eras, ò Hilari, & à Manichæis baptizatos recipiebas. Diaconus eras, & Ebionis Baptiſma comprobabas. Repentè poſtquam exortus eſt Arius, totus tibi diſplicere cæpiſti. Segregas te cum tuis vernulis, & novum balneum aperis. Si te Angelus aliquis aut Apoſtolus rebaptizavit, non infringo quod ſequeris. Si verò in ſinu meo natus: ſi uberum meorum lacte nutritus, adversùm me gladium levas: redde quod dedi, & eſto, ſi potes, aliter Chriſtianus. Meretrix ſum, ſed tamen mater ſum. Non ſervo unius thori caſtitatem: talis eram quando conceptus es: cum Ario adulteria committo, feci & antea cum Praxea, cum Ebione, cum Cerintho, Novato, hos amplexaris, hos in matris tuæ domum jam adulteros recipis. Neſcio, quid te unus adulter offendat. Ita & quidem validè, & ad hominem Hieronymus. De validitate Baptiſmi ab hæreticis & infidelibus ſub debita forma collati egi Tom. 2. in 3. p. tum Tract. de Sacram. in Gen. q.7. Dub.5. tum Tract. de Baptiſmo q.4. Dub.3.

IX. Hoc pro complemento dicam, quòd hâc aliiſque rationibus in præfato congreſſu à S. Hieronymo allatis ſe victum confeſſus Luciferianus ait: *Non ſolùm te viciſſe exiſtimes, vicimus utrique, uterque noſtrum palmam refert, tu mei, & ego erroris. Utinam mihi ſic ſemper diſputare contingat, ut ad meliora proficiens, deſeram quod malè tenebam.*

X. Luciferianum ſchiſma ortum habuit circa annum 366. Juliano Imperium & Liberio Petri Sedem tenentibus. Cùm ſcilicèt Lucifer ab exilio per Julianum ſolutus, & ob Paulini Ordinationem ab Euſebio improbatam in Sardiniam indignatns ſeceſſit. Antea enim ut dixi ſtrenuus Catholicæ fidei propugnator extiterat. Prima ſchiſmatis ſemina Antiochiæ jecit, ubi viguit, & per Ægyptum ſparſum fuit. Latè pervaſit Sardiniam, Hiſpaniam, & Italiam. Quin etiam Romæ Epiſcopum creare nomine Epheſum auſi ſunt, quem Taorgius ſchiſmatis Antiſtes ordinavit, ut conſtat ex Libello Marcellini & Fauſtini ejuſdem Sectæ Presbyterorum, quem Theodoſio, Valentiniano, & Arcadio Imperatoribus obtulerunt. Schiſmati magnas vires dedit Hilarius Romanæ Eccleſiæ Diaconus, qui ut dixi hæreſim addidit, nempè Arianos eſſe rebaptizandos contra Luciferi ſententiam, & Eccleſiam Catholicam eos ſinè novo Baptiſmo admittentem factam eſſe meretricem. Non diù tamen perſtitiſſe videtur: quamquam enim contra illud SS. Hieronymus & Auguſtinus ſcripſerint, paucos tamen tunc habuiſſe ſectatores tradit Ruffinus Lib.1. cap.30., & Theodoritus Lib.3. Hiſt. cap.5. ſuâ ætate prorsùs defiiſſe teſtatur.

CA-

CAPUT LXVIII.

De Jovinianiſtis.

§. I.

Joviniani error de Virginitate & Nuptiis.

I. JOVINIANISTARUM ſeu Jovinianorum hæreſim fuiſſe unum ex exemplaribus, è quibus Lutherus, quem poſtea Calvinus aliique moderni Sectarii ſecuti ſunt, ſuam hæreſim falſo Reformationis nomine velatam traduxit ac invexit, nemo qui utriuſque errores conferat, niſi præjudicio partis fuerit obcæcatus, non judicabit. Jovinianiſtæ à Joviniano dicti ſunt. Monachus & ipſe, ut Lutherus, fuit, qui ex Monaſterio Mediolanenſi, ſeu ut alii putant, Romano, anno Chriſti 382. erumpens, mollem voluptatiſque ſectatricem vitam conjungere cum nomine Monachi, omneſque Monaſticas auſteritates tanquam inutiles ablegare conatus fuit. Primò cælibatum, quem Monachi & Sacræ Virgines religiosè ſervabant, aliique utriuſque ſexus cuſtodiebant, ab Eccleſia tollere ſibi præfixit. Quia autem illum directè damnare non audebat, hoc artificio uſus fuit, nimirùm virginitati nuptias quoad meritum adæquare cœpit; dicens, virgines, viduas, nuptas, quæ ſemel in Chriſto lotæ ſunt, ſi cæteris operibus non diſcrepent, ejuſdem eſſe meriti. Ita referunt S. Hieronymus Lib. 1. adversùs Jovinianum, & S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 82.

II. Fraus autem Joviniano ad intentum ceſſit. Nam dum hæc Romæ doceret, nonnullas Sanctimoniales, quarum de pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, imò provectæ jam ætatis, in nuptias detraxit. Sumens maximè argumentum à ſanctis feminis, quæ à Veteri Lege in conjugio celebrantur: ac dicens: *Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Anna, quàm Suſanna?* & cæteras ſimiles commemorando, quibus ſe meliores vel etiam pares eſſe, cogitare non poſſent. Hoc modo etiam virorum ſanctum cælibatum commemoratione Patrum conjugatorum, quos Sacra Scriptura laudat, frangebat. Ita ex S. Auguſtino Lib. 2. Retract. cap. 22. Lib. de Hæreſ. cap. 82., de quo fusè citato loco S. Hieronymus. Porrò quamvis Jovinianus aliis nuptias adeò commendaret, ipſe tamen nec habuit, nec habere voluit uxorem: non majoris meriti titulo, ſed moleſtias, quæ in conjugio ſunt, vitandi cauſa. Ita S. Auguſtinus dicto cap. 80. de Hæreſ. *Non ſanè*, inquit, *ipſe vel habe-*

Digitized by Google

habebat, vel habere volebat uxorem: quod non propter aliquod apud Deum majus meritum in Regno vitæ perpetuæ profuturum, ſed propter præſentem prodeſſe neceſſitatem, hoc eſt ne homo conjugales patiatur anguſtias, diſputabat.

III. Hunc præcurſorem ac magiſtrum habuere Lutherus, aliique qui in hoc eum ſequuti ſunt, ac ſequuntur; imò magiſtrum ipſum ſuperarunt. Ubi enim illi virginitatis ſtatum eſtò conjugali non præferrent, adæquabant tamen in perfectione ac merito, iſti cælibatum tanquam omnis generis impudicitiarum fontem damnant & execrantur, & tanquam contrarium Divino præcepto Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*: unde Gen. 2. noluit Deus hominem eſſe ſolum, ſed ad hunc finem dedit ei mulierem in adjutorium. Propterea ſtatum cælibem à ſuis cœtibus eliminare præcipua illis religio eſt: adeò ut qui apud nos cælibatum profeſſi ad eos miſerè deficiunt, primum defectionis ſuæ quod exhibent teſtimonium ſit ſacrilego conjugio cum femina copulari. Sed de hoc plura dixi, tùm in Vera Eccleſia, tùm in Colloquiis Theologico-polemicis.

Superarunt etiam Jovinianum magiſtrum moderni Acatholici. Nam ubi ille nuptias quidem virginitati æquas omnibus ſuadebat, ipſe tamen, ut ſupra, ex Auguſtino dixi, à nuptiis & uxore abſtinuit; iſti doctrinam facto impleverunt, & adhuc implent. Lutherus vix contra cælibatum declamare impiè exorſus, Catharinam quandam è Monaſterio raptam ſibi adjunxit uxorem, ex qua filios quoquè ſuſcepiſſe perhibetur. Exemplum magiſtri imitati diſcipuli, Joannes Œcolampadius & ipſe Monachus, Wolfangus Argentinenſis, Bucerus, Carloſtadius, & quotquot Sacerdotes vel Monachi Luthero adhæſerunt, idem fecere; obliti, certam ſibi manere damnationem, quod primam fidem Deo ſanctè datam irritam fecerint, & ſacrilegè violarint teſte Paulo 1. ad Tim. 5. v.12. Imò eò pietatis ac blaſphemiæ Lutherus proceſſit, cùm enim ipſo Paſſionis Domini anniverſario die anno 1523. quidam Leonardus Koppem novem Virgines è Monaſterio ſtuprandas rapuiſſet, eâdem die concionem habens Lutherus, Chriſto ipſum comparaverit; quòd ex humana tyrannide animas liberaſſet eâ die, qua Chriſtus in Inferis ex diabolica tyrannide animas ſolvit. Hoc refert Coclæus de actis & ſcriptis Lutheri ad ann. 1523. Quis ad hæc non exhorreat?

IV. Modò ad Jovinianum revertor. Auditâ ejus ſacrilegâ doctrinâ, & viſo effectu, qui ex ea ſequebatnr, non ſolùm Romana, ſed univerſa Eccleſia adeò commota eſt, ut præter Patres Hieronymum & Auguſtinum, qui contra illum calamum acuerunt, Imperatores ipſi (Danæo referente hoc cap. 82.) ad eam exter-

minandam leges ſeveriſſimas tulerint. In Codice Juſtiniani Lib. 1. tit. de Epiſcopis & Clericis Leg. *Si quis* (extat Joviniani Imperat. capitale edictum) *Si quis, non dicam rapere, ſed attentare tantùm jungendi causâ matrimonii ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœnâ feriatur*. Hujus Legis meminit Sozomenus Lib. 6. cap. 3. ubi de Joviano (aliàs Joviniano) Imperatore: *Dedit etiam*, inquit, *generalem Conſtitutionem ad Secundum, qui tunc erat Præfectus Prætorii, quâ jubebat, eum capitali ſupplicio affici, qui ſacram Virginem ſibi uxorem deponere, aut impudicè dumtaxat aſpicere auſus eſſet, nedum rapere conatus fuiſſet. Hanc autem Legem idcircò tulit, quòd flagitioſi quidam homines principatu Juliani cum hujuſmodi Virginibus nuptias contraxerant, & ſeu vi, ſeu perſuaſione eas corruperant: quemadmodum evenire ſolet, cùm religione neglectâ atque oppreſsâ, fœda libido ejuſmodi res impunè tentari ſuadet*: ubi Danæus obſervat, vim Sacras Virgines ad nuptias rapiendi referendam eſſe ad tempora Juliani: ſuaſionem verò ad dogma iſtius Joviniani.

V. Sed obſervare etiam debebat Danæus, quid ex hac Lege eveniſſet Luthero & ſociis ejus, qui Sacras Virgines è Monaſteriis ſuaſione, ſi non vi raptas, ſibi in conjuges copularunt. Nonne ſi illis temporibus tale crimen patraſſent, ultimo ſupplicio plectendi fuiſſent? Quod ergo primis ac puris (ut ajunt) ſeculis crimen, & quidem capitale erat; undè in opus ſanctum Chriſto animarum Redemtori comparandum ac reſtituendæ religioni neceſſarium, ut cenſuit Lutherus, tranſmutatum eſt? Certè non aliunde quàm Diabolo ſibi familiari inſtigante, ad eripiendas à Chriſto per libidinem miſeras illas animas, & evertendam Eccleſiæ puritatem, hoc facinus ſuadere ac perpetrare auſus eſt: ac implevit, quod Sozomenus de ſimilibus ſui temporis ſuperiùs dicebat, nempè quòd *Hoc evenire ſolet, cum religione neglectâ atque oppreſsâ, fœda libido ejuſmodi res impunè tentari ſuadet*.

VI. Hinc evaneſcit quod ſubjungit Danæus: quòd hujus hæreſis „ Nec Epiſcoporum vel Presbyterorum unus patrocinium ſuſcepit, nimirùm ita omnes jam illo ſeculo virginitatis laudibus, „ & immodicâ abſtinentiæ commendatione & encomiis præoccupati, contrarias ſententias facilè repudiabant. Clam tamen à „ pleriſque probabatur, etſi non prodirent palàm, ut Auguſtinus „ Lib. de Bono Conjugali cap. 10. docet, quòd Joviniani & ſcripta & rationes, non tantùm plauſibiles, ſed multis in rebus „ Verbo Dei conſentaneæ viderentur. Itaque adversùs has ſcribere coactum ſe tandem fuiſſe, ne palam reviviſceret hæc ſententia teſtatur Lib. 2. Retract. „

Nam

Nam ſe malam cauſam agere his oſtendit. Quippè ſi Epiſcoporum aut Presbyterorum nullus illius patrocinium ſuſcepit, evidens eſt, ut eam contrariam ſententiæ Eccleſiæ, & Verbo Dei judicarent; nec quod laudibus virginitatis præoccupati, ſed veritate adſtricti eam repudiarent. Quòd ſi non ſolùm illius temporis Epiſcopi, ſed quotquot ſequentibus ſeculis ſucceſſerunt, Joviniani ſententiam reprobarunt, & qui pro ea ſteterunt pro hæreticis habiti ſunt: numquid ergo omnes, & cum ipſis Eccleſia univerſa per tot ſecula nimio caſtitatis amore præoccupata, veritatem, quam Jovinianus prædicabat, non agnovit, & hanc ſoli Lutherus, Calvinus, Danæus & alii ſui ſimiles detexerunt? Quis mediocriter prudens cogitabit? At, inquit, à pluribus probabatur, etſi palàm non prodirent. Peto. A quibus probabatur? Si Verbo Dei conſona erat, cur palàm non prodibant, eamque, ut Lutherus poſteà fecit, verbo & facto eam non prædicabant?

Sed quoniam me provocat ad Auguſtinum Lib. de Bono Conjugali cap. 10., audiat quid ibi S. Doctor dicat: *Sed novi qui murmurent: Quid ſi, inquiunt, omnes homines velint ab omni concubitu continere, unde ſubſiſtet genus humanum?* Audiat, quid reſpondet: *Utinam omnes hoc vellent, dumtaxat in caritate de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta: multò citiùs Dei civitas compleretur, & acceleraretur terminus ſeculi. Quid enim aliud hortari apparet Apoſtolum* 1. Cor. 7. v. 7. *ubi ait, cum indè loqueretur:* „ Vellem omnes eſſe ſicut me ipſum„? *Aut illo loci* v. 29. „ Hoc „ autem dico, fratres, tempus breve eſt: reliquum eſt, ut & qui „ habent uxores, tamquam non habentes ſint„? . . . *Deindè ſubjungit* „ Quæ ſinè uxore eſt cogitat ea quæ ſunt Domini, quomodo „ placeat Domino. Qui autem matrimonio conjunctus eſt, cogi„ tat quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori . . . . Quæ innupta „ eſt, ſollicita eſt ea quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & „ ſpiritu: quæ autem nupta eſt, ſollicita eſt quæ ſunt mundi, quo„ modo placeat viro„. *Undè mihi videtur hoc tempore, ſolos eos, qui ſe non continent, conjugari oportere ſecundùm illam Apoſtoli ſententiam* „ Quòd ſi non ſe continent nubant; melius eſt enim nubere, quàm uri„. Ita concludit Auguſtinus ex S. Paulo.

VII. Ut autem magis appareat, quàm aliena ſit à Paulo, & à Verbo Dei Joviniani doctrina ſtatum nuptialem virginali adæquantis, proſequar cum Paulo in eadem Epiſt. cap. 7. à v. 38. *Igitur*, inquit, *& qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit: & qui non jungit, melius facit. Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt à lege viri: cui vult nubat: tantùm in Domino. Beatior autem erit ſi ſic*

Digitized by Google

permanſerit, ſecundùm meum conſilium: puto quod & ego ſpiritum Dei habeam. Quibus Paulus perfectiorem docet etiam ſtatum viduitatis, nedum virginitatis, & hoc ex ſpiritu Dei ſe loqui putat. Dicet ergo Danæus, Paulum non ex ſpiritu Dei ſed amore nimio caſtitatis præoccupatum hæc dicere? Non crediderim, niſi fortè ſpiritum ſuum privatum, quo ipſe cum ſuis potiri gloriatur, ſpiritui Dei, quo loquebatur Paulus, velit præferre.

VIII. Porrò ſtatum virginitatis eligendum eſſe, non ſolùm ad evitandas matrimonii moleſtias, ut ex dictis Jovinianus aſſerebat, ſed etiam ad faciliorem ſibi parandum ad regnum Cœlorum ingreſſum, non ſolùm demonſtrat Paulus Epiſt. citata dum ait: *Qui ſinè uxore eſt, ſolicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*. Et addit: *Porrò ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam: ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſinè impedimento Dominum obſecrandi*. Aptior enim Regno Cœlorum ſtatus ille eſt, in quo homo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſanctus corpore & ſpiritu, & quomodo placeat Deo, quàm ille, in quo homo cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & habet cor diviſum, partim creaturæ partim Deo donans. Sed etiam Chriſtus ipſe Matth. 19. v. 10. &c. illis verbis: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum. Qui poteſt capere capiat*. Super quibus S. Auguſtinus Lib. de Sancta Virginitate cap. 23. *Quid veracius*, inquit, *quid lucidius dici potuit? Chriſtus dicit, Veritas dicit, virtus & ſapientia Dei dicit, eos qui pio propoſito ab uxore ducenda ſe continuerint, caſtrare ſe ipſos propter Regnum Cælorum; & contrà humana vanitas, impia temeritas contendit, eos qui hoc faciunt, præſentem tantummodò neceſſitatem moleſtiarum conjugalium devitare, in Regno autem Cælorum amplius quidquam cæteris non habere?* Sed plura de hoc dixi, tum in Vera Eccleſia, tum in Colloquiis contra modernos Heterodoxos. Videatur S. Hieronymus Lib. 1. adversùs Jovinianum.

IX. Præterire tamen non debeo ea, quæ Danæus in Joviniani defenſionem impiè contra Eccleſiæ Veteres Patres blaſphemat. „ Dicit quod ex nimiis iſtis virginitatis laudibus conjugium non „ tantùm in contemtum, ſed in odium Chriſtianorum adductum „ erat, adeò ut qui conjuges eſſent, in carne vivere dicerentur, „ & Deo placere non poſſe cenſerentur, atque etiam ab impio „ Siricio Romano Epiſcopo jam tum tales pronuntiati eſſent: præ-

„ præceſſit enim Siricius ætatem Joviniani. Ambroſius quidem
„ Lib. 9. Epiſt. 80. & 81. jam ſui ſeculi falſæ opinioni, tamquam
„ tyrannico imperio cedens, Jovinianum damnat, & Siricium
„ laudat. Sed plus poſſe apud nos debet veritas Verbi Dei, quàm
„ ullius hominis auctoritas. Hoc cur erroneum ſit, neque Hiero-
„ nymus infenſiſſimus conjugii oſor & hoſtis, & penè Manichæa-
„ nus vel Tatianus docet, neque alius quiſquam Veterum pro-
„ bavit. Quod enim ait Paulus melius eſſe nubere quàm uri, non
„ evincit malas eſſe nuptias, quod tamen affirmat & colligit
„ Hieronymus „. Hæc verè impius & mendax evomit Danæus, præſertim contra Siricium & Hieronymum.

X. Sed maledicendi animo abreptus, nec Siricium legit, nec Hieronymum. Nam Siricius (non ætate poſterior, ut falsò aſſerit, ſed coævus) Jovinianum quidem, ejuſque dogma ut hæreticum in Epiſtola ad diverſos Epiſcopos execratur, ſed ſuam Eccleſiæ ſententiam exponens: *Nos ſanè*, inquit, *nuptias non aſpernanter accipimus, quibus velamine interſumus: ſed virgines, quas nuptiæ creant, Deo devotas majore honorificentiâ veneramur*. Cui Epiſcopi ad quos ſcripſerat, inter quos erat Ambroſius, reſpondent: *Jure laudatur bona uxor, ſed meliùs pia virgo præfertur, dicente Apoſtolo* „ Qui jungit virginem ſuam bene facit, & qui non jungit meliùs facit. Hæc enim cogitat quæ Dei ſunt: illa, quæ mundi „ . . . *Bonum conjugium, per quod eſt inventa poſteritas ſucceſſionis humanæ, ſed melior virginitas, per quam Regni Cæleſtis hæreditas acquiſita, & Cæleſtium meritorum reperta ſucceſſio*. Hieronymus ab his calumniis, quibus eum Jovinianiſtæ onerabant, vocantes eum Manichæum & Tatianum, ut Danæus facit, ſe purgat in Apologia pro Libris contra Jovinianum: *Non ignoramus*, inquit, *honorabiles nuptias & cubile immaculatum. Legimus primam Dei ſententiam:* „ Creſcite & multiplicamini & replete terram „: *ſed ita nuptias recipimus, ut virginitatem quæ de nuptiis naſcitur præferamus*. Claudam ergo. Eccleſia Catholica pluris nuptias facit, quàm Danæus, & qui cum eo ſunt: nam illa ad dignitatem Sacramenti nuptias elevat: iſti ad contractum merè civilem eas dejiciunt. Quid ergo ad hæc Hæretici impoſtores dicent?

§. II.

Error de Abſtinentia & Jejunio.

I. Secundò errabat Jovinianus, quia jejunia & abſtinentiam à certis cibis nihil prodeſſe ad ſalutem docebat, & inter abſtinentiam & perceptionem ciborum cum gratiarum actione nullam

lam eſſe differentiam. Hunc errorem quem ſupra in Aerio c. 49. §. 3. n. 10. confutavi, adoptarunt Waldenſes, & ſuum dogma fecerunt cum Luthero omnes Moderni, qui omnia jejunia, & à certis cibis abſtinentiam à ſuis cœtibus exulare fecerunt, jejunia Quadrageſimæ, Quatuor temporum, & alia perpetuo Eccleſiæ uſu conſecrata, tamquam ſuperſtitioſa penitùs obliterantes. Ita Danæus factus Joviniani advocatus, ejus ac ſuam lenit ſententiam dicens „ Jejunia non ſpernebat neceſſaria, & quæ eſſent animo- „ rum ad Deum precandum præparationes, & non ſuperſtitioſa, „ qualia ſunt in Papatu hodie omnia „. Mentitur tamen. Nam Jovinianus jure *Epicurus Chriſtianorum* à Hieronymo appellatus, unicè ventri ſtudens, omne jejunium ceu nullius meriti apud Deum rejiciebat, & doctrinam facto ſuo probabat: ſic enim idem Hieron. Lib. 1. adv. Jovin. eum deſcribit: *Quum Monachum eſſe ſe jactitet: & poſt ſordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem & aquæ potum, ad candidas veſtes, & nitidam cutem, ad mulſum, & elaboratas carnes, ad jura Apicii & Paxami* (duo fuere gulæ ſtudio celebres) *ad balneas quoquè ac fruſticulas, & popinas ſe conferat: manifeſtum eſt, quòd terram Cœlo, vitia virtutibus, ventrem præferat Chriſto, & purpuram coloris ejus putet Regna Cœlorum.* Et ſanè: qui abutens dicto Pauli 1. ad Tim. 4. v. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt*, dicebat nullius meriti eſſe jejunium, quomodo admittere poterat jejunia neceſſaria, & quæ eſſent præparationes ad Deum precandum, ut vult Danæus?

II. Impiè tamen Jovinianus deſipiebat. Cùm enim jejunium ſit pars temperantiæ, quæ virtus eſt oppoſita intemperantiæ quæ eſt vitium, ſi intemperantia in cibo vitium eſt viam ad graviora vitia parans, oportet quòd temperantia à cibo per jejunium virtus ſit ad ſublimiores virtutes diſponens, & ſi propter Deum fiat, mercedem ab eo conſequatur. Nam ſi Deus improbat & punit gulæ vitium, utpotè ad graviora crimina viam ſternens, cur non probabit, & præmio non donabit jejunium, quod macerando carnem concupiſcentias frænat, & ad virtutes promtiorem ſpiritum reddit? Nimia ſaturitas ad turpia & ad perditionem Sodomam traxit. Cùm Exodi 32. ſediſſet populus manducare & bibere, ſurrexit, non orare, ſed ludere, non adorare Deum, ſed vitulum. Quo permotus Moyſes, qui quadraginta dierum jejunio Legem à Deo acceperat, tabulas Legis confregit, non judicans ſtomachum crapulâ plenum Legi à Deo ſuſcipiendæ idoneum. E contra Danielis 3. Tres Pueri jejuni in ardentem fornacem immiſſi, illæſi ſunt egreſſi. Ibid. cap. 6. Daniel per tres hebdomades cum jejunaſſet, in lacum Leonum miſſus, ab illis, etſi ut illum avidiùs

diùs vorarent jejunis relictis, illæſus exivit. Idem poſt trium hebdomadarum jejunium cap.10. ipſe ſolus (non alii, qui cum eo erant non jejuni, qui territi fugerunt) vidit Angelum ſibi dicentem: *Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exandita ſunt verba tua: ego veni propter ſermones tuos*. Quid ad hæc Joviniane? numquid jejunium nullius meriti eſt apud Deum?

Accedat Elias. Hic jejunus orat 3. Reg. cap.17. ſolis corvis ei cibum portantibus: & ad ejus preces Cœlum triennio clauſum, nec rorem dedit nec pluviam cap.18.; iterum jejunus orat, & pluviam impetrat cap.19. Jejunus ad montem Dei pervenit, ubi eſtò Deum non viderit tranſeuntem, quia præ reverentia vultum pallio cooperuit, tranſeuntem tamen audivit. Jejunium ergo orationi meritum ad impetrandum præbet: ideòque Chriſtus Dominus Matth. 6. docens nos modum, quo Deum Patrem orare debemus, orationi eleemoſynam & jejunium conjunxit. Et Matth. 17. ac Marci 9. dicit quoddam genus Dæmoniorum, quod ejici non poteſt, niſi per orationem & jejunium. Matthæi autem 6. modum docens, quo jejunare debemus v.17. dicit: *Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum & faciem tuam lava; ne videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo qui eſt in abſcondito: Et Pater tuus qui videt in abſcondito reddet tibi*. Si ergo pro jejunio reddet nobis præmium Pater, nec præmium niſi propter meritum datur: & hoc Chriſtus dicit: quis inficiari audebit, jejunium ita factum eſſe Deo acceptum & rationem meriti apud ipſum obtinere?

III. Sciendum tamen, quòd jejunium & omnes exercitationes corporales, ut acceptæ ſint & locum meriti habeant coram Deo, debent ad ipſum ſincero corde dirigi, ac cæteris virtutibus & maximè pietati & caritati eſſe conjunctæ. Propterea Joel cap.1. v.14. & cap.2. v.15. monet *Sanctificate jejunium*; ideſt, ut ait S. Hieron. Lib. 2. adv. Jovin. *Ut monſtraretur jejunium ſanctificari cæteris operibus, & ſanctificatum jejunium curationi proficere peccatorum. Quomodo autem virginitati veræ non præjudicat imitatio virginum Diaboli: ita nec veris jejuniis coſſus Iſidis & Cybeles* (coſſus vermis erat in ligno natus, qui apud Phryges pro delicato cibo habebatur, à quo abſtinebant Sacerdotes Iſidis & Cybelis) *& quorumdam ciborum in æternum abſtinentia, maximè cùm apud illos jejunium panis faginá carnium compenſetur. Et ſicut ſigna quæ faciebat Moyſes imitabantur ſigna Ægyptiorum; ſed non erant in veritate, nam virga Moyſi virgas Magorum devoravit: ita per omnia quæ per æmulationem Dei facit Diabolus, non religionis noſtræ ſuperſtitio, ſed noſtra arguitur negligentia, id nolentium facere quod bonum eſſe, etiam ſeculi homines non ignorant*.

IV. Ex

Digitized by Google

IV. Ex quo fit, ut Deus, qui jejunia præcepit & probat, quod ſupra oſtendi, aliquorum jejunia improbarit. Unde Judæis (Iſaiæ 58. v.3.) conquerentibus: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti: humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Reſpondit Deus: *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra... Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter* &c. Indè oſtendit eis, quale ſit jejunium, quod elegit, nempè diſſolvere colligationes impietatis. Ubi S. Hieronymus: *Non igitur*, inquit, *jejunium reprobavit, ſed quale vellet oſtendit: neque enim ventris eſuries accepta eſt Deo, quam lites & rapinæ & libidines deſtruunt*. Eâdem ergo ratione quâ Dominus Iſaiæ 1. v.13. &c. Judæis dicit: *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi; Neomeniam & Sabbatum & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens... Et cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam* &c. Non quia Deus Sacrificia, Sabbatum, orationes, & alia quæ ipſe præceperat reprobaret: ſed quia ea non faciebant corde à peccatis mundo, ut ipſe volebat, unde ſubdit: *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt: lavamini, & mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis* &c. Ita cùm eorum jejunium deſpicit, non eſt quia jejunium ipſi non ſit acceptum, ſed quia jejuni corpore non erant jejuni corde à peccatis, & in hypocriſi jejunabant. Quâ ratione Chriſtus Matth. 6. ubi modum orandi & jejunandi docet, advertit, ne oremus, ac jejunemus modo quo Phariſæi id faciebant, nimirùm per hypocriſim ut viderentur ab hominibus. Ubi Jovinianus omne jejunium, etiam pietatis operibus conjunctum, nullius meriti per ſe eſſe apud Deum aſſerebat.

V. Verùm Danæus volens, ut puto, ad ſuam Sectam trahere Jovinianum, dicit, eum non ſpreviſſe jejunia neceſſaria, & quæ eſſent animæ ad Deum precandum præparationes, ſed tantùm ſuperſtitioſa, qualia ſunt in Papatu hodie omnia. Fallitur tamen: confundit enim in hoc hæreſim Joviniani cum hæreſi Aerii, de qua ſupra. Nam Aerius S. Auguſtino teſte Lib. de Hæreſ. cap. 53. dixit quidem, ſtatuta ſolemniter jejunia non eſſe obſervanda, ſed jejunandum cùm quiſque voluerit, jejunia tamen in univerſum non contemſit; qui Joviniani ſpecificus error fuit. At hoc dimiſſo; ſtata ſolemniter jejunia eſſe obſervanda, ſatis oſtendi ſupra cap. 49. §. 3. contra Aerium, quæ Studioſus videre poterit.

VI. Modò ſolùm peto à Danæo. Quando & undè jejunia omnia quæ obſervantur in Papatu facta ſunt ſuperſtitioſa? Si ad

Digitized by Google

Eccleſiæ primordia recurrimus, invenimus jejunium Quadrageſimale & abſtinentiam à certis cibis ab Apoſtolis Chriſti exemplo, ſivè (ut volunt Maximus & Theophilus Alexandrinus & alii) etiam præcepto, inſtitutum, cujus obſervantiam Concilia & Patres promoverunt, ac ſubſequentia ſecula religiosè cuſtodierunt. Idemque de omnibus aliis ab Eccleſia ſtatutis jejuniis ſemper obſervatum fuit. Unde Concilium Gangrenſe ann. 350. cap. 19. de omnibus ab Eccleſia ſtatutis jejuniis ita definit: *Si quis eorum qui in propoſito ſunt continentiæ, præter neceſſitatem corporalem ſuperbiat, & jejunia communia totius Eccleſiæ putaverit contemnenda, perfectam in ſua ſcientia vindicans rationem, anathema ſit.* Quando ergo, & apud quos Eccleſiæ jejunia evaſerunt ſuperſtitioſa? Solùm ſextodecimo ſeculo apud Lutherum, Calvinum alioſque ejuſdem furfuris deſertores, qui nullâ in Eccleſia auctoritate fungentes, ſuperbo Eccleſiæ reformandæ aſſumto titulo, omnes Eccleſiaſticos ritus, ac ſanctiones, ſuperſtitiones eſſe declararunt, & novam, non ad Chriſti, ſed Satanæ doctrinam, Eccleſiam ſibi ad complacentiam carnis confinxere, & adhuc confingunt, eodemque artificio, quo Diabolus primos parentes, decipiunt incautos eis dicentes: *Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis?* Nequaquam hæc præcepit vobis Deus, ſed homo: ſuperſtitiones iſtæ ſunt. *Scit enim Deus, quòd in quocùmque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum* (Gen. 2.) Et quod Diabolus de abſtinentia à cibo, ipſi de aliis præceptis etiam Eccleſiæ dicentes, promittunt ſpiritum, & ſcientiam boni & mali in diſcernendis Sacris Scripturis: atque ita miſeras animas trahunt in ruinam & perditionem.

§. III.

Error de Gratia inamiſſibili poſt Baptiſmum.

I. Errabat tertiò Jovinianus; Quia aſſerebat, eos qui plenâ fide in Baptiſmo renati ſunt, à Diabolo non poſſe ſubverti, ſive hominem non poſſe poſt Baptiſmum peccare, ſivè, ut ait S. Auguſtinus hoc cap. 82. *Nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto.* In eundem errorem eodem S. Auguſt. teſte cap. 88. incidit Pelagius dicens, vitam juſtorum nullum in ſeculo habere peccatum, tanquam ſi is qui juſtus eſt, jam ampliùs peccare non poſſit. Illum tamen jamdiù extinctum ab Inferis ſuſcitavit Lutherus. Sic enim Lib. de Captivit. Babylon. apertè dicit, quòd baptizatus *etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam, niſi nolit*

credere. Nulla enim peccata poſſunt eum damnare, niſi ſola incredulitas. Quæ doctrina aperit viam baptizatis, dummodò ſervent animo fidem, ad omnia ſcelera etiam enormia impunè patranda.

II. Falſam tamen & impiam eſſe convincunt exempla tot hominum, qui ab initio gratiâ ornati, ac fide imbuti, eam miſerè perdiderunt. Et omiſſis iis, quæ ex Veteri Teſtamento adduci poſſunt, ut de Adamo, quem Deus conſtituit rectum, & tamen poſtea contemto Dei præcepto, ut placeret uxori à Diabolo ſeductæ, à gratia & juſtitia originali excidit, & poſteros in peccatum ſuum traxit. De David, qui Deo gratus, poſtea homicidii & adulterii reum ſe fecit: de Salomone, & aliis pluribus, qui fide retentâ in peccata prolapſi ſunt: ſi ad Novum Teſtamentum accedam, & conſiderem Apoſtolos, quos Chriſtus elegit, audio Chriſtum pridiè ante paſſionem eis dicentem Joan. 13. v. 10. *Vos mundi eſtis, ſed non omnes.* Quibus eos mundos & in gratia eſſe declaravit, non tamen omnes, propter Judam, qui tunc volebat eum vendere. At qui mundi erant poſtea relicto Magiſtro omnes fugerunt, & ſcandalum paſſi ſunt, quin & Petrus, pro quo rogaverat ne fides ejus deficeret, ter ipſum ſe noſſe negavit. Quid his reſpondebit Jovinianus? Hi omnes Baptiſmo & fide ab ipſo Chriſto donati peccare potuerunt & de facto peccarunt.

III. Rursùs. Si baptizatus peccare non poteſt, aut à Dæmone ſubverti, Chriſtus nos docens orare, in oratione Dominica ſuperfluè appoſuit, *dimitte nobis debita noſtra*, ac iſtud, *ne nos inducas in tentationem*. Si enim homo baptizatus nec peccati debitum contrahere, nec à Dæmone ſubverti poteſt, hæc Oratio homini Chriſtiano non congruit: cùm tamen Eccleſia illam omnibus proponat. Unde Hieron. Lib. 2. adv. Jovin. ait: *Si non peccamus poſt Baptiſma, cur nobis poſcimus peccata dimitti, quæ in Baptiſmate jam dimiſſa ſunt? Quid oramus, ne intremus in tentationem, & ut liberemur à malo, ſi Diabolus tentare non poteſt jam baptizatos?* Prætereà. Si poſt Baptiſmum de gratia & ſalute amittenda nullum eſt periculum; cur Paulus vas electionis à Deo declaratus de ſe dicit 1. Cor. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim ipſe reprobus efficiar?* Cur ibid. cap. 10. propoſito exemplo Judæorum, qui omnes ſub nube fuerunt, mare tranſierunt, in Moyſe baptizati eamdem ſpiritalem eſcam comederunt, plures tamen ex illis Deo diſplicuerunt, & proſtrati ſunt in deſerto, dicit v. 6. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt*: & concludit v. 12. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat?* Sciebat ergo Paulus, neminem in hac vita de ſua perſeveran-

verantia in gratia ſibi poſſe blandiri. Et ideò Galatas (c.5. v.7.) reprehendit, quòd à recta via quam percurrebant diſceſſerint, & Apoc. 2. Epiſcopi Epheſi laudantur quidem alia bona opera, ſed corripitur tamen, quòd caritatem ſuam primam reliquerit. Uno verbo: nulla eſt ſecuritas. Angelus è Cœlo cecidit, Adam de Paradiſo, Judas de ſchola Salvatoris.

IV. In ſui erroris confirmationem afferebant primò: Illud Joannis Epiſt.1.c.3.v.9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Qui verò baptizatus eſt, ex Deo natus eſt, ac ſemen ejus in ipſo eſt: ergo peccare non poteſt. Reſpondeo, quòd omnis qui ex Deo natus eſt, quoniam ſemen Dei, nempè gratia, in ipſo manet, peccare quidem non poteſt, dum ſemen Dei in ipſo manet, conjungendo ſcilicet gratiam cum peccato; unde ſupra v.6. dixerat: *Omnis qui manet in eo non peccat*: & hoc intendit Joannes: non tamen, quòd gratiâ per peccatum amiſsâ peccare non poſſit, ſicut homo dum ſedet ſimul currere non poteſt, ſurgens tamen à ſeſſione poteſt currere. Alioquin Joannes ſibi contradiceret. Nam ſupra cap.1. v.10. *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et cap.2. v.1. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis.* Unde S. Hieronymus Dialogo 3. adv. Pelagianos ait: *Scito, Baptiſmum præterita donare peccata, non futuram ſervare juſtitiam, quæ labore & induſtriâ & diligentiâ, & ſemper ſuper omnia Dei clementiâ cuſtoditur: ut noſtrum ſit rogare, illius tribuere quod rogatur: noſtrum incipere, illius perficere: noſtrum offerre quod poſſumus, illius implere quod non poſſumus.*

V. Afferebant ſecundò: Chriſtum apud Matthæum c. 7. v.18. dicere: *Non poteſt arbor bona fructus malos facere*: ſed hâc interpretatione reſpondet S. Hieronymus in cap. 7. Matth., ubi enim oſtendit, multos qui priùs fuerunt arbores bonæ poſteà feciſſe fructus malos, & qui arbores priùs malæ erant, feciſſe poſteà fructus bonos, concludit: *Tamdiù ergo bona arbor fructus non facit malos, quamdiù in bonitatis ſtudio perſeverat: & mala arbor tamdiù manet in fructibus peccatorum, quamdiù ad pœnitentiam non convertitur. Nemo enim permanens in eo quod fuit, incipit id eſſe quod nondum cœperit.*

VI. Tertiò: Pro Joviniano afferri poteſt illud Pauli 1. Cor.13. v.8. *Caritas numquam excidit*: ergo ſemel habita in Baptiſmo numquam per peccatum amittitur. Sed evaneſcit ejuſmodi cogitatio. Nam Paulus ibi non negat, caritatem ſemel habitam amitti poſſe in hoc ſeculo, ſed docet, caritatem quam ab hoc ſeculo deceden-

tes habuerimus, in futuro ſeculo non excidere, ad differentiam fidei & ſpei. Nam fidei in alia vita ſuccedit viſio, & ſpei poſſeſſio beatitudinis.

VII. His accedit Danæus, qui interpretari volens Joviniani aſſertum dicit „ Hoc ſi ita ſimpliciter dixit Jovinianus, planè
„ erravit. Sin verò, ut operum & cælibatus merita (per quæ pec-
„ cata deleri docent Monachi) tolleret, voluit quæ à Chriſtianis
„ peccata committuntur, ea à Chriſto deleri, neque jam peccata
„ per Chriſti ſanguinem cenſeri; non video cur damnari debuerit.
„ Peccare verò homines Chriſtianos etiam poſt Baptiſmum, do-
„ cet cùm Joannes in priore Epiſtola c. 1. v. 8. tum hæc à Chriſto
„ inſtituta precatio Matth. 6. *Dimitte nobis debita noſtra.* „

VIII. Alterutrum autem Jovinianus cogitaverit, erravit. Si enim ab operibus bonis abſtulit meritum, ita ut in ſe ipſis peccata ſint, eſtò per ſanguinem Chriſti non imputentur, erravit cum Danæo, & ſui ſimilibus, qui volunt omnia opera noſtra eſſe in ſe peccata, & ſolùm per ſanguinem Chriſti nobis non imputari. Quem errorem expoſuit Lutherus in Theſibus Lipſiæ adv. Echium dicens: *In bono opere peccare hominem.* Et Calvinus confirmavit Lib. 3. Inſt. cap. 14. §. 9. *Nec unum à ſanctis exire opus, quod ſi in ſe cenſeatur, non mereatur juſtam opprobrii mercedem.* Sed de hoc egi tum in Vera Eccleſia Tom. 1. cap. 13. §. 4. num. 22. & Tom. 2. p. 1. toto art. 9. tum in Theologia Tom. 3. in 1. 2. q. 1. de Merito. Quod ſi Jovinianus abſolutè negavit (ut verè negavit) hominem baptizatum peccare poſſe, meritò eum damnat etiam Danæus, qui cum eo damnare debet etiam Lutherum, qui ut dixi eadem ſenſit. Imò & damnet etiam ſe ipſum, qui ab oppoſito aſſerit, hominem etiam baptizatum in omni opere, etſi bono, peccare. Sed ad alia tranſeamus.

§. IV.

Error de paritate peccatorum, & remunerationis bonorum Operum, & de B. Virginis partu.

I. ERrabat quartò: Quia omnia peccata eſſe in gravitate paria, ut Stoici, aſſerebat. Ita S. Auguſt. de Joviniano: *Hic omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat.* S. Hieronymus tamen de hoc eum non accuſat, fortè quia hujus notitia ad eum non pervenerat. Imò Danæus audet aſſerere hanc fortè non fuiſſe Joviniani ſententiam „ Sed quum nullum viduarum vel virginum
„ majus eſſe propter cælibatum meritum, quàm conjugum, do-
ceret

„ ceret & defenderet, ex hoc ipſius dicto adverſarii colligebant, „ ergo paria eſſe omnium merita, & ſi paria merita, ergo peccata „ paria & æqualia. Itaque hæc fuit tantum illatio, quæ à virginitatis præconibus fiebat, non autem ipſius Joviniani ſententia. „ Sic enim multa adverſus quoſdam abſurda collecta ſunt artificiosè, ut eorum & nomen & doctrina invidiâ apud Eccléſiam „ premeretur & gravaretur „. Ita Danæus ut Jovinianum ſibi benevolum ab hoc errore vindicet, in calumniam Catholicorum pro excellentia virginitatis contra ipſum pugnantium errorem iſtum convertit; citatque S. Thomam in Opuſc. contra impugnantes Relig. cap. 6. ubi Joviniani quidem par meritum conjugio ac virginitati tribuentis meminit: ſed de hoc errore ipſi propterea imputato nihil dicit. Quidquid tamen opinetur, ſeu veriùs calumnietur Danæus, hoc ſenſiſſe Jovinianum S. Auguſtinus refert.

II. Omnia ergo peccata eſſe paria errore notat etiam Danæus, tamquam Scripturæ Sacræ repugnans. Licèt enim omnis peccati ſtipendium ſit mors Rom. 6. v. 23. eaque æterna, & quodlibet peccatum ſit iniquitas 1. Joan. 3. v. 4. & qui in uno peccat, omnium reus ſit cenſendus Jacobi 2. v. 10. certum tamen eſt, peccata alia aliis eſſe graviora ex pœnis gravioribus quibus Deus illa punivit, ut peccatum Achan Joſue 7. v. 11. & alia Ezechielis 16. & hoc ob graviorem malitiam, vel contemtum peccantis, vel majorem gravitatem materiæ, vel alias circumſtantias. Hoc declaravit Chriſtus ipſe. Sic enim apud Matthæum cap. 5. v. 22. ait: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca* (ideſt inanis) *reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.* Quibus oſtendit peccatorum differentiam ex gravitate reatus. Gravius enim eſt eſſe reum gehennæ ignis, quàm eſſe reum judicio aut concilio. Gravius etiam peccaſſe Corozain, Bethſaidam, & Capharnaum, quæ ad virtutes quæ in ipſis factæ ſunt non egerunt pœnitentiam, quàm Tyrum Sidonem & Sodomam, quæ ſi apud illas factæ eſſent, in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent, declarat Matth. 11. dum ait remiſſiùs fore in die judicii iſtis, quàm illis. Rursùs peccatum contra Spiritum Sanctum gravius eſſe peccato contra filium hominis demonſtrat Matth. 12. v. 32. dum ait quòd illud *non remittitur neque in hoc ſeculo, neque in futuro*; & tandem cùm Pilato apertè ait Joan. 19. v. 11. *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet.* Quid majus hoc teſtimonio ad peccatorum inæqualitatem convincendam?

III. Errabat quintò Jovinianus, quia parem in Cœlis omnibus remunerationis gradum fore aſſerebat, ſicut & paria merita. Ex hoc

hoc errore, quo omnia merita paria eſſe volebat, & pares omnibus fore beatitudinis gradus, proceſſiſſe crediderim errorem ſupra refutatum, quo non plus meriti tribuebat virginitatis ſtatui, quàm conjugii. At ſicut hic non omnibus par eſt meritum: ita nec fore omnibus parem beatitudinis gradum in Cœlis, oſtendit inter Patres S. Hieronymus Lib. 2. adv. Jovinianum pluribus S. Scripturæ teſtimoniis. Joan. 14. v. 2. Chriſtus dicit: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quò minus dixiſſem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et ſi abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ego ſum, & vos ſitis*. Super quæ S. Hieronymus: *Locus*, inquit, *& manſiones, quas præparare ſe dicit Chriſtus Apoſtolis, in domo utique ſunt Patris, ideſt in Regno Cælorum, non in terra, in qua ad præſens Apoſtolos relinquebat*. Si ergo locus & domus Patris ſui eſt Regnum Cœlorum; varietas manſionum, quam in eo eſſe dicit, quid aliud erit niſi varietas præmiorum, quæ in illo Regno habetur juxta varietatem meritorum? Propterea duobus filiis Zebedæi petentibus ſedere unum à dexteris alterum à ſiniſtris, reſpondit Jeſus Matth. 20. v. 23. *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*. Quæ conſiderans S. Hieronymus ait: *Non eſt Filii dare: & quomodo Patris eſt præparare? Paratæ, inquit, ſunt in Cælo diverſæ & plurimæ manſiones pluribus diverſiſque virtutibus, quas non perſonæ accipiunt, ſed opera. Fruſtrà ergo à me petitis, quod in vobis ſitum eſt, quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam aſcenſuri ſunt dignitatem*. Quid ad hæc Proteſtantes, qui omne meritum ab operibus ablegant?

IV. Idem demonſtrat Paulus 1. Cor. 15. v. 22. his verbis: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur; unuſquiſque autem in ſuo ordine*; ubi Hieron. *Quando*, inquit, *unuſquiſque in ſuo reſurget ordine, utique diverſa ſunt merita reſurgentium*. Et ideò ibidem v. 39. &c. addit Apoſtolus: *Alia claritas ſolis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic erit & reſurrectio mortuorum*. Sed quia Jovinianus dicebat ſtellam differre à ſtella, ideſt ſpirituales à carnalibus; eum S. Hieronymus ita aggreditur: *Quod ſi tu ſcilicet doctus Interpres ſic expoſuiſti, ut diceres ſpirituales differre a carnalibus: Ergo & ſpirituales & carnales in cæleſtibus erunt: & jam non ſolùm oves, ſed etiam hirci tui conſcendent Regna Cælorum. Stella, inquit, à ſtella differt in claritate, non oves & hirci; ſed oves & oves, ideſt, ſtella & ſtella. Denique* „ Alia, *inquit*, claritas Solis, & alia claritas Lunæ „. *Ne ſtellam & ſtellam totum humanæ multitudinis aſſereres genus, Solem poſuit & Lunam, quos certè inter*

hir-

hircos non poteris numerare ,, Sic , *inquit* , erit reſurrectio mortuorum ,, *ut juſti in claritate Solis luceant* , *& qui in ſequenti gradu ſunt* , *Lunæ ſplendore rutilent* : *ut alius Lucifer ſit* , *alius Arcturus* , *alius Orion* , *alius Mazuroth* , *& cætera ſtellarum vocabula* , *quæ ſacratæ* , *in Job volumine continentur* . Hucuſque S. Hieronymus.

V. Deinde proſequitur ex eodem Paulo 1. Cor. 5. v. 10. *Omnes enim manifeſtari nos oportet ante tribunal Chriſti* , *ut recipiat* , *unuſquiſque* , *quæ geſſit per corpus* , *ſivè bonum ſivè malum* . Additque Hieronymus : *Ac ne forſitan dicas ante tribunal Chriſti nos manifeſtari* , *ut boni bona* , *mali recipiant mala* , *in eadem epiſtola docet* : ,, Qui parcè ſeminat , parce & metet : & qui ſeminat in benedictionibus , de benedictionibus & metet ,, . *Certè & qui plus & qui minus ſeminat* , *de parte ſunt dextra* . *Et quum unum ſementis genus ſit* , *tamen menſurâ & numero differunt* . Vides hic varietatem metentium juxta varietatem ſeminantium ? Seminantes autem benè in hac vita operantes ſunt , qui plus ergo bene operando ſeminabit , plus tempore meſſis colliget. Sic Pſalmo 125. *Qui ſeminant in lacrymis* , *in exultatione metent* . *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua* . *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos* .

VI. At ſuum errorem Jovinianus maximè tuebatur illâ Chriſti parabolâ Matth. 20. quâ omnibus in vinea laborantibus licèt aliqui ab hora diei prima uſque ad ultimam , alii unâ ſolâ horâ nempè ultimâ laborarint , par tamen merces ideſt unus denarius à Domino vineæ juſtè redditur : ergo quamvis alii plus, alii minùs laborent in hac vita, æquale gloriæ præmium ac mercedem à Deo accipient .

Reſpondet tamen S. Auguſtinus Lib. de Sancta Virginit. c. 26. *Quid utique denarius ille aliud ſignificat* , *niſi quòd omnes communiter habebunt ? Sicuti eſt ipſa vita æterna* , *ipſum Regnum Cælorum* , *ubi erunt omnes quos Deus prædeſtinavit* , *vocavit* , *juſtificavit* , *glorificavit ?* ,, Oportet enim incorruptibile hoc induere incorruptionem , & mortale hoc induere immortalitatem ,, . *Hic eſt ille denarius merces omnium* . *Stella tamen à ſtella differt in gloria* . *Sic & reſurrectio mortuorum* . *Hæc ſunt merita diverſa Sanctorum*. *Si enim Cælum ſignificaretur illo denario* , *nonne in Cælo eſſe omnibus eſt commune ſyderibus ? Et tamen alia eſt gloria Solis* , *alia Lunæ* , *alia ſtellarum* . *Si denarius ille pro ſanitate corporum poneretur* , *nonne cum rectè valemus*, *omnibus membris communis eſt ſanitas* : *& ipſa ſi uſque in mortem permaneat* , *pariter & æqualiter omnibus ineſt ? Et tamen poſuit Deus membra ſingulum quodque eorum prout voluit* , *ut nec totum ſit oculus* , *nec totum auditus* , *nec totum odoratus* : *& quidquid eſt*

eſt aliud habet ſuam proprietatem, quamvis æqualiter habeat cum omnibus ſanitatem. Ita quia ipſa vita æterna pariter erit omnibus Sanctis æqualis, denarius omnibus attributus eſt: quia verò in ipſa vita æterna diſtinctè fulgebunt lumina meritorum, multæ ſunt manſiones apud Patrem: ac per hoc in denario quidem non impari, non vivet alius prolixiùs: in multis autem manſionibus honoratur alius alio clariùs. Ita peracutè exponit S. Auguſtinus.

VII. Alio errore Jovinianum notant Patres: nempè quòd Maria virgo quidem ante partum fuerit, ideſt ſinè opera viri Chriſtum conceperit, nec poſt Chriſti partum ullum cum Joſeph maritalem congreſſum unquam habuerit, contra id quod blaſphemavit Helvidius; in partu tamen & egreſſu Chriſti naſcentis, laxata fuerit & abrupta vulvæ pellis, quæ eſt intactæ virginitatis indicium: ideòque in partu intacta & inviolata non manſerit. Unde S. Auguſtinus hoc cap. 82. *Virginitatem*, inquit, *Mariæ deſtruebat, dicens eam pariendo fuiſſe corruptam*. Sed Danæus hæc exponens Jovinianum ab hoc errore abſtergere de more ſtudet, his verbis ,, Mariam Domini noſtri Matrem non negavit eſſe & per-
,, manſiſſe Virginem Jovinianus, & ſinè viri coitu vixiſſe, quod
,, Helvidius fecit, ſed negavit tantùm non abruptâ eâ pelle, quæ
,, virginitatis indicium eſſe dicitur, peperiſſe Chriſtum: quin Hie-
,, ronymus ipſe Chriſtum cruentatum ex Virginis alvo exiſſe fa-
,, tetur. Sed ad prægravandam Joviniani ſententiam hæc addita
,, ſunt. Et vulgò ita dicebant Patres, Virgo peperit, quia Virgo
,, concepit, & non ſervato rerum ordine, ex integro Matris cor-
,, pore, integrum corpus Chriſtus aſſumſit ,,. Auguſtinus contra Felicianum.

VIII. His verbis ad meram opinionem Patrum reducens integritatem B. Mariæ Virginis in partu, cauſam agit Joviniani & ſuam. Nam ipſe & Calviniſtæ omnes, ut Tranſubſtantiationem Chriſti in Euchariſtia ceu impoſſibilem rejiciant, prorsùs impoſſibilem eſſe corporum penetrationem eſſe dicunt: & ideò ſicut Chriſtum poſt reſurrectionem januis clauſis ad diſcipulos intraſſe negant, ita & clauſo omninò Mariæ Virginis utero exiſſe inficiantur, cum Joviniano dicentes, quòd aſſerere Chriſtum illæſo nec aperto Matris alvo egreſſum fuiſſe, foret Chriſto non verum, ſed phantaſticum cum Manichæis corpus tribuere, & B. Mariæ privilegium veræ virginitatis eripere. At hunc errorem correxit Chriſtus in Diſcipulis ſuis, quando videntes eum januis clauſis ingreſſum ſtetiſſe in medio eorum putarunt phantaſma eſſe dixit eis Lucæ 24. v. 39. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate & videte quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

IX. Cæ-

IX. Cæterum cùm veritatem hanc, nempè Jeſum utero Matris Virginis clauſo prodiiſſe, oſtenderim tum in Vera Eccleſia Tom.2. p.2. art.12. §.2. num. 9. & ſequ., tum Tom. 4. p.1. Verit. Rel.Chriſt. cap.7. §.1. quæ Lector, ſi placet, adire poterit, ſolùm hic non omittam quod Danæus ſupra S. Hieronymo impingit, quaſi huic, Vir alioqui intactæ B. Mariæ virginitatis acerrimus propugnator, contradixerit, dum Ep.18. (aliàs 22.) ad Euſtochium de Cuſtodia Virginit. de Chriſto naſcente dicit *Cruentus egreditur*, quaſi fractis virginalibus clauſtris, eorumque fuſo ſanguine tinctus egreſſus fuerit. Sed non advertit, vel non advertere voluit ſenſum, quo hæc Hieronymus dixit. Narrat ibi pœnalitates quas pro noſtris peccatis Chriſtus aſſumſit, & ait: *Novem menſibus in utero ut naſcatur expectat, faſtidia ſuſtinet, cruentus egreditur;* non ſanguine è fractis clauſtris tracto, ſed ex carne aſſumta contracto, & pro noſtra ſalute fundendo; unde quomodo nos huic ſanguini retribuere debeamus oſtendens, ſtatim ſubjungit: *Hæc eſt ſola digna retributio, quum ſanguis ſanguine compenſatur, & redemti in ore Chriſti, pro redemtore libenter occumbimus.*

X. Porrò mira cæcitas eſt Danæi, & aliorum volentium ad ſe trahere Hieronymum, qui Lib.2. adversùs Pelagianos ait: *Omnes hæretici erraverunt non intelligentes myſterium nativitatis ejus .... Solus enim Chriſtus clauſas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ jugiter permanſerunt: Hæc eſt porta Orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur & egreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt.* Et Epiſt. 3. quæ eſt Apologia pro Lib. adversùs Jovinian, poſtulantibus, quomodo clauſo utero potuit egredi Chriſtus, dicit: *Reſpondeant mihi, quomodo Jeſus ingreſſus eſt clauſis oſtiis, quum palpandas manus & latus conſiderandum, & oſſa carnemque monſtraverit, ne veritas corporis phantaſma putaretur; & ego reſpondebo, quomodo Sancta Maria ſit Mater & Virgo: Virgo poſt partum, mater antequam nupta.* Idem de hoc ſentiunt alii Patres, præcipuè Ambroſius in cap. 2. Lucæ, & Lib. de Inſtit. Virginis, ubi *aperuit vulvam*, de Chriſto dicit nil aliud exprimere, quàm *tranſivit per eam Chriſtus, ſed non aperuit*. Chryſoſtomus etiam Serm. de S. Jo. Baptiſta, & alii, quos à me citatis locis allatos quiſque videre poterit. Hoc certum eſt, quòd hæc veritas, quam Danæus capere vel neſcit vel non vult, antiquis Patribus adeò explorata & certa fuit, ut ſoli hæretici vel eam negarint, vel in controverſiam vocarint.

Digitized by Google

CAPUT LXIX.

De Arabicis, & Helvidianis.

§. I.

Qui fuerint Arabici, & quis eorum error:

I. Arabici ab Arabia, in qua exorta fuit hæc hæreſis, nuncupati ſunt, Euſebio teſte Lib. 6. Hiſt. Eccl. c. 37., cujus cùm auctorem non referat, ideò S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 83. à nomine regionis Arabicos nominari poſſe dicit: *Itaque hos hæreticos, quoniam nullum eorum* (Euſebius) *ponit authorem, Arabicos poſſumus nominare;* Arabia enim ſicut & illi vicina Ægyptus non magis ſerpentum, quàm hæreſum regio feraciſſima fuit: Locum autem in quo prima hujus hæreſis ſemina pullularunt fuiſſe Arabiam vaſtam ac deſertam, in qua Mons Sina ſitus eſt, Ægypto vicinam, Petræam ab oppido Petra denominatam. Cœpiſſe autem ſub Philippo Imperatore & Anthero Rom. Pont. circa ann. à Chriſto paſſo 217. Origene jam noto & celebri, qui ad hæreticos illos confutandos à Synodo illic collecta evocatus eſt, cenſet Danæus ex Euſebio Lib. 6. cap. 37., & Nicephorus Lib. 5. Hiſt. cap. 23. tantumque, ut infra dicam, diſputando effecit, ut mutatâ ſententiâ, ac errore ejurato conquieverint, ac hæreſis extincta fuerit. Sunt tamen qui volunt, eam diù latuiſſe, & ſub Conſtantis Heraclii nepotis imperio in apertum per Syriam & Perſidem Monothelitico errore etiam inquinatam prodiiſſe. Verùm cum Euſebius & Nicephorus eam ſtatim penitùs extinctam ſcribant, ſi quæ ſucceſſu temporis in iis regionibus eruperunt, diverſæ ab iſta credendæ ſunt, quemadmodum poſtea Mahumetana peſtis Saracenorum partus prodiit, quæ Orientem & alias mundi partes infecit & adhuc inficit, Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſima.

II. Arabicorum igitur error unicus erat, inquit S. Auguſtinus citato loco, quia *Dixerunt, animas cum corporibus mori atque diſſolvi, & in fine ſeculi utrumque reſurgere.* Animam ſimul cum corpore interire dixerunt alii poſteriores: & fortè adhuc ex Heterodoxis, ut Trinitarii, Deiſtæ aliique Recentiores ſentiunt. Volebant ergo, animas hominum ſicut animas brutorum unà cum corpore diſſolvi & interire, hoc tamen privilegio animas hominum ſupra animas brutorum decorabant, quòd in fine mundi unà cum corpore eſſent ſurrecturæ. Animam tamen hominis cum corpore

non

non interire fidem facit Eccleſiaſtes cap.12. v.7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum*. Chriſtus ipſe Matth.10. v.28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*. Hinc apud Lucam c.16. Anima Lazari juſti deportatur ab Angelis, & in ſinu Abrahæ collocatur; & anima Divitis poſt ejus mortem ſepelitur in inferno, ubi cruciatur, atque indè Lazarum rogat. Anima ergo poſt hominis mortem manet; propterea Joannes in Apoc. c. 6. vidit animas interfectorum propter Verbum Dei clamantes *uſquequò Domine non vindicas ſanguinem noſtrum?* Et cap. 7. vidit innumerabilem turbam clamantium, dictumque ei fuit: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideò ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in Templo ejus*. Non ergo corpora clamabant, aut Deo ſerviebant, quæ jam interfecta fuerant: erant ergo animæ mortuis corporibus ſuperſtites: de quibus Sapientiæ 3. v.1. dicitur: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*. Si ergo animæ cum corporibus non moriuntur, in reſurrectione corporibus reunientur quidem, ſed ipſæ non reſurgent, quia id ſolùm reſurget quod morte cecidit.

III. Hæreſis hujus ortum & operâ Origenis interitum, ut ſupra indicavi, ita refert Nicephorus Lib. 5. Hiſt. cap.23. „ Eâ, inquit, tempeſtate (hoc eſt Origenis & Berylli Boſtrenſis in Arabia Epiſcopi) alii quoque in Arabia extiterunt, qui adulterinis opinionibus Eccleſiam turbarunt: animam hominis ipſam unà cum corpore in præſentia mori atque interire, & aliquando tandem in reſurrectione futura unà cum corpore ſuo revicturam eſſe, ac de cætero ad immortalitatem conſervatum iri arbitrantes. Hæc cùm illi ſic per inaniloquentiam jactarent, conventus Epiſcoporum ſunt acti: in quibus cùm efficere nihil poſſent, Origenes eſt evocatus. Atque nullâ interpoſitâ morâ affuit. Et verbis hinc & indè factis, quæſtioneque in medium propoſitâ, ita ibi vir ille diſſeruit, eaque ex Scripturis in conſeſſu illo attulit argumenta, ut Adverſarii deindè quod contra proferrent non haberent. Itaque ſtatim ita ſunt converſi, ut ſe ipſos erroris condemnarent, pœnaſque à ſe ipſis exigerent „. Hæc Nicephorus. Ex quibus patet, in hac hæreſi enarranda S. Auguſtinum non ſervaſſe ordinem temporis, cùm ſeculo Origenis conſignanda ſit.

IV. Lambertus Danæus huic capiti 83. de Arabicis inſerit hæreſim Collyridianorum, quam poſt hos Arabicos, vel ex Scythia vel ex Thracia ortam cum Epiphanio aſſerit. In hoc autem ſita

hæc hæreſis, quod collyridam ſeu tortam panis Mariæ Virgini ceu numini in ſacrificium quædam mulieres offerebant. Quam hæreſim ſuo malo genio adactus dicit Danæus adhuc perſeverare apud Papiſtas, qui Dei Matrem ritu ſuperſtitioſo quaſi Deam ac Numen adorant. Sed quia de hac hæreſi ſupra fusè egi cap. 53., ubi etiam Danæi calumnias diſſipavi, oſtendens, quantum interſit inter cultum religioſum, quem nos Catholici Matri Dei exhibemus, & ſuperſtitioſum, quo Collyridiani eam adorabant: ad ibi dicta conferre ſe Studioſus poterit.

§. II.

De Helvidianis.

I. HElvidiani iidem ſunt, ac Antidicomarianitæ, ſeu Antidicomariani, aut Antimariani, ideſt Mariæ adverſarii, quos ſuprà abundè refutavi cap. 52.: qui Antimariani ab errore, Helvidiani ab Helvidio erroris inventore, ſeu ut dixi promulgatore, & propagatore dicti ſunt. Horum erat hæreſis, quòd nempè B. Virgo perpetuam virginitatem non ſervaverit; ſed Virgo quidem Chriſtum conceperit ac pepererit, poſt Chriſti tamen partum à Joſepho carnaliter cognita fuerit, ac filios pepererit, qui proindè fratres Domini in Evangeliis ſæpè vocantur. Vox iſta ſtatim ac in Eccleſia perſonuit, Patres ac pios omnes horrore tamquam blaſphema percuſſit, & S. Hieronymus Helvidio coævus, & qui cum ipſo tunc Romæ erat, eum tamen facie non viderat, Librum de perpetua Virginitate B. Mariæ contra ejus errorem ſcripſit, in quo quàm turpiter decipiatur, & ſibi ipſi contradicat, oſtendit. At quia S. Hieronymus ſummis laudibus (abſque conjugii præjudicio) Virginitatis ſtatum extollit, Danæus hoc cap. 84. eſtò Helvidii errorem probare non audeat, Hieronymum tamen ut *animoſum* traducit dicens: Quòd præter hæreſes, quas tum ex Euſebii & Epiphanii Libris, tum ex Philaſtri Commentario decerpſit Auguſtinus, alias affert ab eis prætermiſſas,, è quibus prima ,, eſt hæc Helvidianorum, adversùs quam animoſus virginitatis ,, defenſor Hieronymus ſcripſit: etſi verè improbanda eſt Helvi- ,, dii ſententia,,.

II. Danæo tamen his, quibus Helvidio Hieronymus, reſpondebo. Virginibus detrahebat Helvidius, quia ex illis quædam virginitatem non ſervabant, & ex Monachis quidam cælibatum non cuſtodiebant, imò quidam erant impudici. Admittit hoc Hieronymus; ſed dicit, hanc non culpam eſſe virginitatis, ſed homi-

Digitized by Google

hominum vitium : *Numquid*, inquit, *virginitatis eſt culpa, ſi ſimulator virginitatis in crimine eſt? Ego certè, ut aliis perſonis prætermiſſis ad Virginem veniam, quæ inſtitorias exercet artes, neſcio an corpore, quod ſcio, ſpiritu virgo non permanet.... Tu nos Helvidi coegiſti, quia jam Evangelio coruſcante, ejuſdem vis eſſe gloriæ virgines & maritatas. Et quia arbitror te veritate ſuperatum, ad detractionem vitæ meæ & ad maledicta converti (ſolent enim hoc & mulierculæ facere, quæ victoribus dominis malè optant in angulis) illud dico præveniens, gloriæ mihi fore tua convitia, quum eodem quo Mariæ detraxiſti ore me laceres, & caninam facundiam ſervus Domini pariter experiatur & Mater*. Ita inter Catholicos Virgines & Monachi cæterique cælibatum profitentes gloriam ſibi faciunt convitia detrahentium cælibatui, dum parem cum Matre Domini ſortem experiuntur.

III. Sed his prætermiſſis ad Helvidii errorem veniens, cùm eum in Antidicomarianis confutaverim, & quæ pro ipſo facere videbantur diſſolverim, quin & Danæi contra virginitatem calumnias depulerim, ne actum inutiliter iterum agam, ad ibi dicta qui voluerit recurrat. Hoc errore inquinatus fuiſſe traditur Bonoſus Naiſſenſis ſive Sardicenſis in Dacia Epiſcopus, de quo fortè locutus fuit S. Ambroſius Lib. de Inſt. Virg. cap. 5. cùm ait, ſe ad hunc errorem confutandum magis teneri, cùm deprehenderit, quemdam Epiſcopum de eo fuiſſe accuſatum. Bonoſus iſte malè etiam ſenſiſſe de Filio Dei fertur, unde Bonoſiani negantes Filii Dei Divinitatem. Sed hæc rei præſentis non ſunt.

CAPUT LXX.

De Paternianis, ſeu Venuſtianis.

§. I.

Unde ſic dicti, & quis eorum error.

I. HÆRESIS iſta penè ignota ex putidiſſimis fontibus, ſive Manichæorum, ſive Eunomianorum, ſive potiùs Patricianorum, de quibus ſuprà cap. 57. §. 2., fontibus profluxit, ut ex dogmatis conſenſione apparebit. Paterniani à Paterno ignobili quodam auctore, quo nomine à S. Auguſtino & Iſidoro appellantur, dicti ſunt. Venuſtiani verò ab errore, ideſt, à ſcelere & laſcivia, quâ impuriſſimè vivunt, nuncupantur; quaſi à Venere omnium fœditatum ac impudicitiarum Dea & patrona, nomen & rem

rem accipientes, qui aptiùs Veneriani, aut Venerii, quam Venu-
ſtiani dici deberent. Quamquam enim, inquit Danæus, ut tradit
M. Tullius à Venere venuſtas deducta eſt: aliud tamen eſt venu-
ſtas (quæ eſt corporis pulchritudo, & apta quædam inter ſe mem-
brorum conformatio) aliud autem Venus & libido, à qua iſtos ap-
pellare, non à venuſtate Veteres illi voluerunt. Videntur iſti fuiſ-
ſe, qui à Damaſceno Ethicoproſcoptæ, ideſt morum & honeſtatis
irriſores, dicuntur, quòd omnem vitæ ſanctæ inſtituendæ rationem
irriderent ac ſpernerent, & Cynicorùm more laſciva & obſcena
quæque agere non erubeſcerent. Neque eſt novum unam eam-
demque hæreſim alio à Græcis, & Latinis nomine appellari, nam
ut cap. præcedenti diximus, quos Helvidianos cum Auguſtino La-
tini vocant, Græci cum Epiphanio Antidicomaritas appellant.

II. De tempore, quo hæc peſtis Eccleſiam inficere cœperit,
nil certi affirmari poteſt. Poſt Manichæos, Eunomianos, & Pa-
tricianos, ex quibus ut dixi conflata eſt, credi poteſt emerſiſſe.
Quamdiù etiam duraverit, ignoratur. Paternianis adjungunt qui-
dam Symmachianos tamquam ejuſdem dogmatis profeſſores.
Veriùs tamen Ebionitis & Photinianis adjungendos Symmachia-
nos crederem, ex quorum fontibus venenum biberunt. Nam &
ipſi negarunt Chriſtum Deum eſſe Deique Filium: ſed purum eſſe
hominem dixerunt ex conjugali concubitu Mariæ & Joſeph, ut cæ-
teros homines natum. Tum quia Symmachus eorum author ætate
longè Paternianos anteceſſit, vixit enim circa finem ſeculi ſecun-
di ſub Severo Imperatore, & Victore Papa. Philaſter tamen Hæ-
reſ. 63. Symmachianos Patricii cujuſdam Romani, à quo Patri-
ciani, diſcipulos facit, eadem cum ipſo ſentientes, in omnibus ac
vitiis & carnalibus concupiſcentiis effrænatè ſervientes.

III. Paternianorum error in hoc ſitus erat, quòd inferiores
humani corporis partes, quas pudendas vocamus, & ideò velami-
ne tegimus (niſi fortaſsè cynici & inverecundi eſſe volumus)
non à Deo, ſed à Diabolo creatas, ſeu formatas eſſe dicebant. In
quo à Patricianis diſſidebant: quia ubi Patriciani, & etiam Mani-
chæi, totum hominis corpus, & carnem à Deo eſſe inficiabantur,
iſti partem ſuperiorem corporis humani Deo tribuebant, inferio-
rem autem & pudendam Diabolo. Adamitis etiam diſſimiles;
nam Adamitæ, quòd nullum inter humani corporis membra turpe
& obſcenum ducerent, nudi incedebant: hi verò quòd nimiam in
aliquibus membris fœditatem agnoſcerent, Dei opera eſſe nega-
bant. Ex quo errore in omne ſe fœdæ libidinis genus, quæ illis
membris perageretur profundebant, putantes Diabolo, qui illa
dedit, rem gratam facere. Ita hunc errorem deſcribit S. Auguſti-
nus

Digitized by Google

nus Lib. de Hæreſ. cap. 85. *Paterniani inferiores partes humani corporis non à Deo, ſed à Diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes, turpiſſimè vivunt.*

§. II.

Paternianorum error refutatur.

I. Errorem iſtum rejeci præcipuè cap. 57. §. 2. agens de Patricianis, qui omnia membra corporis Deo conditori auferebant. Supereſt iſtorum veſaniam depellere, qui duas in partes humanum corpus dividentes, ſuperiorem, & inferiorem, illam quidem Deo, iſtam verò Diabolo conditori tribuebant. At ſi ad ea quæ de hominis formatione narrantur in Geneſi attendere voluiſſent, infelices iſti non deſipuiſſent. Legitur enim ibi cap. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*: utique quantùm ad corpus, non quantùm ad animam: hanc enim ex limo non fecit, ſed eam creans corpori inſpiravit, unde ſubditur: *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Totum ergo corpus hominis Deus formaverat: nam ſi ſolam partem ſuperiorem, non inferiorem, in qua eſt ſexus virilis, formaſſet, corpus illud ſeu media pars illa corporis animæ ſuſcipiendæ apta non fuiſſet.

II. Rursùs. Formato homine Viro ideſt Adam, cùm non inveniretur adjutor ſimilis illi, immiſit Deus ſoporem in illum, & cùm obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & ex ea ædificavit mulierem in adjutorium, dixerat enim: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Ad quod autem opus futura eſſet ei in adjutorium, dixit Adam, dum ſtatim ac eam vidit, protulit: *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*. Ecce ergo à Deo formatos virum & mulierem, etiam quoad ſexum, hoc eſt, quoad partes inferiores cap. 1. v. 27. dicitur: *Maſculum & feminam creavit eos*: & hoc ut ſexu ſuo uterque ad generationem uteretur; unde eis benedicens ſtatim ait: *Creſcite & multiplicamini & replete terram*. Si ergo uterque ſexus à Deo eſt formatus, & hoc ut partes ſexum conſtituentes generationi ſervirent: ſicut conjugium à Deo eſt, confirmante Chriſto Matth. 19. v. 6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*: ita partes conjugio deſervientes à Deo ſunt, non à Diabolo.

III. Dices pro Paternianis. Si partes inferiores humani corporis diverſitatem ſexus conſtituentes à Deo ſunt, cur ut turpes & ob-

& obſcenæ habentur, adeò ut homines de eis erubeſcentes, eas tegere conentur? Numquid non omnia Dei opera bona ſunt? Numquid operis à Deo in ſe formati hominem pudere, & non potiùs de eo gloriari æquum eſt?

Hoc erat Paternianorum delirium. Sciant ergo, partes illas corporis, quas pudendas & obſcenas vocamus, ut à Deo prodiere, tales non fuiſſe. Legitur enim Gen. 2. v. 25. *Erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus, & nōn erubeſcebant*. Operâ verò Diaboli pudendas & obſcenas evaſiſſe, cùm ipſo inſtigante Adam & Evâ in peccatum delapſis, per inſurgentem concupiſcentiam vitiatæ ſunt, & corruptæ. Ideòque Gen. 3. v. 7. dicitur, quòd poſt peccatum *cùm cognoviſſent ſe eſſe nudos* (pudore ſuffuſi) *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*. Tunc membra illa à Deo formata, ut in opere generationis ei deſervirent, cœperunt ad opera pravæ concupiſcentiæ ſervire Diabolo, ac pudenda & turpia facta ſunt. Hinc eſt quòd Paulus Rom. 6. v. 12. *Non ergo*, inquit, *regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes & membra veſtra arma juſtitiæ Deo;* quod repetit ad Coloſs. 3. v. 5. Cùm ergo arma juſtitiæ Deo corpus & membra ejus velit exhiberi Paulus, palam fit, ut ſuâpte naturâ non ſint mala, ſed mala fiant, quâtenus exhibentur concupiſcentiis, fornicationibus, adulteriis &c.

IV. Et ſanè ſi membra opera Diaboli conditoris eſſent, Chriſtus, qui integrum humanum corpus aſſumſit, aliquod diabolicum aſſumſiſſet, quod impia eſſet blaſphemia, cùm ipſe dixerit Joan. 14. v. 30. *Princeps mundi hujus in me non habet quidquam*. Nec obeſt, quòd Matth. 22. quæſitus, cujus in reſurrectione futura eſſet uxor mulier illa, quæ in hoc ſeculo ſeptem viris nupta fuerit, reſponderit v. 30. *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo*. Hoc enim non dixit, quia in reſurrectione homines cum omnibus corporis membris non ſint ſurrecturi; ſed quia in eo ſtatu cùm omnes homines futuri ſint immortales, ſicut in Angelis nulla eſt generationis neceſſitas, ita nec ampliùs erit in hominibus: & ideò nubendi, ſicut & comedendi, & aliorum actuum, qui hìc ſuſtentationi corporis ſerviunt: & quamvis membra ad eos deſtinata extitura ſint, uſus ceſſabit.

V. Quia verò Paterniani ex hoc errore, quòd membra genitalia eſſent opera Diaboli, ulteriùs progredientes, in omne tœdæ libidinis genus, quæ illis membris peragere tur ſe effundebant, fiebat, ut membra quæ à Deo acceperant, in opera & membra Diaboli converterent, & ſic quod falsò aſſerebant, opere in ſe ipſis

verè

verè implerent. Fœdas iſtas impuritates primus docuit, & ad praxim reduxit Simon Magus, quem poſteà alii, Nicolaitæ Gnoſtici Saturniani &c. contra quos ſuperius egi, ſecuti ſunt. Imò ut refert Guido Carmelita, Waldenſes dixerunt, quòd urente carnis libidine omnis carnalis commixtio, tam inter viros, quàm inter feminas ſit licita. Et adhuc recentibus temporibus Anabaptiſtæ addunt, mulierem quamlibet obligatam eſſe ad coeundum cum quocumque viro, ſi ipſam petierit: & vice versâ eodem vinculo ligant quemlibet virum ad tantumdem reddendum cuilibet mulieri hoc ab illo petenti, homines ſimiles & pejores beſtiis facientes. In has impietates dejicit Diabolus illos, quos ſibi contingit à Veritate Religionis Chriſtianæ ſeducere.

CAPUT LXXI.

De Tertullianiſtis, & Abelonitis.

§. I.

Tertullianiſtæ, ac Tertullianus.

I. DE his S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 86. ita ſcribit: *Tertullianiſtæ à Tertulliano, cujus multa leguntur opuſcula eloquentiſſimè ſcripta, uſque ad noſtrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginenſi. Me autem ibi poſito ante aliquot annos, quod etiam te meminiſſe arbitror, omni ex parte conſumti ſunt. Pauciſſimi etiam qui remanſerunt, in Catholicam tranſierunt, ſuamque Baſilicam, quæ nunc etiam notiſſima eſt, Catholicæ tradiderunt.*

Tertullianus ergo, ſicut ſcripta ejus indicant, animam dicit immortalem quidem, ſed eam effigiatum corpus eſſe contendit. Neque hanc tantùm, ſed ipſum etiam Deum corporeum eſſe dicit, licèt non effigiatum. Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Poſſet enim quoquo modo putari, ipſam naturam ſubſtantiamque Divinam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia ſunt omnia quæ propriè dicimus corpora, quamvis de anima tale aliquid ſentiat: ſed potuit, ut dixi, putari corpus Deum dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, non eſt corporis vel animæ qualitas, ſed ubique totus, & per locorum ſpatia nulla partitus, in ſua tamen natura atque ſubſtantia immutabiliter permanet.

Non ergo ideò eſt Tertullianus factus hæreticus, ſed quia tranſeus

ſiens ad Cataphryges, quos ante deſtruxerat, cœpit etiam ſecundas nuptias contra Apoſtolicam doctrinam tamquam ſtupra damnare: & poſtmodum etiam ab ipſis diviſus ſua conventicula propagavit: Dicit ſanè ipſe animas hominum peſſimas poſt mortem in Dæmones verti. Statum autem animæ credit per traducem propagari. Hactenus S. Auguſt. de Tertulliano ejuſque erroribus, de quibus infra.

II. De Tertulliani perſona, & qualitatibus Patres & Hiſtoriæ ſatis loquuntur. S. Hieronymus Lib. de Script. Eccleſiaſt. cap. 53. dicit, fuiſſe primum poſt Victorem & Apollonium Latinorum Scriptorem Provinciæ Africæ Civitatis Carthaginenſis, patre Centurione proconſulari. Hunc virum acris & vehementis ingenii, ſub Severo Principe & Antonino Caracalla maximè floruiſſe multaque ſcripſiſſe Volumina, quæ quia omnibus ſunt nota prætermittit. Quanti autem ejus doctrinam fecerit Beatus Cyprianus, his exponit verbis S. Hieron. *Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ eſt, ſenem, qui ſe Beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, quum ipſe admodum eſſet adoleſcens, Romæ vidiſſe diceret; referreque ſibi ſolitum, numquam Cyprianum abſque Tertulliani lectione unam diem præteriiſſe: ac ſibi crebrò dicere,* „ Da Magiſtrum „ *Tertullianum videlicet ſignificans*. Quod repetit Epiſt. 41. (aliàs 65.) Pammachio & Oceano: *Beatus Cyprianus Tertulliano magiſtro utitur, ut ejus ſcripta probant: quumque eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non ſequitur*: in eorum quippe hæreſim Tertullianus lapſus fuit, ut infra dicam.

III. Prima ſtudia Juri humano, ideſt Civili, Tertullianus donavit, Euſebio teſte Lib. 2. Hiſt. cap. 2. Imò etiam hodie in corpore Pandectarum à Triboniano ex diverſis Juris-Conſultis collectarum extant quædam ſcriptorum & reſponſorum Tertulliani fragmenta docta & erudita. Ex perpetuo ejus ſtylo, & dicendi genere eum fuiſſe ſummum Juriſconſultum etiam apparet. Deindè ad Divini Juris ideſt Theologici cognitionem tranſiens, ingenii vim adeò prodidit, ut, ſicut ſupra ex Hieronymo dicebam, poſt Victorem & Apollonium Latinorum Scriptorum primus celebretur, & Cyprianus ipſe ut magiſtrum habuerit. Quantò tamen eruditus & eloquens fuit, tantò in phraſi durior & involutus apparet. Unde Lactantius Lib. 5. Inſt. cap. 1. Tertulliani eruditionem quidem laudat, eloquentiam verò quaſi duriorem non probat. Et S. Hieronymus Epiſt. 49. (aliàs 13.) ad Paulinum, Tertullianum Cypriano comparans: *Tertullianus*, inquit, *creber eſt in ſententiis, ſed difficilis in loquendo. Beatus Cyprianus inſtar fontis puriſſimi, dulcis incedit & placidus, & quum totus ſit in exhortatione virtutum,* occu-

occupatus perſecutionum anguſtiis, de Scripturis Divinis nequaquam diſſeruit.

IV. Presbyter Carthaginenſis factus fidem Chriſtianam contra Gentes in Apologetico, & Catholicam contra Hæreticos in Lib. de Præſcript., & aliis, præcipuè contra Montaniſtas, validè tutatus eſt. At infeliciter in hæreſim Montaniſtarum lapſus pro ea adversùs ſe ipſum adeò pertinaciter ſcribere aggreſſus eſt, ut Hieronymus Apolog. adv. Ruffinum Lib. 3. dicat: ***In Tertulliano laudamus ingenium, ſed damnamus hæreſim.*** Factus hæreticus contra Eccleſiam ſcribere cœpit, & ſex Libros pro Montaniſtis compoſuit, ac demùm contra Apollonium, qui eam hæreſim impugnaverat, manum admovit. Cauſam verò quæ eum ad lapſum accendit narrat Hieronymus Lib. de Script. Eccl. cap. 53. his verbis: ***Hic uſque ad mediam ætatem Presbyter Eccleſiæ permanſit; invidiâ poſtea & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogma delapſus, in multis Libris novæ prophetiæ meminit, ſpecialiter autem adversùm Eccleſiam texuit volumina: De Pudicitia, de Perſecutione, de Jejuniis, de Monogamia, de Ecſtaſi, libros ſex, & ſeptimum, quem adversùm Apollonium compoſuit. Fertur vixiſſe uſque ad decrepitam ætatem, & multa quæ non extant Opuſcula condidiſſe.***

V. Occaſio autem, cur à Clericis Eccleſiæ Romanæ contumelias paſſus fuit Tertullianus, extitiſſe creditur, quòd dum Romæ (ubi aliquandiù verſatus eſt) moraretur, de externa jejuniorum, & à cibis abſtinentiæ, ac virginitatis obſervantia adeò ſeverè & aſperè loqueretur, ut Romani Clerici primùm duriùs eum tractarint, & poſteà velut Montaniſtam deteſtati à communione illius abſtinuerint. Quod ille, ſivè immoderato ſanctitatis zelo, ſivè laſciviæ inter aliquos fortè dominantis odio, indignè ferens, ac Montaniſmum quem antea deteſtatus fuerat amplexatus, jam ab Eccleſia Orthodoxa extorris, in eam apertè cœpit voce & ſcriptis debacchari, Catholicos vocans Pſychicos & animales, & Montani ac Maximillæ deliramenta tanquam prophetias ſpargere ac prædicare cœpit. Sicque terribili Dei judicio factum eſt, ut qui Hieronymo teſte in cap. 1. ad Galatas: ***Adversùs Apellem & ejus virginem Philumenem, quam Angelus quidam diabolici ſpiritus & perverſus impleverat, hunc eſſe ſcripſit Angelum, cui multò antequam Apelles naſceretur, Spiritus Sancti vaticinio ſit anathema per Apoſtolum prophetatum.*** ipſemet poſteà diabolicum Montani & Maximillæ ſpiritum probans, & amplexus, in anathema, quod deteſtatus fuerat, inciderit. Documentum ſanè omnibus, ut ***qui ſtat, videat ne cadat.***

§. II.

Tertulliani, & Tertullianiſtarum errores.

I. PRimus error, qui Tertulliano impingitur eſt, quòd dixerit, Deum eſſe corporeum. In hoc tamen ut ſupra dixi eum ab hæreſi excuſat S. Auguſtinus, quia putari poteſt, Deum dixiſſe eſſe corpus, non qualia ſunt corpora, quæ communiter videmus extenſa, ac membra majora & minora habentia, & loco circumſcripta; ſed Deum vocaſſe corpus, quia non eſt quoddam inane, ſed vera ſubſtantia, & eſſentia, ubique totus, & per nulla locorum ſpatia partitus. Quare corpus ſumſit, non ut diſtinctum à ſpiritu, ſed pro eo quod verè eſt ac veram habet *uſiam* ſeu eſſentiam. Unde Tertullianus ipſe in Lib. adverſus Praxeam cap. 7. ait: *Quis enim negabit Deum corpus, etſi Deus ſpiritus eſt? Spiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie*. Quod confirmat in Lib. de Anima, in Lib. de Reſurrectione Carnis. Sed in Lib. de Trinitate negat Deum membra habere: in quo ab Anthropomorphitis hæreticis diſſentiebat, qui Deo membra ut homini tribuebant. Quamvis autem neſciam, quomodo id quod partes non habet, poſſit congruè vocari corpus; quia S. Auguſtinus in hoc Tertullianum ab hæreſi excuſat, nolo ſeverior eſſe judex. Solum dicam, quod ſaltem nomine Còrporis abutebatur.

II. Secundò errabat, quia animam hominis immortalem quidem eſſe, ſed corpoream, & Angelos ipſos corpora eſſe dicebat ſubtilia ac tenuia, quæ tamen effigiem ac delineationem diſtinctionemque partium habeant, & hoc ut à Dei natura diſtinguantur, quam fecit corpoream, ſed in partes & membra non diviſam, ut ex S. Auguſtino ſupra dixi. Unde animam creſcere, adoleſcere, cibos deſiderare, & in cæteris cum corpore convenire. Ita in Lib. de Anima cap. 22. &c. *Definimus*, inquit, *animam Dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, ſubſtantia ſimplicem*. Et tribuit animæ longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, effigiem, ſexum, habitum, terminum ut corpori, quia non eſt ubique diffuſa ut Deus, ſed certo loco comprehenſa. Quòd ſi anima cibos deſiderat; ergo aliquid animæ deperditur, & corrumpitur: & quomodo eſt immortalis? Si eſt effigiata, latitudinem, longitudinem habens ut corpus, ergo ſenſui patebit, ut corpus: quis autem ullo unquam ſenſu animam percepit? Si dicas hoc eſſe quia eſt ſubſtantia ſimplex. At cur (dicam ego) ſimplex & indiviſibilis eſt, ſi eſt effigiata & extenſa ſicut corpus?

III. Hinc

III. Hinc ſi Tertullianus dum ait, animam eſſe corpus, intellexit (ut videtur) tale eſſe corpus, quòd partes habeat, ac in partes dividatur, quarum una in uno loco ſit, altera in altero, nedum erravit ſed hæreticus habendus eſt. Quia Sacræ Literæ docent, Animam eſſe ſpiritum: At quod ſpiritus eſt, corpus non eſt, nec partes corporeas habet: aliàs Chriſtus feſelliſſet Diſcipulos, cùm exiſtimantibus ſe ſpiritum videre Lucæ 24. v.39. *Videte*, inquit, *manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Animam autem eſſe ſpiritum, habetur Lucæ 23. v.46. ubi Chriſtus animam ſuam Patri commendans ait: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Et Matth. 26. v.41. monens Diſcipulos ut orarent, ait: *Spiritus quidem promtus eſt caro autem infirma*. Unde Paulus ad Galat. 5. v. 17. pugnam carnis & animæ deſcribens: *Caro enim*, inquit, *concupiſcit adversùs ſpiritum, ſpiritus autem adversùs carnem*. Quoad Angelos verò, eos habere corpora aerea tamen ac ſubtilia aliqui, Veteres opinati ſunt. Sed de hoc egi Tom. 5. in 1. p. qu. 2. de Natura Angel. Dub. 1.

IV. Nec animas eſſe corpora, colligat quiſpiam ex S. Hieronymo, qui in cap. 3. ad Galat. dicit: *Quomodo corpus omnia membra & ſenſus habet: ita animam quoquè univerſos & ſenſus & membra habere; & inter cætera aures etiam: quas qui habuerit, non magnoperè indigebit his auribus corporis ad Chriſti Evangelium cognoſcendum*. Nam S. Doctor non loquitur in ſenſu proprio, quaſi anima omnes ſenſus & membra ut corpus re ipſâ habeat, qui in cap. 10. Matth. ad illa verba Chriſti: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*: ſubjungit: *Si qui corpus occidunt, animam non poſſunt occidere; ergo anima inviſibilis & incorporalis eſt*. Loquitur ergo ibi in ſenſu metaphorico, & modo quo Scriptura Deo tribuit oculos, aures, manus, pedes, quia omnia quæ corpus per hæc facit corporaliter, Deus, & etiam anima ſpirituali & altiori modo præſtat. Quod idem citato ad Galat. loco præmittit, ubi exponens verba illa Lucæ 8. v. 8. *Qui habet aures audiendi audiat*. Apoc. 2. v. 11. *Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis*; & Iſaiæ 6. v. 33. *Dominus addidit mihi auriculam*; ita loquitur: *Iſte eſt alius homo, cui Deus loquitur in occulto, qui clamat in corde credentis Abba Pater*. Et in hoc ſenſu ſubjungit, animam habere ſenſus, aures &c. ſicut corpus, ad percipienda ſpiritualiter ea quæ Deus illi intùs loquitur, & exequenda.

V. Tertiò dicebat, animam humanam ex traduce eſſe. Certè ut ſupra cap. 67. agens de Luciferianis §. 2. adverti, de animæ rationalis origine, tot fuere apud Veteres opiniones, ut videretur quiſ-

quiſque abſque fidei diſpendio poſſe quam liberet amplecti. Cùm tamen S. Auguſtinus, qui de hoc aliquando fuit anceps, hoc de Tertulliano (ut ſupra) referat tamquam hæreſim, dicere oportet, in hoc eum ſingularem fuiſſe, & maximè cùm animam corporalem eſſe poſuerit, eam per coitum & generationem unà cum corpore produci voluiſſe. Sic enim in Lib. de Anima loquitur: Ex una (nempè Adami) redundare, & cum carne in utero ſeminare, quia ex uno Adamo omnes peccatum originale hauſimus. Sed malè argumentabatur. Poteſt enim ex primo parente peccatum derivari, etſi peccatum non ſit ſubſtantia, ut volebant Manichæi, nec anima per ſemen traducatur, ut putavit Tertullianus, & poſteà putarunt Pelagiani.

VI. Contra hunc errorem multis rationibus agit S. Thomas 2. contra Gentes cap. 86., quibus hanc addere placet ex Alphonſo de Caſtro Lib. 2. adv. Hæreſes verbo *Anima* Hæreſ. 5. Nimirùm. Si anima ex anima propagatur, ſicut corpus ex corpore, aliquod ſemen à parentibus oportebit in coitu profluere, ex quo anima formetur, ſicut ſemen ad corporis formationem; alioquin dicetur anima ex nihilo, non ex propagine produci, ſi nihil à parentibus deciſum eſt, unde illa formetur. At cùm ſæpè contingat, ſemina carere effectu, & coitus ſinè ulla prolis generatione fruſtrari, quid de animæ ſemine fiet? peribit, an manebit? Si peribit: ergo & ipſa anima mortalis erit: impoſſibile enim eſt, ut cujus cauſa & ſemen mortale eſt, illud ſit immortale. Si manebit: cur animam non generat, cum ſemen illius unde propaganda eſt deciſum ſit, & adhuc maneat? Numquid de anima dicendum erit, ſicut de corpore, ideò animam non generari, quia qualitates ad ejus generationem diſponentes defuere? Ergo hoc poſito dicendum erit, animæ ſubſtantiam, ſicut & corporis tam in generatione, quàm in conſervatione ab aliquibus qualitatibus pendere; quæ cùm inter ſe identidem contrariæ & corruptioni ſubjectæ ſint, ſicut mortem corporis moliuntur, ita & animæ corruptionem, ac mortem operentur, ac ita anima ſicut cum corpore generatur, ita & cum corpore intereat & moriatur: atque ita unus ſit interitus hominum & jumentorum & æqua utriuſque conditio.

VII. Quartò, ex Auguſtino ſupra relato dicebat, animas ſceleratorum hominum poſt mortem converti in Dæmones. Error iſte in ſcriptis Tertulliani quæ extant non legitur, ut ex Pamelio ſupra cap. 66. §. 1. indicavi. Nam in Lib. de Anima dicit quidem animam Diabolum habere comitem, ſed in Diabolum verti non dicit. Sed quia S. Auguſtinus, in Tertullianum æquior, hunc errorem illi tribuit, re verâ ita ſenſiſſe credendus eſt. In quo nedum dicto

dicto Chriſti ſe opponit, qui Matth. 25. minatur quidem eis qui in pauperes non fuere miſericordes æternam in extremo judicio cum Dæmonibus pœnam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*: non dicit tamen eorum animas eſſe in Dæmones convertendas. Sed & ſibi contradicit: ſi enim, ut ex Auguſt. dixi, animas ipſe ſtatuit immortales, quomodo dicere poteſt, eas converti in Dæmones, cùm omne quod in aliud convertitur deſinat eſſe, & corrumpatur, ſicut vinum cum vertitur in acetum deſinit eſſe vinum & corrumpitur?

Sicut ergo Chriſtus Marci 12. 25. dicit, quòd juſti poſt reſurrectionem *erunt ſicut Angeli Dei in Cælis*, non quia in Angelorum naturam convertendi, ſed quia iiſdem quo Angeli privilegiis & præmio donandi erunt: ita impii tunc erunt ſicut Dæmones, non naturâ, ſed conditione & pœnis. Qui enim in hac vita, ut ait Dominus Jo. 8., voluerunt non Deum ſed Diabolum habere patrem non naturâ ſed moribus, æquum eſt ut tanquam filii gehennâ hæreditate patris cum eo puniantur, ſintque ſicut Dæmones in pœna, non in natura. Si hoc ſenſu locutus fuiſſet Tertullianus, Catholicè ſenſiſſet. Videantur quæ ſupra dixi c.66. §.1. in Tertulliis.

VIII. Quintò, eodem S.Auguſtino teſte, ſecundas nuptias tamquam ſtupra & adulteria habebat, ac proindè ut illicitas damnabat. Hunc errorem factus Montaniſta adoptavit, & pro eo Librum ſcripſit de Monogamia: erat enim unum ex præcipuis Cataphrygum ſeu Montaniſtarum falſis dogmatibus, quod Novatiani poſtea ſuſceperunt. In eo confutando hìc non immorabor, cùm ſuperiùs cap.23. §.4. agens de Montaniſtis ſatis contra illud egerim. Modò addam huic errori reſiſtere, tum Vetus, cum Novum Teſtamanentum. Nam ſi Vetus, conſulimus, invenimus ſecundas nuptias, nedum permiſſas, ſed præceptas, cùm Deuteron.25. v.5. dicatur: *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus & ſuſcitabit ſemen fratris ſui*. Cui addi poſſunt exempla: Abrahæ, qui poſt mortem Saræ primæ uxoris duxit ſecundam nomine Cethuram Gen. 25.; Ruth mulieris à Scriptura laudatæ, quæ mortuo primo viro Mahalon, nupſit ſecundo viro nomine Booz (Ruth. cap.4. v. 13.)

Ne autem dicant tempore Veteris Legis hoc, ſicut etiam pluralitatem uxorum, licuiſſe, non autem nunc in Lege Gratiæ; audiatur Paulus novæ Legis Doctor, qui ad Romanos ſcribens cap.7. v.3. ait: *Mulier vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Et 1. ad Cor. 7. v. 39. Mulier alli-

alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat: tantùm in Domino. Ab his adeò claris novâ blaſphemiâ ſe extricare conabantur Cataphryges dicendo, Paulum non plenè fuiſſe imbutum Spiritu Sancto, ſed ſolùm ex parte prophetaſſe, ideòque non eſſe illi aſſentiendum, ſed Montano, in quem ejuſque Prophetiſſas plenitudo Spiritus Sancti effuſa erat. Sed hanc inſanam blaſphemiam ſupra rejeci.

§. III.

Errores Catholicis, ac Tertulliano à Danæo tributi.

I. NUnc agendum nobis eſt cum Danæo, qui Catholicis Montani & Tertulliani nævum affingit, quòd bigamos ab Epiſcopatu ac Presbyteratu arceant, ait enim hoc cap. 86. „ Papiſtarum ſententia de bigamis hinc orta. Ambroſius L. 1. de Officiis cap. ultimo, una tantùm, nec repetita nobis copula permittitur, & in ipſo conjugio lex eſt non iterare conjugium. Quod quantùm ab hoc errore Tertulliani diſſideat, non video: uti nec illud, quomodo ferè Montaniſtæ non ſint, qui eos qui ad ſecundas convolant nuptias, Bigamos probroſè vocant, & ab omni dignitate Eccleſiaſtica arcent „. Ita de more nos onerat perpetuus calumniator Danæus. Qui ſicut ex eo quòd Eccleſiaſticis inire nuptias Eccleſia Catholica vetat, dicere audet, eam cum Manichæis, Tatianis, & Encratitis nuptias ut illicitas damnare: ita ex quo ſecundis nuptiis implicitos ab Ordinum ſuſceptione rejicit, ſecundas nuptias cum Tertulliano & Montaniſtis eam prorsùs rejicere, aſſerere non erubeſcit.

II. Hujus impoſtoris ineptam calumniam detegit ac refellit S. Hieronymus in cap. 1. Epiſt. ad Titum, ubi ait: *Montanus & qui Novati ſchiſma ſectantur, nomen ſibi munditiæ præſumſere: putantque ſecunda matrimonia ab Eccleſiæ communione prohibenda: quum Apoſtolus de Epiſcopis & Presbyteris hoc præcipiens, utique in cæteris relaxarit: non quòd hortetur ad ſecunda Matrimonia; ſed quòd neceſſitati carnis indulgeat. Scripſit & Tertullianus de Monogamia librum hæreticum; quem Apoſtolo contraire, nemo qui Apoſtolum legerit, ignorabit*. His apertè oſtendit S. Hieronymus: Primò, quàm ab errore Montani, Novatiani, & Tertulliani aliena ſit Catholica doctrina, quæ ſolis Epiſcopis ſecundas nuptias cum Paulo interdicit, ubi illi omnibus Chriſtianis eas interdictas eſſe volebant. Unde Epiſt. 27. (aliàs 54.) ad Marcellam contra quoſdam Danæo ſimiles, qui volebant in aliquibus cum Montani dogmati-

bus

Digitized by Google

bus Eccleſiam convenire, oſtendens quantum interſit inter illius errores & Eccleſiæ ſententiam, præter alia: *Nos*, inquit, *ſecundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus, Paulo jubente, ut viduæ adoleſcentulæ nubant: illi in tantum putant ſcelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur*.

III. Secundò, idem S. Hieronymus oſtendit, Eccleſiæ Canones bigamos à Sacris Ordinibus ſuſcipiendis arcentes, fundari in præcepto Pauli Apoſtoli ad Titum, & ad Timotheum ſcribentis, inter cæteras conditiones Epiſcopi hanc eſſe, ut ſit *unius uxoris vir*. Quod exponens S. Thomas in cap. 1. Epiſt. ad Titum Lect. 2. dicit, quòd, cur Apoſtolus voluerit ordinandum in Epiſcopum unam tantùm & non plures habuiſſe uxores: *Secundùm quoſdam ratio hujus eſt, quia ſignum eſſet incontinentiæ ſi plures habuiſſet. Sed hoc non eſt verum: quia nihil repugnaret, ſi plures habuiſſet meretrices, quæ ſunt magis incontinentes. Sed eſt alia ratio altior ſignificato. Scilicet quia eſt diſpenſator Sacramentorum: & ideò nullus defectus Sacramentorum debet eſſe in eo: ſed Sacramentum Matrimonii eſt ſignificativum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ: ergo ut ſignum reſpondeat ſignato; ſicut Chriſtus eſt unus & Eccleſia una; ſic & hic: quod quidem deficeret, ſi Epiſcopus plures uxores habuiſſet. In veteri autem Lege Patriarchæ ſignificabant conjunctionem hanc, non ut conjunctam Chriſto, ſed conjungendam: & cùm Ecceleſia erat futura ex multis; ideò tunc non una, ſed plures habebantur. Et ideò multitudo uxorum ipſorum hoc ſignificabat*. Ita S. Thomas qui eadem docuerat in cap. 3. primæ ad Tim. Lect. 1. Sed hæc ſufficiant maximè ad detegendam malitiam Danæi volentis in hoc aſſimilare nos Montaniſtis. De hoc aliqua etiam dixi in Vera Eccleſia Tom. 2. p. 1. art. 5. §. 2. num. 7. & §. 8. num. 42. & alibi.

IV. Alios errores Tertulliano tribuit inter cæteros Danæus hic. Primò, quòd Mariam poſt Chriſtum editum ſemel nupſiſſe aſſereret, ac proindè Helvidius in hujus ſui erroris præſidium Tertullianum adduceret; ut conſtat ex S. Hieronymo Lib. adv. Helvidium, ubi de Helvidio ait: *Tertullianum in teſtimonium vocat*. Cui ita reſpondet: *Et de Tertulliano quidem nihil ampliùs dico, quàm Eccleſiæ hominem non fuiſſe*.

V. Secundò: quòd diceret, Paracletum & novæ prophetiæ Spiritum, quem falsò Cataphryges jactabant ſe accepiſſe, & uberiorem quidem, quàm ipſi Domini noſtri Diſcipuli. De hoc paſſim gloriatur maximè in Lib. adverſus Praxeam in fine, & Lib. de Monogamia. Nec mirùm ſi factus Montaniſta hanc inſaniam, quæ Montaniſtarum præcipuum fundamentum erat, Tertullianus conceperit.

Digitized by Google

VI. Tertiò. Chriſtianum hominem bonâ conſcientiâ ſub principe ſuo, ſi ſit ethnicus, militare non poſſe, imò omnium armorum uſum interdictum eſſe Chriſtianis aſſerebat; unde in Lib. de Idololatria, eos judices qui capitales & criminales vocantur apud Chriſtianos eſſe vetat, eâdem ratione, quâ uſum gladii Chriſtianis adimit. In hoc errore concordes fuere Manichæi, eumque ex parte ſuſcepit Lutherus, qui ait non licere Chriſtianis bellum gerere contra Turcas.

VII. Quartò. De Trinitate etiam duriùs fuiſſe locutus dicitur. Nec mirùm. Qui enim ut ſupra dixi, Deum corporeum eſſe fingebat, de Trinitate Perſonarum Catholicè ſentire & loqui non poterat.

Concludit Danæus „ Itaque jam pridem Tertulliani Opuſcu-
„ la damnata ſunt communi quodam conſenſu Eccleſiæ, ut appa-
„ ret ex Can. Sancta diſt. 15. Quædam autem tribuuntur Tertul-
„ liano quæ non ſunt erronea, veluti quòd panem & vinum in
„ Cœna Domini figuram & ſymbolum corporis & ſanguinis ipſius
„ eſſe dixerit in Lib. 4. adv. Marcionem. Sed ſic etiam Papæ ſunt
„ loquuti, uti Hilarius II. in Can. Corpus Chriſti de Conſecrat.
„ diſt. 2. ut intelligant Papiſtæ, quantùm à Capitis ſui doctrina
„ diſceſſerint „. His Danæus ſuum Calviniſticum dogma de Euchariſtia, in Tertulliano ab errore purgare conatur.

VIII. Fallitur tamen, aut fallere Danæus vult. Non erravit Tertullianus cum Lib. 4. adv. Marcionem cap. 40. de Chriſto dixit: *Corpus ſuum illud fecit, hoc eſt Corpus meum, ideſt figura Corporis mei*. Quia non in ſenſu Calviniſtico, ſed Catholico locutus fuit. Nam dum panem Euchariſticum appellat *figuram Corporis ſui*, illum figuram non vacuam & inanem eſſe intendit, ſed plenam & continentem id quod figurat, ſicut S. Auguſtinus Libro contra Adimantum cap. 12. ſanguinem vocat ſignum animæ, non nudum & vacuum, ſed plenum & continens animam cujus eſt ſignum. Sic & nos Euchariſtiam appellamus Sacramentum (ideſt ſignum) Corporis & Sanguinis Domini, non inane & vacuum ut Calviniſtæ contendunt, ſed plenum, & re ipsâ continens corpus & ſanguinem Domini, cujus Sacramentum viſibile ſignum eſt. Hanc autem eſſe phraſim Tertulliano ſolitam colligo ex iis quæ contra Marc. Lib. 5. cap. 20. dicit: ubi Marcionitis dicentibus, Chriſtum veram carnem non habuiſſe, quia in effigie ſervi, in ſimilitudine hominis, & in figura inventus homo, non ſubſtantiâ, ideſt non carne, reſpondet: *Quaſi non figura & ſimilitudo & effigies ſubſtantiæ quoquè accedant*, & probat. Nam Chriſtus dicitur etiam figura, & ſimilitudo Dei; & tamen verè & in ſubſtantia eſt Deus. Sed in hoc modò

modò immorari non vacat. Satis ſit Danæo oſtendiſſe, Tertullianum in hoc Catholicum, non Calviniſtam fuiſſe, nec nos à Veteris Eccleſiæ doctrina, ſed ipſum ac ſui ſimiles receſſiſſe. Qui plura optaverit adeat Veram Eccleſiam Tom. 2. p. 2. art. 12. §. 9. num. 88. ubi contra Piceninum contendentem ſtare pro ſe Tertullianum, pro veritate non pauca dixi.

§. IV.

De Abeloitis.

I. MIrum ſanè erat, ſi quemadmodum de Adamo errarunt Adamitæ, de Cain Cainitæ, de Seth Sethiani, ita non fuiſſent, qui de Abel aliquem errorem conciperent, dicti proindè Abeloitæ, ſeu Abeliani, vel Abelonii. Hos unicus quem noverim, prodidit S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 87. ſequentibus verbis: *Eſt quædam hæreſis ruſticana in campo noſtro, ideſt Hipponenſi, vel potiùs fuit. Paulatim enim diminuta, in una exigua re illa remanſerat, in qua quidem pauciſſimi, ſed omnes hìc fuerunt, qui omnes modò correcti & Catholici facti ſunt, nec aliquid illius ſuperſedit erroris. Abelonii vocantur Punicá declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ nominatos, qui eſt vocatus Abel, unde Abelianos, vel Abeloitas eos poſſumus dicere. Non miſcebantur uxoribus, & eis tamen ſinè uxoribus vivere ſectæ ipſius dogmate non licebat. Mares ergo & feminæ ſub continentiæ profeſſione ſimul habitantes, puerum & puellam ſibi adoptabant in ejuſdem conjunctionis pacto ſucceſſores ſuos futuros. Morte præventis quibuſque ſingulis alii ſubrogabantur, dum tamen duo duobus diſparis ſexus in illius domus ſocietate ſuccederent. Utrolibet quippè parente defuncto, uni remanenti uſque ad ejus quoque obitum filii ſerviebant: poſt cujus mortem etiam ipſi puerum & puellam ſimiliter adoptabant. Nec unquam eis defuit, unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, & filios ſuos inopes ad ſpem hæreditatis alienæ donantibus libenter.*

II. Ex præfatis S. Auguſtini verbis apparet, hæreſim hanc in ſolis campis, & apud ruſticanos homines locum habuiſſe, & vix enatam interiiſſe. Cùm circa tempora Auguſtini exorta, ante ejus mortem penitùs fuerit extincta: exorta quidem ſub Arcadio Imperatore, & Anaſtaſio Rom. Pont. circa annum 403. Extincta verò paulò poſt ſub Theodoſio Juniore, ut Auguſtino jam ſene cùm Librum de Hæreſibus ſcripſit, eam penitùs deſiiſſe dicat. Quis fuerit auctor, S. Auguſtinus non dicit, & ideò ignoratur. Quicumque fuerit, ab Encratitis & Tatianis ſuum errorem ex parte

 hau-

hauſit. Nam non damnabat nuptias, ut illi, imò eas volebat, ſed nuptiarum effectum nempè nuptorum concubitum, & prolis generationem tamquam Diaboli, non Dei, opus, & vetitum Chriſtianis interdicebat: fortè partes corporis generationi ſervientes à Diabolo eſſe cum Paternianis, de quibus ſupra, ſentiens, & loco ejus adoptionem inducens. Vel quia ex opere generationis peccatum originale naſci, & in homines propagari dicebat, & ideò diſplicere Deo.

III. Propterea autem Sectæ hujus profeſſores Abelianos ſe dictitabant; quia exemplum Abelis (qui à S. Auguſtino ejus ſocietatis, quæ eſt Civitas Dei & Eccleſia, princeps & primus dicitur) ſe imitari gloriabantur, ut quem etſi conjugem fuiſſe admittebant, uſum tamen conjugii cum uxore ſua numquam habuiſſe aſſerebant, eo quia Moyſes, qui de ſobole Cain & Seth mentionem facit, Abelem filios habuiſſe non commemorat. Sed cum Moyſes, nedum Abelem filios ſuſcepiſſe taceat, ſed eum uxorem habuiſſe prætermittat, dici debebit, Abelem non habuiſſe filios, quia cum à Cain occiſus fuit, nondum uxorem acceperat, ideòque ad ſui erroris patrocinium Abelis exemplum temerè eos attuliſſe.

IV. Sed error iſte, dum conjugium probat, & uſum conjugii damnat, ſe ipſum interimit. Ad quid enim à Deo inſtitutum fuit conjugium, niſi ut humanum genus illius uſu multiplicaretur? Geneſis enim 1. v.28. poſt illa verba *maſculum & feminam creavit eos* ſtatim ſubjungitur: *Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini & replete terram?* Quomodo autem creſcere & multiplicari poterant, niſi generatione filiorum? Et cap.2. Videns Adam mulierem de ſe formatam dixit: *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*, ubi non dixit in *anima una*, ſed in carne una.

V. Neque dicas, hæc dicta fuiſſe antequam primi parentes peccarent, tunc enim generatio carnalis licita erat. Nam hoc idem Geneſis 9. ſemel atque iterum legitur dictum à Deo Noe poſt Diluvium v. 1. *Benedixitque Deus Noe & filiis ejus. Et dixit ad eos: Creſcite & multiplicamini & replete terram*; quod repetitur v.7. Et cap.22. ſemini Abrahæ benedictiones multiplicavit, ex quo proditurus erat Meſſias. Quæ autem ex Geneſi c.2. retuli confirmavit Chriſtus Matth. 19. eaque Paulus Epheſiis ſcripſit cap.5. ubi poſt illa verba: *Erunt duo in carne una*, addit, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*. Et ad Hebræos 13. *Honorabile*, inquit, *connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Super quæ ait S.Th. Lect.1. *Ex quo patet, quòd actus matrimonialis poteſt eſſe ſinè peccato, quod eſt contra hæreticos*.

VI. Non

Digitized by Google

VI. Non diffiteor, abſque actu conjugali veram conjugii ſubſtantiam ſubſiſtere: qua ratione ſuperiùs Tom.4. p.1. cap. 4. §.2. oſtendi inter Mariam & Joſeph verum fuiſſe conjugium, quamvis inter illos numquam fuerit nec futurus eſſet ullus conjugii actus. Quod exemplum imitati aliqui Sancti conjuges in conjugio cælibes mutuo conſenſu permanſerunt. Unde S. Auguſtinus Lib.2. de Conſ. Evangeliſt. cap.1. *Exemplo*, inquit, *Joſeph & Mariæ magnificè inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervatá pari conſenſu continentiá, poſſe permanere vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu*. Cujus rationem dat S. Thomas in Supplem. 3.p. q.42. art.4. Quia *Duplex eſt integritas. Una, quæ attenditur ſecundùm perfectionem primam, quæ conſiſtit in ipſo eſſe rei. Alia, quæ attenditur ſecundùm perfectionem ſecundam, quæ conſiſtit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio eſt quædam operatio, ſivè uſus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur: ideò carnalis commixtio erit de ſecunda integritate matrimonii, & non de prima*. Quare ut in argum. Sed contra: dicit: *In Paradiſo fuit matrimonium: ſed ibi non fuit carnalis copula*.

VII. Abſtinere tamen in conjugio à carnali commixtione, non amore caſtitatis, ſed quia illicita talis commixtio & procreatio filiorum exiſtimetur, ut putabant Abelonii, hæreſis eſt. Contra quam idem S. Thomas loco citato q.41. art. 3. agit primò quidem in arg. Sed contra. 1. *Cor. 7. dicitur* „ Si nupſerit virgo non peccavit „. *Et* 1. *Timoth. 5.* „ Volo juniores nubere, & filios procreare „: *Sed procreatio filiorum non poteſt eſſe ſinè carnali conjunctione: ergo actus matrimonialis non eſt peccatum, aliàs Apoſtolus non voluiſſet illud*. Prætereà: *Nullum peccatum eſt in præcepto: ſed actus matrimonialis eſt in præcepto* 1. *Cor.* 7. „ Uxori vir debitum reddat „ *ergo non eſt peccatum*. In corpore autem articuli ita diſcurrit: *Suppoſito quòd natura corporalis ſit à Deo bona inſtituta; impoſſibile eſt dicere, quòd ea quæ pertinent ad conſervationem naturæ corporalis, & ad quæ natura inclinat, ſint univerſaliter mala. Et ideò cùm inclinatio ſit naturæ ad prolis procreationem, per quam natura ſpeciei conſervatur: impoſſibile eſt dicere, quòd actus, quo procreatur proles, ſit univerſaliter illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non poſſit: niſi ponatur ſecundùm quorumdam inſaniam, quòd res corruptibiles creatæ ſunt à malo Deo: ex quo fortè derivatur illa opinio, quæ in litera tangitur: & ideò eſt peſſima hæreſis*.

VIII. Quòd ſi dixeris, actum matrimonii ſemper habere adjunctam concupiſcentiam, & ideò ſemper eſſe turpem: & rursùs dare operam peccato originali, quod prolis conceptionem concomitatur.

Di-

Dicam ad primùm cum S. Thoma laudato loco ad 3. *Quòd turpitudo illa concupiſcentiæ, quæ actum matrimonialem ſemper concomitatur, non eſt turpitudo culpæ, ſed pœnæ ex peccato primo proveniens, ut ſcilicet inferiores vires & membra corporis rationi non obediant. Et ideò propter hoc ratio non ſequitur.*

Ad ſecundùm ſimiliter dico, quòd conceptionem prolis peccatum originale ſemper comitetur, non eſſe ex ipſa natura actus matrimonialis, ſed ex vitio ſeminis à peccato Adæ contracto. Unde cum ex alio principio procedat, non reddit actum conjugalem illicitum.

IX. Itaque contra Abelianos ſic claudam. Qui hanc tuentur hæreſim ſe ipſos damnant. Nam ex conjugali concubitu à muliere & ſemine viri ipſi generati ſunt; quo fit, ut neceſſariò vel ſe ipſos condemnent, vel actum conjugii probent. Si enim ſe bonos eſſe & ſalutis capaces putant, neceſſe eſt, ut conjugalem actum per quem prodierunt bonum eſſe dicant. Si verò actum illum abominabilem eſſe contendant, oportebit ut quidquid ex illo prodierit, abominabile eſſe fateantur.

CAPUT LXXII.

De Pelagianis.

§. I.

Pelagii perſona, & indoles, ſocii in hæreſi, & ejus ortus.

I. EX Hæreſibus, quas S. Auguſtinus in ſuo Libro ad Quodvultdeum collegit, hæc Pelagianorum poſtrema eſt, quæ ipſo jam ætate provecto evulgari cœpit. Unde cap. 88. *Pelagianorum*, inquit, *eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima, à Pelagio Monacho exorta, quem Magiſtrum Cæleſtius ſic ſequutus eſt, ut ſectatores eorum Cæleſtiani etiam nuncupentur*. Celebris inter Pelagianos fuit etiam Julianus, contra quem Libros ſcripſit S. Auguſtinus: ab eo tamen nomen hæreſis non accepit, quia ut idem S. Doctor Lib. 2. de Nuptiis & Concupiſc. cap. 7. & 41. Pelagii & Cœleſtii diſcipulus & cliens extitit, acerrimus quamvis accepti à præceproribus erroris propugnator, ac vindex.

II. Hic Pelagius natione Britannus fuit. Cœperat enim tunc Britannia in Gallia nuncupari ea Galliæ poſtrema plaga, in quam Britanni, qui nunc Angli dicuntur, ex Albione inſula, & è patriis ſedibus partim à Maximo tyranno traducti fuerant, ut Martinus Polo-

Polonus in ſuo Chronico tradit, ut eorum imperium propagaretur, partim Scotis populis & Anglis (qui ſunt Saxonici populi) qui Vertunegaro duce, ut ait Pomponius Lætus, pulſi fuerant: quod ſub Valentiniano II. accidit ante hanc hæreſim enatam. Hæc ſcribit Danæus hoc cap. 88., qui etiam diſtinguit hunc Pelagium hæreticum à Pelagio Samoſatenſi Epiſcopo, qui fuit vir pius & Orthodoxus, & ante hunc ſub Valente vixit; cujus meminit Theodoritus Lib. 4. Hiſt. cap. 13.: itemque ab alio Pelagio, qui Tarentus dictus eſt, ætate quidem iſti coævo, ſed viro Catholico.

III. Pelagius ergo, de quo eſt ſermo, in Syriam Palæſtinæ profectus, cum ibi habitum Monachi induiſſet, &, ut S. Auguſtinus ſcribit, ad Presbyteratus, vel ut alii volunt, etiam ad Epiſcopatus Ordinem, eſſet promotus, ibi conceptos effundere cœpit errores, quibus brevi totam ferè Syriam inquinavit. Quod contigit Theodoſii Junioris Imperatoris, & Innocentii I. Romani Pontificis temporibus circa annum Domini 415. Danæus verò vult, Pelagium fuiſſe Monachum primùm Romæ; poſtea verò ad presbyterii dignitatem evectum & Epiſcopalem, ut aliqui ſentiunt. Quum autem egreſſus Româ peregrè ageret in Syria, Novatianorum & Meletianorum, ideſt Operiſtarum, qui plurimi in illis regionibus erant, veneno ſemel hauſto, longiùs progreſſum eſſe.

IV. Igitur in Syria cœpit hæreſis; ſed cùm delata fuiſſet ad illius regionis Epiſcopos, in Synodo Palæſtina damnata fuit. Sed tali arte Pelagius, partim negando, partim emolliendo errores ſuos tegere ſtuduit, ut circa finem anni 415. à Concilio Dioſpolitano Catholicus declaratus fuerit. Super hoc cùm Africæ Epiſcopi anno 416. literas ad Innocentium dediſſent, is Pelagii & Cœleſtii errores ac perſonas damnavit anno 417., nullâ eis ſpe gratiæ relictâ, niſi pœnitentiæ, ſi errores corrigerent. Pelagius tamen his commotus, literis ad Innocentium datis ſe purgare conatus fuit, Praylo etiam Jeroſolymitano Epiſcopo ejus partes ac patrocinium ſuſcipiente. Sed cùm mortuo Innocentio Romam literæ perveniſſent, Zozimo qui defuncto in Sede ſucceſſerat traditæ ſunt, cùm Pelagius ipſe paulò ante ad dicendam cauſam ſuam Romam adventaſſet.

V. Porrò Zozimus verbis unius & ſcriptis alterius ſuſpenſus, Patroclo etiam Arelatenſis Eccleſiæ invaſore viro vaferrimo pro Pelagio perorante, pro veritate habenda ad Epiſcopos Africæ fortes literas dedit, injungens eis, ne in re adeò gravi reſponſum ultra bimeſtre protraherent, cùm antea de Cœleſtio ad eos ſcripſiſſet. Accepto itaque Africanorum Antiſtitum reſponſo, Zozimus menſe Martii anni 418. Pelagium & Cœleſtium ſolemniter condemna-

demnavit, de quo ad omnes Epiſcopos Epiſtolam ſcripſit.

Damnatus itaque etiam Romæ Pelagius, ſed non deterritus, in Angliam profectus, ibi ſuæ hæreſis virus palàm evomere cœpit, ac brevi tempore Inſulam illam infecit. Fideles autem qui ibi erant, cùm hac de cauſa à Gallicanis Epiſcopis auxilium & favorem imploraſſent, eò quòd apud eos purior quàm apud reliquas vicinas nationes foret Evangelii doctrina, Germanum (ut inquit Beda Libro de ratione temporum) & Lupum Epiſcopos & fratres, & egregios fidei Catholicæ defenſores, ac doctrinam vitæ ſanctimoniâ exornantes, ad eos Galli miſerunt: qui Antiſtites ab erroribus Pelagii Inſulam tandem repurgarunt, eam in fide & verbo veritatis etiam miraculorum ſignis atque portentis confirmantes.

VI. Ex hactenus dictis apparet, qualis fuerit indole Pelagius; homo ſcilicet vaferrimus & ſubdolus, juxta rerum circumſtantias modò errores ſuos fraudolenter tegere, modò apertè prodere paratus, necnon eos qui ei reſiſtebant minis deterrere. Hanc Pelagii artem detegit ac ſimul reprehendit S. Hieronymus Epiſt. 43. ad Cteſiphontem his verbis: *Qui dicis te habere arbitrii libertatem, quare non liberè quod ſentis loqueris? Aliud audiunt cubiculorum tuorum ſecreta, aliud roſtrorum populi. Etenim vulgus indoctum non poteſt arcanorum tuorum onera ſuſtentare, nec capere ſolidum cibum, quòd infantiæ lacte contentum eſt. Nedum ſcripſi & comminaris mihi reſcriptorum tuorum fulmina, ut ſcilicet hoc timore perterritus, non audeam ora reſerare: & non animadvertis, idcircò nos ſcribere, ut reſpondere cogamini, & apertè aliquando dicere, quod pro tempore perſonis & locis vel loquimini vel tacetis. Nolo vobis liberum eſſe negare quod ſemel ſcripſeritis. Eccleſiæ victoria eſt, vos apertè dicere quod ſentitis. Aut enim idem reſponſuri eſtis, quod & nos loquimur, & nequaquam eritis adverſarii ſed amici. Aut ſi contraria noſtro dogmati dixeritis, in eo vincemus, quòd omnes cognoſcent Eccleſiæ, quid ſentiatis.* His & aliis ad dicendum provocat Pelagium Hieronymus, ejus reſponſa impavidè contemnens. Habitum fuiſſe Pelagium hominem non indoctum, & Libros etiam ſcripſiſſe aſſerit S. Auguſtinus, quorum ſparſim meminit Lib. 4. de Libero Arbitrio, nempè Librum de Fide ſua: & ad Virginem Sacram, ad Virginem Demetriadem, Epiſtolas ad Innocentium I., ad Paulinum & Conſtantinum Epiſcopos.

VII. Pelagii Libros indicat etiam S. Hieronymus Lib. 1. adv. Pelagianos; ubi notat, Pelagium plerumque ad feminas ſcripſiſſe, quas ſibi conciliare, & quibuſcum cœtus habere magnoperè ſtudebat: *Verùm tu*, inquit, *tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco ſcripſeris, ſcientiam legis*

etiam

etiam feminas habere debere: quum Apoſtolus doceat (1. Cor. 14.) *eſſe tacendum mulieribus in Eccleſia, & ſi quid ignorant, domi viros ſuos debere conſulere. Nec ſufficit tibi dediſſe agmini tuo ſcientiam Scripturarum, niſi earum voce & canticis delecteris. Jungis enim & ponis in titulo, quòd & feminæ Deo pſallere debeant. Quis enim ignorat pſallendum eſſe feminis in cubiculis ſuis: & abſque virorum frequentia & congregatione turbarum? Verùm tu donas quod non licet: ut quod verecundè facere debeant, & abſque ullo arbitrio, magiſtri auctoritate proclament*. Et Lib. 3. adv. Pelag. eum arguit, quòd viduæ cuidam adeò adularetur, ut diceret, pietatem, quæ nuſquam reperitur in terra, in ea ſola inveniri. Sed hic hæreticorum mos fuit, ut ſuos faciliùs inſinuarent errores, feminas ad ſeducendum faciliores exquirere adjutrices.

VIII. De Cœleſtio, quem ſupra dixi fuiſſe Pelagii diſcipulum ejuſque in hæreſi ſpargenda fidum adjutorem, cujus patriæ ac gentis fuerit, ignoratur. Si ex domicilio conjicere licet, cùm iſtud in Africa habuerit, Afrum fuiſſe dici poſſet. Fuit & ipſe Monachus, adeòque Pelagio adhærens, ut terrarum Orbem invicèm partiti, Pelagius in Oriente Italia Gallia & Anglia per Leporium Monachum teſte Caſſiano hoc virus ſparſerit, Cœleſtius in Africa ubi morabatur: unde Pelagiani Cœleſtiani etiam S.Auguſtino aſſerente dicti ſunt. Contra quos hic S. Doctor unà cum Alipio adeò ſtrenuè dimicavit, ut S. Hieronymus in Epiſt. ad Alipium & Auguſtinum (modò 81. aliàs 79.) anno 419. ſcripta eis ita gratuletur: *Si poſſet fieri, aſſumtis alis columbæ veſtris amplexibus implicarer: ſemper quidem pro merito virtutum veſtrarum, ſed nunc maximè, quia cooperatoribus & auctoribus vobis, hæreſis Cœleſtiana jugulata eſt*. Rationibus ſophiſticis errores ſuos probare Cœleſtius conabatur: ejus tamen ſexdecim argumenta in Libro de Perfectione juſtitiæ S. Auguſtinus refellit.

IX. Præfatis in hac hæreſi propaganda acceſſit Julianus Capuanus Epiſcopus, quem celebrem reddidere Libri, quos S.Auguſtinus extremis vitæ ſuæ annis contra eum ſcripſit, quibus Julianus alios pro ſua hæreſi oppoſuit. Vir enim erat acer ingenio, & in Divinis Scripturis ſatis eruditus. Hic, ut refert Gennadius in Catal. Illuſtrium Virorum, tempore famis & anguſtiæ cùm indigentibus omnes facultates ſuas erogaſſet, tot nobiles & præcipuè religioſos viros hâc ſuâ miſeratione ad ſe pellexit, ut eos tandem ſuæ hæreſis fautores ac ſocios effecerit. Ideò hæc miſeratio nihil ei profuit teſte Paulo 1. Cor. 13. v. 3. quia nec veram fidem, nec proinde veram caritatem habuit. Eâdem ratione pœnitentiam tempore S. Proſperi ſimulaſſe fertur, ut in Eccleſiam admiſſus

 plures

plures corrumpere poſſet; ſed à Sixto Romano Pontifice recipi vetitus eſt.

X. Hæreſis hæc toto ferè Orbe, & quidem citò, ſparſa fuit & ſuſcepta. Nec mirum. Ea enim quæ humanæ libertati adeò favebat, ut totum poneret in ejus poteſtate, quæ Deum humani arbitrii faciebat pediſequum, quæ hominem à peccato liberabat, aliaque homini favorabilia prædicabat, vix audita ad ſe trahebat, & latis ulnis excipiebatur. Diutiſſimè etiam perſtitit. Nam etſi quinque Conciliis damnata, nimirùm Palæſtino, cui teſte Proſpero pluſquam 200. Epiſcopi interfuere, Carthaginenſi II., Milevitano, Epheſino I., & Arauſicano II.; liberè tamen ſub Pelagiano nomine duravit ſub Juſtino Imperatore qui etiam ei favit; & ſub S. Gregorio Magno, ut apparet ex ejus Epiſt. Lib. 6. Epiſt. 14. & Lib. 7. Epiſt. 34. Martiano Imperatore. Addit Danæus, hæreſim hanc renovatam fuiſſe ſeculo XII. à Petro Abailardo; & manere adhuc in Papatu, ubi Semipelagiſmus apertè docetur. Sed primum ſomniando dixit, quia Abailardi errores à Pelagianis diverſos invenio; ſecundum verò delirando effutiit, ut oſtendi in Vera Eccleſia Tom. 2. par. 1. art. 7. §. 2. & alibi.

§. II.

Error Pelagii de Gratia Dei.

I. ERrorem Pelagii circa gratiam Divinam S. Auguſt. hoc c. 87. ita exponit: *Hi Dei Gratiæ (quâ prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, & quâ eruimur de poteſtate tenebrarum, ut in eum credamus, atque in regnum ipſius transferamur, propter quod ait,* „ Nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo, „ *& quâ diffunditur caritas in cordibus noſtris, ut fides per dilectionem operetur) in tantum inimici ſunt, ut ſinè hac poſſe hominem credant facere omnia Divina mandata: quum ſi hoc verum eſſet, fruſtra Dominus dixiſſe videretur* „ Sinè me nihil poteſtis facere „. *Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correctioni eorum hactenus ceſſit, ut non eam libero arbitrio præponere, ſed infideli calliditate ſupponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per gratiam. Dicendo utique* ut faciliùs poſſint, *voluit credi, etiamſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſinè gratia Divina facere juſſa. Illam verò gratiam Dei ſinè qua nihil poſſumus facere, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio, quo nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accepit noſtra natura, ad*

hoc

hoc tantùm ipſo adjuvante per ſuam Legem & doctrinam, ut diſcamus quæ facere & quæ ſperare debeamus: nos autem ad hoc per donum Spiritus Sancti, ut quæ didicerimus eſſe facienda faciamus. Ac per hoc divinitùs nobis dari ſcientiam confitentur, quâ ignorantia pellitur: caritatem autem dari negant, quâ piè vivitur, ut ſcilicet quum ſit Dei donum ſcientia quæ ſinè caritate inflat, non ſit Dei donum ipſa caritas, quæ ut ſcientia non inflet, ædificat. Deſtruunt etiam orationes quas facit Eccleſia, ſivè pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, ut convertantur ad Deum, ſivè pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, & perſeverent in ea. Hæc quippè non ab ipſo accipere, ſed à ſe ipſis homines habere contendunt, gratiam Dei quâ liberamur, dicentes ſecundùm merita noſtra dari. Quod quidem Pelagius in Epiſcopali judicio Palæſtino damnari metuens, damnare compulſus eſt: ſed in poſterioribus ſuis ſcriptis hoc invenitur docere. Ita S. Auguſtinus Pelagianum errorem de Gratia Dei exponit ſimul & improbat.

II. Ex his apparet, Pelagium initio Gratiam Dei per Jeſum Chriſtum neceſſariam eſſe negaſſe ad fidem & vitam æternam abſolutè conſequendam, & ad Divina mandata ſervanda, ſed hæc omnia liberi arbitrii viribus poſſe præſtari; poſteà verò de hoc correctum, Gratiam admiſiſſe ad faciliùs ſolùm ea implenda, cùm tamen, etſi difficiliùs, omnia per vires liberi arbitrii facere poſſet. Tertiò, Gratiam, quam admittebat, in ſola Lege & Doctrinâ conſiſtere, quâ ſcilicet nobis aperiatur quid ſcire, quid appetere debeamus aut vitare, non autem per illam nobis præſtari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, & opere impleamus: ideòque dixiſſe, nos à Deo accipere quidem ſcientiam, ſed non caritatem. Quartò tandem gratiam dari ſecundùm merita, ideòque pro ea obtinenda non eſſe Deum orandum. Hæ ſunt Pelagii contra Dei gratiam blaſphemiæ.

III. Contra has clamat Scriptura Divina. Impotentiam hominis niſi à ſe moveatur oſtendit Deus Iſaiæ 10. v. 15. his verbis: *Numquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? Quomodo elevetur virga contra elevantem ſe, & exaltetur baculus, qui utique lignum eſt.* Ecce quomodo Deus ſe ipſum comparat artifici, nos autem ſecuri & ſerræ, virgæ & baculo. Sicut ergo ſecuris & ſerra numquam lignum ſcindet, niſi ab artifice ad hoc moveatur: ita noſtrum liberum arbitrium numquam bonum aliquid operari poterit, niſi ad illud à Deo moveatur: & quemadmodum ſecuris aut ſerra gloriari non poterit, quòd benè ſciderit, ſic nec homo quod benè fuerit operatus. Et ideò dicit Paulus 2. Cor. 10. v. 17. *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui ſe ipſum commendat ille probatus*

eſt, ſed quem Deus commendat. Quaſi dicat (exponit S. Th. hîc Lect.3.) *Glorior de prædictis, non quaſi hoc à me habeam, ſed à Deo*. Nam 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quod ſi ut volebat Pelagius, bona opera à ſuo libero arbitrio, non à Deo acciperet, gloriari in ſe deberet homo, non in Domino.

IV. Cum Pelagio certè non ſentiebat David, qui Pſalmo 16. omne bonum quod fecerat Deo acceptum referens, & ab ipſo perſeverantiam poſtulans v. 5. *Perfice*, inquit, *greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea*. Et Pſal. 118. v. 117. *Adjuva me & ſalvus ero, & meditabor in juſtificationibus tuis ſemper*. v.131. *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injuſtitia;* & v. 146. *Clamavi ad te, ſalvum me fac, ut cuſtodiam mandata tua*. Numquid hæc & alia non legerat dum eſſet Monachus Pelagius? David nihil in ſe, ſed totum in Deo confidens, ipſum paſſim rogat, ut ipſi det obſervantiam mandatorum, & greſſus ſuos dirigat, & perficiat ut benè ambulet in eis: ſuperbus autem Pelagius in manu ſui liberi arbitrii totam Legis obſervantiam collocans, ac totum ſuæ poteſtati reſervans, Deum ſuper his orare dedignatur.

V. Petam ergo à Pelagio, num & ipſe Orationem Dominicam aliquando recitaret? puto non negabit. Cùm igitur dicebat *Adveniat Regnum tuum*, quid petebat? Vitam æternam? An iſtam viribus arbitrii ſui poterat conſequi? Quid dum dicebat: *Et ne nos inducas in tentationem?* ne laberetur in peccatum? at juxta ipſum ſuis viribus poterat ſe ab omni peccato præſervare, imò homo ſemel juſtus, ut infra, apud ipſum peccare ampliùs non poterat, ac ſubindè nec dicere poterat: *Dimitte nobis debita noſtra*. Hoc obſervat S. Hieronymus Lib. 3. adv. Pelagianos, qui tandem ad Pelagium converſus: *Oratio ergo tua*, inquit, *Phariſæi vincit ſuperbiam, & Publicani comparatione damnatur, qui de longè ſtans oculos ad Deum non audebat attollere, ſed percutiebat pectus ſuum dicens:* „ Deus propitius eſto mihi peccatori „. *Unde profertur Domini ſententia* „ Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam, „ plus quàm ille. Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & „ qui ſe humiliat, exaltabitur „. *Apoſtoli humiliantur, ut exaltentur. Diſcipuli tui elevantur, ut corruant*.

VI. Quia verò tandem reſpondebat Pelagius, ſe orare Deum, ut eo adjuvante faciliùs aſſequatur, quod ſinè illius adjutorio difficilè conſequi poſſet, quia etſi noſtrum liberum arbitrium omnia illa per ſe poſſit, difficilia tamen ſunt illi; hanc reſpoſionem, quâ ſe tueri conatus fuit, anathemate confixit Concilium Milevitanum

num cap. 5. his verbis: *Item placuit, ut quicumque dixerit, ideò nobis gratiam juſtificationis dari, ut quod facere per liberum arbitrium jubemur, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſinè illa implere Divina mandata, anathema ſit*. Quod renovans Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 2. *Si quis*, inquit, *dixerit, ad hoc ſolùm Divinam gratiam per Jeſum Chriſtum dari, ut faciliùs homo juſtè vivere ac vitam æternam promereri poſſit, ſed quaſi per liberum arbitrium ſinè gratia utrumque, ſed ægrè tamen, ac difficulter poſſit, anathema ſit*.

VII. Et meritò. Tale enim aſſertum pugnat primò cum dicto Chriſti Jo. 15. v. 15. *Sinè me nihil poteſtis facere*: quod explicaverat exemplo palmitis, qui non poteſt fructum facere, niſi manſerit in vite. Et Jo. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*. Pugnat cum Paulo, qui 2. Cor. 3. v. 5. dicit: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Quid ad hæc Pelagius? Non ſumus ſufficientes ideſt potentes à nobis dicit Paulus. Sumus ſufficientes à nobis dicit Pelagius. Omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt, Paulus dicit: ſufficientia ex nobis, & ex Deo ſolùm facilitas dicit Pelagius. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, dicit Paulus: Pelagius autem nos ſufficientes à nobis quaſi ex nobis dicit, nedum ad cogitandum, ſed & ad volendum, & opere implendum. En Pelagium contra Chriſtum, contra Paulum: & proindè contra fidem blaſphemum. Item eidem Paulo 2. Cor. 12. ter roganti, ut ab eo diſcederet Angelus Satanæ qui eum vexabat: non reſpondit Dominus: Sufficis tibi tu ipſe vi liberi arbitrii quo frueris: ſed *Sufficit tibi gratia mea* v. 9. Sufficientiam ergo ad reſiſtendum Satanæ, non à ſe, ſed à gratia Dei habebat.

VIII. Ne verò in totum videretur Pelagius tollere gratiam Dei, dicebat, Fidem eſſe donum Dei, ſinè qua non poſſumus ſalvari: ideòque nos hoc debere Deo, quòd ſcientiam nobis dedit, quâ illum verè cognoſceremus, & ſciremus ea quæ agenda eſſent: quâ habitâ non eſſe opus ulteriori dono gratiæ aut caritatis: hanc enim donum Dei eſſe negabat & neceſſariam, ſed ſufficere ſolam fidem, quam etiam ex præcedentibus meritis dari aſſerebat: putans ſe loqui cum Paulo ad Epheſ. 2. v. 8. dicente: *Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt*.

Sed infelix non advertit, vel advertere noluit ad ea quæ Paulus ibi dicit. Nos quidem ſalvatos eſſe per fidem quæ ſalutis eſt fundamentum, ſed dicit etiam fidem eſſe ex gratia, *non ex vobis*, ideſt

Digitized by Google

ideſt ex noſtro arbitrio : quaſi, quòd unus credat, alius non, ab ipſo non ex Dei gratia ſit : unde ſubdit : *Dei enim donum eſt* . Ne autem quis putet fidem ex meritis dari , addit : *Non ex operibus* , *ut ne quis glorietur*. Et jure hoc dicebat Paulus, in quo demerita quidem, non merita ejus fidem præceſſerunt . Ne autem quis putet ſolam fidem eſſe donum Dei , non autem opera bona & maximè caritatem , ſubjungit : *Ipſius enim factura ſumus* , *creati in Chriſo Jeſu in operibus bonis* , *quæ præparavit Deus* , *ut in illis ambulemus* . En noſtra bona opera à nobis ſinè nobis à Deo præparata , ſeu prædeſtinata . *Sed* (inquit S. Th. Lect. 3. in hoc Pauli caput) *ne aliquis intelligeret* , *bona opera ſic eſſe nobis præparata à Deo ut nihil ad illa per liberum arbitrium cooperaremur* , *ideò ſubdit* „ ut in illis ambulemus ;, . *Quaſi dicat* . *Sic nobis ea præparavit* , *ut ea nos ipſi nobis per liberum arbitrium impleremus* „ Dei *enim* adjutores ſumus „ *ut dicitur* 1. *Cor*.3. *Propter quod dicebat de ſe ipſo Apoſtolus* 1.*Cor*.15. „ Gratia ejus in me, vacua non fuit , ſed abundantiùs omnibus „ laboravi : non ego autem , ſed gratia Dei mecum „ . *Signanter autem dicit* Ambulemus , *ut deſignet boni profectum*, *ſecundùm illud Jo*. 1. „ Ambulate , dum lucem habetis . . . ut filii lucis ſitis „ .

IX. Ex dictis patet primò : Fidem non ſolam aut ſcientiam ſufficere , nec ſolam eſſe donum Dei : ſed ut proſit debere adjunctam habere Caritatem & bona opera , quæ pariter donum Dei ſunt : dicit enim idem Paulus 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem* , *ita ut montes transferam* , *Caritatem autem non habuero* , *nihil ſum* . Hanc autem , ſicut & bona opera , donum à Deo eſſe , præter dicta , Philippenſibus jam fide imbutis dicit cap. 2. v. 12. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini* . *Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate* . Quibus indicat , gratiam & donum Dei eſſe tum bonam voluntatem ; tum bonæ voluntatis implementum & profectum . Hanc eſſe doctrinam quam à Tito prædicari volebat Paulus his verbis declarat cap. 2. Epiſt. ad Titum : *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus* ; *erudiens nos* , *ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria ſobriè* , *& juſtè* , *& piè vivamus in hoc ſeculo* . Et cap. 3. *Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei* , *non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos* , *ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit* , *per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti* , *quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum* , *ut juſtificati gratiâ ipſius* , *hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ* .

X. Ex dictis etiam præcipuè à S. Thoma patet ſecundò , quòd eſtò à Deo & ſuâ gratiâ in nos deſcendat omne opus bonum , hoc

tamen

d by Google

amen non lædit noſtrum liberum arbitrium, ſed expedit, roborat, teique vim ac vires confert, ut facere poſſit & faciat, quod ſe ſolo facere non poſſet. Hoc capere non valens, aut non volens Pelagius, ut liberi hominis arbitrii jura tueretur, Gratiam ſuſtulit. Alii autem ex oppoſito, ut gratiæ Dei jura defendant, in homine liberum arbitrium, vel prorsùs extinguunt, vel ferè ad nihilum redigunt. Ita præter Veteres ex modernis hæreticis Lutherus, Calvinus & iſtorum gregales, ut de Calvino oſtendi in Vera Eccleſia Tom.2. p.1. art.7. §.3., & Tom.1. cap.12. §.2. & 3.

Catholica tamen veritas in medio ſtat: Gratiæ Dei ad benè agendum neceſſitatem contra Pelagium ſtatuit, & cum ea humani arbitrii Libertatem contra recentiores Hæreticos tuetur, & quamvis de modo quo hoc fiat diverſæ ſint in Scholis Catholicis opiniones, omnes in tuenda gratia & ſimul cum ea humano arbitrio concordant. De hoc egi in Vera Eccl. Tom. 2. p.1. art.7. §.1. & 2. Omnes enim doctrinam Concilii Tridentini ſeſſ.6.cap.5. profitentes dicunt, quòd *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipſe nihil omninò agat inſpirationem illam recipiens, quippè qui illam abjicere poteſt: neque tamen ſinè gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo liberá ſuá voluntate poſſit: unde in Sacris Literis dum dicitur* „ Convertimini ad me, & ego convertar ad vos „ *libertatis noſtræ admonemur: cùm reſpondemus:* „ Converte nos Domine ad te, & convertemur „ *Dei nos gratiá præveniri confitemur*. Videantur etiam quæ paſſim dixi in Theol. ſicut etiam de Merito Juſti, ut æquus Lector ſtatuat, quàm iniquè contra nos hic oblatret Danæus dum ait, „ Dogma hoc (Pelagii) Scholaſtici interpolarunt, & adhuc ex parte retinent, „ quæ eſt ſumma Chriſtianæ doctrinæ inter eos labes, & vera „ gratiæ Dei Chriſtique beneficii abolitio. Meritis operum noſtrorum dari gratiam Dei. Hinc monſtroſa illa vocabula nata: „ Gratia de congruo & de condigno, quæ apud Papiſtas cenſentur „ aurea „. Hæc Danæus. Cùm dicere debuiſſet, ſe ac ſuos Veterum hæreticorum liberum arbitrium homini eripientium renovaſſe blaſphemiam.

XI. Opponebat inſuper Pelagius. Si Deus omne bonum quod eſt in nobis operatur, nullum ergo erit noſtrum meritum, nulla noſtra merces. Huic argumento ſe victum cum ſuis tradet Danæus, qui per gratiam omne meritum ac mercedem extingui putant. Contra quod tamen ſtat David Pſal. 118. v. 112. qui ait: *Inclinavi ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*. Stat promiſſum Chriſti Matth. 5. v.12. dicentis Apoſtolis, qui propter nomen ſuum multa paſſuri erant: *Gaudete & exultate, quo-*

quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis. Cui confidens Paulus, ac prævidens ſuæ diſſolutionis tempus inſtare 2. ad Tim.4. v.7. dixit: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus*. Si ergo Paulus, quo fortè nemo fortiùs pro gratia Dei militavit, ſperat bonis operibus ſuis & aliorum repoſitam coronam, & quidem juſtitiæ; evidens eſt, quòd poſitâ gratiâ Dei in nobis & nobiſcum operante, nec tollitur meritum, nec juſtitiæ merces & corona.

XII. Nunc Pelagio reſpondeo, objiciendo illi. Si noſtrum arbitrium ſe ſolo omnia bona operari poteſt; ergo de bonis operibus nobis non Deo gloria reddenda erit, quod falſum & impium eſſe ſuperiùs oſtendi. Dico ergo, nos ſic gloriam Deo reddere, ut noſtrum meritum non evacuemus: & ſic noſtrum meritum aſſerimus, ut gloriæ Dei nihil detrahamus. Primum dicimus, quia licèt ſinè Deo movente cor, nihil boni agere poſſimus, ſic tamen motionem illam ſuſcipimus, ut eam non ſuſcipere pro noſtro arbitrio poſſimus, & eâ adhuc ſuſceptâ noſtrâ libertate Deo ad bonum opus cooperamur. Secundum verò dicimus, quia ſic merita ponimus, ut totam dignitatem meriti habeant, quia ex nobis per Dei gratiam prodeunt, ut unuſquiſque noſtrum etiam poſt eximios pro Chriſto labores exercitos dicat cum Paulo 1. Cor. 15. v. 10. *Gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum*.

XIII. Dicebat tertiò Pelagius. Si poteſt liberum noſtrum arbitrium de bono in malum corruere: cur non etiam poterit de malo in bonum reſurgere? Dicam. Poteſt homo ſolâ voluntate in profundum puteum ſe dejicere. Nunquid poterit ſolâ voluntate indè reſurgere? Sic homo in foveam peccati ſuâ voluntate ſe dejicere poteſt, non tamen ſuâ ſolâ voluntate poteſt à peccato reſurgere: quia per peccatum perdidit Divinam gratiam, cujus auxilio poterat liberum arbitrium ad Deum reverti: & ideò dicitur Oſeæ 13. v.9. *Perditio tua Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum*.

XIV. Hunc errorem tot Eccleſiæ decretis confixum, ac per decem & ultra ſecula ſepultum, referente Lindano Dialogo 2.Dubitantii, reviviſcere in ſuis cœtibus fecerunt Lutheri diſcipuli in Saxonia. Joannes enim Pfeffingerus Paſtor Lipſienſis unà cum Lipſienſi ſchola definivit: Homo ſuis naturalibus viribus verbo aſſentiri, promiſſionem apprehendere, & Spiritui Sancto non repugnare poteſt. Heshuſius quoquè defenſione contra Calvinum aſſerit, non

ſolùm

ſolùm Lipſienſes, ſed & Wittembergenſes Theologos palàm docere, ſynergiam & cooperationem humanæ voluntatis in converſione, quâ homini non renato tribuitur facultas ſe applicandi ad gratiam, & verbo Dei aſſentiendi: & Illyricus hoc errore infectum fuiſſe Melanctonem ſcribit. Ecce apud quos error iſte Pelagii revixit; non apud Papiſtas, ut malitioſè affingit Danæus, ſed apud ſuos pſeudo-Evangelicos.

§. III.

Pelagii error de Adamo & Peccato Originali.

I. Dicebat ſecundò Pelagius, ut ex S. Auguſtino ſupra relato, quòd Adam etiam ſi non peccaſſet fuiſſet corpore moriturus, & quod non ex culpæ demerito, ſed conditione naturæ mortuus ſit. Hunc excogitavit errorem, ut inferret alterum, nempè mortem corporis non eſſe generi humano inductam ex peccato origine ab Adamo contracto quod, ut infra, negabat.

Mortem fuiſſe Adamo in pœnam peccati inflictam, videtur apertè indicare Dei comminatio Gen. 2. v. 17. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Quam comminationem Eva objecit Serpenti Geneſ. 3. v. 3. Verùm præfatis verbis Deum comminatum fuiſſe mortem potiùs ſpiritualem animæ, quàm corporis, optimè inter alios advertit Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus in Lib. ſuper Geneſ. ubi ait „ Mortem dicit animæ, non corporis, quia non eo tempore „ mortui ſunt, quando comederunt. Ergo hanc quam Deus ho„ mini minatus eſt mortem, non eam tantum debemus accipere, „ qua caro ſeparatur ab anima, ſed hanc quâ hæc alienatur à Deo, „ qui eſt vita ſua. Sicut enim corpus vivit ex anima; ita anima „ ut beatè vivat, vivit ex Deo. Ergo deſerta à Deo anima, jure „ dicitur mortua. Ex qua tres poſtea ſecutæ ſunt mortes, prima „ in anima, ſecunda in carne, tertia in damnatione. Sed ut iſtæ „ ſequerentur, prima præceſſit deſertio Dei „. Ita Eucherius „. Cui interpretationi ſuffragari videtur S. Gregorius Lib. 5. Epiſt. 14. ad Narſi Comitem. Hoc tamen dato, licèt illa Dei comminatio directè ſolam animæ mortem reſpexerit, illativè tamen etiam mortem corporis ex privatione juſtitiæ originalis ſuo tempore ſubeundam indicavit.

II. Adſunt autem clariſſima teſtimonia oſtendentia, mortem corporis, non conditione, ſed merito culpæ in Adamo ſecutam fuiſſe, ſicut & in poſteris ejus. Id enim clarè proclamat Paulus

ad Romanos tum cap. 5. v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Tum c. 8. v. 10. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: ſpiritus verò vivit propter juſtificationem*, ubi apertè diſtinguit mortem corporis per peccatum à vita animæ per gratiam. Hoc etiam demonſtrat ordo rei geſtæ cum Adamo poſt peccatum. Ei enim in pœnam, maledixit terræ Geneſ. 3. v. 17. *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ ... In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumtus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris*. Sicut ergo alias pœnalitates propter peccatum Adæ inflixit Deus, ſic & mortem quâ in terram reverteretur de qua ſumtus erat. Imò ne mortem vitare poſſet v. 22., ne manum mitteret ad lignum vitæ, & viveret in æternum, ejecit illum de Paradiſo, & poſuit ante Paradiſum Cherubim habentem flammeum gladium ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.

Audientes ergo Milevitani Patres contra hanc veritatem Pelagium oblatrantem, in Synodo cap. 1. ita contra eum ſtatuerunt: *Placuit ergo omnibus Epiſcopis, qui fuerunt in hac Sancta Synodo, conſtituere hæc quæ in præſenti Concilio definita ſunt, ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita, ut ſivè peccaret ſivè non peccaret, moreretur in corpore, ſivè de corpore exiret non peccati merito ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit*.

III. Si fortè dixeris, mortem ex natura corporis humanî provenire, quia cùm ſit ex contrariis compoſitum, naturaliter eſt corruptibile. Reſpondet S. Th. in cap. 5. ad Romanos Lect. 3. *Quòd natura humana dupliciter poteſt conſiderari. Uno mòdo ſecundùm principia intrinſeca, & ſic mors eſt ei naturalis. Unde Seneca dicit in Libro de Remediis fortuitorum: Mors natura eſt hominis, non pœna. Alio modo poteſt conſiderari natura hominis ſecundùm quod per Divinam providentiam fuit ei per juſtitiam originalem proviſum. Quæ quidem juſtitia erat quædam rectitudo, ut mens hominis eſſet ſub Deo, & inferiores vires eſſent ſub mente, & corpus ſub anima, & omnia exteriora ſub homine. Ita ſcilicèt quòd quamdiù mens hominis Deo ſubderetur, vires inferiores ſubderentur rationi, & corpus animæ indeficienter ab ea vitam recipiens, & exteriora homini, ut ſcilicet omnia ſervirent, & nullum nocumentum ex eis ſentiret. Hoc autem providentia Divina diſpoſuit propter Divinitatem animæ rationalis, quæ cùm naturaliter ſit incorruptibilis, debebatur ſibi incorruptibile corpus; ſed quia corpus quod eſt ex contrariis compoſitum oportebat*

eſſe

Digitized by Google

eſſe organum ſenſus, & tale corpus ſecundùm ſuam naturam incorruptibile eſſe non poteſt, ſupplevit potentia Divina quod deerat naturæ humanæ, dans animæ virtutem continendi corpus incorruptibiliter; ſicut faber, ſi poſſet, daret ferro ex quo cultellum fabricat, virtutem, ut rubiginem nullam contraheret. Sic ergo poſtquam mens hominis per peccatum eſt à Deo averſa amiſit virtutem continendi inferiores vires & etiam corpus & exteriora: & ſic incurrit mortem naturalem à cauſis intrinſecis, & violentiam ab exterioribus nocumentis. His hominis lapſum & originem mortis aliorumque defectuum perdoctè exponit Angelicus Doctor.

IV. At inquies: Si mors & aliæ corporis infirmitates non ex natura hominis, ſed ex peccato proceſſere, cur Chriſtus, qui corpus ex peccato non traxit, paſſibile & mortale habuit, & verè corpore mortuus eſt? De hoc videatur idem S. Thomas 3. p. q. 14., & præcipuè art. 3., ex quo reſpondeo, quòd Chriſtus iſtos corporales defectus ut mortem famem ſitim non contraxit, quaſi ex neceſſitate ex debito peccati orta: ſed voluntariè aſſumſit, ut qui venerat pro peccato alterius, ideſt hominis, ſatisfacere, pœnam pro peccato illius debitam in ſe ſuſciperet. Cæterùm ſicut accepit naturam humanam in illa puritate quoad animam, quam habuit in ſtatu innocentiæ: ita ſi voluiſſet, potuiſſet eam accipere ſinè omni defectibilitate etiam quoad corpus.

V. Alter, & quidem præcipuus, Pelagii error fuit circa Peccatum Originale, quod negabat ab hominibus ex Adam per originem deſcendentibus contrahi, & dicebat homines non origine ſed imitatione peccare. Hanc hæreſim ſeculo VII. adoptarunt Armeni, & ſequenti ſeculo Albanenſes: eique adhærere viſus eſt Eraſmus Roterodamus, dum in Annotationibus ſuis ſuper Novum Teſtamentum declarans verba Pauli ad Romanos 8. *In quo omnes peccaverunt*, ait, ideò Paulum dixiſſe omnes in Adam peccaſſe, quia peccando omnes illum imitantur. Unde ſequitur peccatum Adæ in omnes transfundi imitatione, quia peccando omnes illum imitantur; non propagatione, quaſi ab illo propagati in peccato ex eo contracto naſcantur.

VI. Apertè tamen error iſte Scripturæ Sacræ teſtimoniis confutatur. Primò enim David Pſalmo 50. v. 7. *Ecce enim*, inquit, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quæ dicit, ut allegando ſuam miſeram in peccatum pronitatem, quia in peccato conceptus, faciliùs moveat Deum ad illi miſerendum. Dicat ergo Pelagius; quænam fuit illa iniquitas, quodnam illud peccatum, quod in utero matris habuit? propriâ voluntate certe patratum non fuit, ergo origine contractum.

Digitized by Google

Inſuper Eccleſiaſtici cap.40. v.1. dicitur: *Jugum grave ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium*. Quodnam erit hoc jugum ſuper omnes filios Adam, quod à die exitus de ventre matris imponitur, niſi peccatum origine & generatione contractum? Jugum propterea dictum quia ex conjunctione duorum oritur, & illud cui imponitur premit, & ideò peccato originali jure aptatur, quod ex conjunctione maris & feminæ ſuper omnes filios Adam imponitur, omneſque premit uſque in diem ſepulturæ: quia licèt peccati macula in Baptiſmo deleatur, manent tamen miſeriæ, quæ ex peccato ut ex fonte manarunt. Hanc veritatem agnovit & teſtatus fuit Job. cap. 14. v. 4. cùm ait: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es?* ubi ſemen vocat immundum, quia origine inquinatum.

VII. Hanc veritatem proclamat in Novo Teſtamento Paulus Roman. 5. v. 12. *Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Hæc verba Pelagiani dicebant eſſe intelligenda de peccato actuali: quod ſecundùm eos intravit in mundum per Adam, in quantum omnes peccantes peccatum Adæ imitantur ſecundùm illud Oſeæ 6. v. 7. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, qui prævaricati ſunt in me.* Eis tamen S.Th. in dictum caput 5. Lect.3. ita reſpondet: *Sed ſicut dicit Auguſtinus contra eos, ſi de introitu peccati actualis, qui eſt per imitationem, hic Apoſtolus loqueretur, non diceret peccatum per hominem in hunc mundum intraſſe, ſed magis per Diabolum quem peccantes imitantur juxta illud Sapientiæ 2. v. 24.* ,, Invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius ,,. *Eſt ergo intelligendum quòd per Adam peccatum in hunc mundum intravit, non ſolùm imitatione, ſed & propagatione, ideſt per carnis originem vitiatam ſecundùm illud Epheſ. 2. v. 3.* ,, Eramus naturâ filii iræ ,, *& Pſal. 50. v. 7.* ,, Ecce enim iniquitatibus conceptus ſum &c. ,,

VIII. Quomodo autem peccatum poſſit per originem carnis de uno in alium, maximè quoad culpam traduci, varia à S.Thoma tum hìc, tum 1. 2. q.81. art.1. afferuntur exempla, quibus parentum defectus per ſemen traducuntur in prolem, non ſolùm corporales ſicut leproſus generat leproſum, ſed etiam defectus animæ, ſicut ex iracundis iracundi, ex amentibus amentes naſcuntur, quia tamen hi defectus cùm non ſint voluntarii non traducunt in filios culpam, ſed ſolùm miſeriam, ſi hoc modo peccatum primi parentis per originem in nos perveniret, non videretur in nobis habere rationem culpæ ſed pœnæ.

IX. Aliam

Digitized by Google

IX. Aliam proinde dicta Lect. 3. rationem ſubjiciens: *Et ideò*, inquit, *dicendum eſt, quòd ſicut peccatum actuale eſt peccatum perſonæ, quia per voluntatem perſonæ peccantis committitur: ita peccatum originale eſt peccatum naturæ, quod per voluntatem principii humanæ naturæ commiſſum eſt. Eſt enim conſiderandum, quòd ſicut diverſa corporis membra partes ſunt perſonæ unius hominis: ita omnes homines ſunt partes, & quaſi quædam membra humanæ naturæ. Unde & Porphyrius dicit, quòd participatione ſpeciei plures homines ſunt unus homo. Videmus autem quòd actus peccati exercitus per aliquod membrum, puta per manum, vel pedem, non habet rationem culpæ ex voluntate manus vel pedis, ſed ex voluntate totius hominis, à qua ſicut à quodam principio derivatur motus peccati ad ſingula membra. Et ſimiliter à voluntate Adæ, qui fuit principium humanæ naturæ tota inordinatio naturæ habet culpæ rationem in omnibus ad quos pervenit quantùm ad hoc quod ſunt ſuſceptivi culpæ. Et ſicut peccatum actuale, quod eſt peccatum perſonæ, trahitur ad ſingula membra per aliquem actum perſonalem: ita peccatum originale trahitur ad ſingulos homines per actum naturæ, qui eſt generatio. Et ita ſicut per generationem humana natura trahitur, ita & per generationem traducitur defectus humanæ naturæ, qui eſt conſecutus ex peccato primi parentis.* (Hâc eâdem ratione utitur in 1. 2. q.81. art. 1.)

X. Deinde proſequitur S. Doctor oſtendendo, hunc naturæ defectum eſſe carentiam originalis juſtitiæ, quæ fuit primo homini à Deo collata, non ſolùm ut erat particularis perſona, ſed etiam ut erat principium humanæ naturæ, ut eam ſimul cum natura traduceret in poſteros. Et ideò cùm per primum peccatum eam amiſerit, talem amiſſionem ſimul cum natura traduxit in poſteros. Et ſicut in Adamo perſona peccando infecit naturam: ita in aliis natura vitiata ab illo accepta inficit perſonam dum genito imputatur naturæ vitium propter voluntatem primi parentis, in qua omnium voluntates continebantur: & ideò ſubdit Apoſtolus: *In quo omnes peccaverunt*. Propterea licèt Adam fortè pluries peccaverit, ſolum primum ejus peccatum, non alia, traducitur in poſteros, quia ſolum primum abſtulit bonum naturæ quod erat traducendum in poſteros, juſtitiam nempè originalem; cætera verò ſolùm auferunt bonum gratiæ perſonalis, quod non tranſit in alios. Et indè factum eſt, ut quamvis peccatum Adæ in eo per ſuam pœnitentiam deletum fuerit juxta illud Sap.10. v. 2. *Eduxit illum à delicto ſuo*, non tamen ejus pœnitentia delere potuit peccatum poſterorum: quia pœnitentia fuit per actum perſonalem, quo deleri potuit quidem peccatum perſonæ, non tamen peccatum naturæ, in quo omnes peccaverunt. His & aliis infra ſubjicien-

ciendis mirè exponit S. Thomas hanc verè difficilem quæſtionem.

XI. Obſervat inſuper S. Th. ibi Paulum dicere: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit... in quo omnes peccaverunt;* non per unam mulierem, licèt mulier prima peccaverit, & Eccleſiaſtici 25. v.33. dicatur: *A muliere initium factum eſt peccati, & per eam omnes morimur*. Cui hâc ratione ſatisfacit: nempè quòd cùm peccatum originale traducatur ſimul cum natura, ſicut hæc per virtutem activam viri muliere materiam miniſtrante traducitur, ita & peccatum originale. Unde ſi Evâ peccante, Adam non peccaſſet, peccatum non fuiſſet traductum ad poſteros (ut oſtendit S. Doctor in 1.2. q.81. art.5.) Et iſta eſt cauſa, quare Chriſtus peccatum originale non traxit, quia ex ſola femina ſinè virili ſemine carnem accepit. Licèt enim etiam Chriſtus Lucæ 3. ab Adam deſcenderit, & in Adam fuerit; aliter tamen in eo fuit ac cæteri homines: nam hi in Adam fuerunt & ſecundùm corpulentam ſubſtantiam & ſeminalem rationem. Ille autem fuit quidem in Adam ſecundùm corpulentam ſubſtantiam quam accepit ex Virgine, non fuit tamen ſecundùm ſeminalem rationem. Nam in generatione ejus loco rationis ſeminalis fuit virtus activa Spiritus Sancti, quæ non derivatur ab Adam. Hæc reſponſio ſumta eſt ex S. Auguſtino Lib. ſuper Geneſi ad literam.

XII. De modo, quo peccatum originale per generationem transfundatur in prolem, duæ difficultates excitari pro Pelagianis poſſunt. Prima: Quomodo cùm peccatum ſit in anima rationali, quæ non traducitur per originem carnis, nec ut ſpiritualis à corpore dependet ut ſubſiſtat, poſſit virtute corporalis ſeminis peccatum contrahere & culpâ infici. Altera eſt, quomodo hoc peccatum poſſit à parentibus baptizatis, ac proinde à peccato originali per Baptiſmum purgatis, transfundi in prolem, quam generant.

XIII. Utramque tamen difficultatem tollit S.Thomas Lect. 3. in c. 5. ad Rom. Primam quidem: *Quia licèt in ſemine non ſit anima, eſt tamen in ſemine virtus diſpoſitiva corporis ad animæ receptionem, quæ cum corpori infunditur, ei ſuo modo conformatur, eo quòd omne receptum eſt in recipiente per modum recipientis*. Quod repetit in 1. 2. q. 81. art.1. ad 2. dicens: *Quòd etſi anima non traducatur, quia virtus ſeminis non poteſt cauſare animam rationalem: movet tamen ad ipſam diſpoſitivè: unde per virtutem ſeminalem traducitur humana natura à parente in prolem, & ſimul cum natura naturæ infectio. Ex hoc enim ſit iſte qui naſcitur conſors culpæ primi parentis, quia naturam ab eo ſortitur per quandam generativam motionem*.

XIV. Secundam difficultatem tollit idem S.Doctor dicta Lect.3. his verbis: *Per Baptiſmum homo liberatur à peccato originali quantùm*

tùm ad mentem, ſed remanet peccati infectio quantùm ad carnem. Unde infra cap. 7. dicit Apoſtolus: *Ego ipſe mente ſervio Legi Dei, carne autem ſervio legi peccati. Homo autem non generat mente carnales filios, ſed carne. Et ideò non tranſmittit novitatem Chriſti ſed vetuſtatem Adæ.* Idem dicit in 1. 2. q. 81. art. 2. ad 2. Hinc Juliano Pelagiano objicienti: *Non peccat iſte qui naſcitur, non peccat iſte qui genuit, non peccat ille qui condidit. Per quas igitur rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum?* Reſpondet S. Auguſtinus: *Quid quæris latentem rimam, cùm habeat apertiſſimam januam? Nam ſecundùm Apoſtolum: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit* (Lib. 2. Oper. Imperf. cap. 28.) Ne autem quis ſuſpicetur plus poſſe peccatum Adæ quàm Gratiam Chriſti, cùm illud tranſeat in omnes, iſta non, contra Pauli dictum eodem cap. 5. ad Rom. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*: ſubjicit ibidem art. 3. ad 3. *Quòd ſicut peccatum Adæ traducitur in omnes, qui ab Adam corporaliter generantur: ita gratia Chriſti traducitur in omnes, qui ab eo ſpiritualiter generantur per fidem & Baptiſmum: & non ſolùm ad removendam culpam primi parentis, ſed etiam ad removenda peccata actualia, & ad introducendum in gloriam.* Contra hunc Pelagianum errorem uſque ad mortem pugnavit S. Auguſtinus, quod indicat ejus Opus contra Julianum, quod reliquit imperfectum.

§. IV.

Error de Baptiſmo Parvulorum.

I. Hic non ſolùm cum Pelagio agendum nobis erit, ſed etiam cum Calvino, & Danæo. Pelagius ergo ex errore ſupra refutato, quo dicebat, parvulos non naſci originali culpâ infectos, alterum inferebat, nimirùm eos non egere Baptiſmo ad culpam aliquam abluendam, ſed ſolùm ad introitum in Regnum Cœlorum. Ita refert S. Auguſtinus Lib. de Hæreſ. cap. 87. *Parvulos etiam negant ſecundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere. Sic enim eos ſinè ullo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci, ut prorſùs non ſit quod eis oporteat ſecundâ nativitate dimitti: ſed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad Regnum Dei de bono in melius translati, non iſtâ renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etſi non baptizentur, promittunt eis, extra Regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam.* Hæc S. Auguſtinus.

nus. Super quæ Danæus,, Duo, inquit, ineptiſſima. Primum ,, quòd omnes parvulos etiam fidelium ſalvos eſſe definiunt. Se- ,, cundum, quòd vitam extra Dei Regnum impiiſſimè conſti- ,, tuunt,,. An is Danæi zelus ſubſiſtat, inferiùs videbimus.

II. Sed contra primam Pelagiani erroris partem jam oſtenſum eſt, omnes etiam parvulos in peccato originali naſci: ideòque indigere Baptiſmo renaſci in Chriſto, ut per gratiam ipſius ad novam vitam tranſeant: dicente Paulo 1. Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Quomodo autem id fiat, exponit ad Titum cap.3. v.5. *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Quibus oſtendit, etiam parvulos, etſi nihil boni egerint, ſecundùm miſericordiam Chriſti ſalvos fieri per lavacrum Baptiſmi.

III. Verùm quia (& hæc ſecunda Pelagiani erroris erat pars) dicebant, parvulos deferri ad Baptiſmum, non ut ab aliqua culpa quam non habent mundentur, ſed ut adoptati in filios Dei Regnum Cœlorum in hæreditatem conſequantur, & ſic de bono in melius transferantur: & ad hoc trahebant verba Chriſti Joan.3. v.5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: dicas mihi, Pelagi: Pueri juxta tuum dogma non naſcuntur naturâ filii iræ, quia nec Adami, aut ullo alio peccato Deo odibiles, ergo naſcuntur naturâ filii Dei & hæredes, ſicut fuiſſent filii Adæ ſi non peccaſſet. Cur ergo excludis eos à Regno Dei ſi Baptiſmum non ſuſcipiant? Numquid indigebit iterum naſci, qui vitam nunquam amiſit? Si homo juxta te non eget gratiâ Dei, ſed propriis viribus arbitrii abſolutè poteſt juſtificari, & omnia opera facere quæ ad vitam æternam & Regnum Dei perducunt, cur ut illud conſequatur, Baptiſmum requiris? Deinde pueris ſinè Baptiſmo decedentibus promittis vitam æternam & beatam extra tamen Regnum Dei; peto: quis & ubi eſt iſte locus extra Regnum Dei, ubi homo vitâ æternâ & beatâ frui poſſit? Certè Scriptura paſſim pro eodem nobis vitam æternam & Regnum Dei proponit. At dimiſſo pro nunc Pelagio

IV. Accedit Calvinus, qui Lib. 4. Inſt. cap.15. §. 20. vult parentum filios etiam ſinè Baptiſmo decedentes ſalvari & ad Regnum Cœlorum perduci: & hoc ex pacto & promiſſione Dei. Verba ejus hæc ſunt: *At periculum eſt, ne is, qui ægrotat, ſi abſque Baptiſmo deceſſerit, regenerationis gratiâ privetur. Minimè verò. Infantes noſtros antequam naſcantur ſe adoptare in ſuos pronuntiat Deus, cùm ſe nobis in Deum fore promittit, ſeminique noſtro poſt nos.... Quantum damni invexerit dogma illud malè expoſi-*

tum,

tum, *Baptiſma eſſe de neceſſitate ſalutis*, *pauci animadvertunt*. Si ergo fidelium filii antequam naſcantur, jam filii Dei à Deo pronunciati ſunt, ergo & hæredes Regni Cœlorum, ergo eis peccatum originale non imputatur, ergo etiamſi abſque Baptiſmo moriantur in Regnum Cœlorum introibunt. Ad quid igitur dicit Chriſtus Jo. 3. v.5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, *non poteſt introire in Regnum Dei*, ubi ly *Niſi quis*, idem eſt, ac *nemo* cujuſvis ætatis, ſexus &c. dum Calvinus etiam non renatis aquâ parvulis ingreſſum in Regnum Cœlorum promittit?

Quid inſuper tantâ feſtinatione curritur ad ſignandos aquâ Baptiſmatis parvulos, ſi antea promiſſione Dei ad ſalutem ſignati ſunt? Ita diſcurrit S. Auguſtinus Epiſt. 28. (modò 166.) ad Hieronymum: *Quiſquis dixerit*, *quòd in Chriſto vivificabuntur parvuli*, *qui ſinè Sacramenti ejus participatione de vita exeunt* (en Calvini ſententiam) *hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit*, *& totam condemnat Eccleſiam*, *ubi propterea cum baptizandis pueris feſtinatur & curritur*, *quia ſinè dubio creditur*, *aliter eos in Chriſto vivificari omninò non poſſe*. *Qui autem non vivificatur in Chriſto*, *reſtat ut in eadem damnatione maneat*. Quid ad hæc Calvinus? Num & Auguſtinus dogma illud de neceſſitate Baptiſmi ad ſalutem malè intellexit?

V. At quia Pelagiani (& Calvinus) reſpondent: *Tot igitur animarum millia*, *quæ in mortibus parvulorum ſinè indulgentia Chriſtiani Sacramenti de corporibus exeunt*, *quâ æquitate damnantur?* nihil hoc permotus Epiſtolam claudit S. Doctor: *Hoc me non temerè ſentire profiteor*, *eam*, *quæ vera eſt*, *non adverſari robuſtiſſimæ ac fundatiſſimæ fidei*, *quâ Chriſti Eccleſia*, *nec parvulos homines & recentiſſimè natos*, *à damnatione credit*, *niſi per gratiam nominis Chriſti*, *quam in ſuis Sacramentis commendavit*, *poſſe liberari*. Eâ ergo ratione, quâ Deus occulto ſuo judicio tot infidelium millia ſinè Baptiſmo damnationi relinquit, & plures è fidelibus nati, & jam Baptiſmo tincti damnantur: ſic multos è parentibus natos ſinè Baptiſmo in communi damnatione mori permittit. Alioquin ſi pueri ex parentibus nati, antequam naſcantur, ſui à Deo pronuntiantur & vitæ æternæ capaces ſunt, cur ipſe (Calvinus) improbat Anabaptiſtas, quòd pueros parvulos baptizandos eſſe negent? Si juxta ejus doctrinam pueri abſque Baptiſmo jam declarati ſunt juſti: jure dicere poterit Anabaptiſta; cur baptizare debeo eos, qui ſinè Baptiſmo à Deo juſti facti ſunt, & non expectare potius, ut jam adulti & capaces fidei illum ſuſcipiant?

VI. In hoc errore damnabilior eſt Calvinus, quàm Pelagiani. Nam iſti parvulos ſinè Baptiſmo decedentes ſalvos fore putabant,

Digitized by Google

quia ſinè ulla originalis peccati labe & nulli damnationi addictos eos naſci dicebant: & inſuper eis ſinè Baptiſmo decedentibus vitam quidem æternam & beatam, ſed extra Regnum Cœlorum, promittebant. At Calvinus parvulos damnationi obnoxios naſci fatetur Lib.4. Inſt. cap.15. §.10. *Infantes ipſi ſecum ſuam damnationem à matris utero afferunt*. Lib.2. cap.1. §.5. *Omnes qui ab impuro ſemine deſcendimus, peccati contagione naſcimur infecti, imò antequam lucem hanc vitæ aſpiciamus, ſumus in conſpectu Dei fœdati & inquinati*: & tamen vult, nos antequam naſcamur, à Deo pronuntiari juſtos, & in filios adoptari, ita ut ſi parvuli ſinè Baptiſmo moriamur, ad vitam æternam, non extra, ſed intra Regnum Cœlorum traducamur. Quis hæc non damnet?

VII. Danæus, qui, ut ſupra hunc errorem, ut à Pelagianis mitiùs prolatum damnat; cur eundem ut à Calvino aſſertum, quin & adauctum, hìc diſſimulat? Quin & ipſe in eandem Calvini magiſtri ſui ſententiam deſcendit, ut ejus verba, quæ ſubjiciam, oſtendent: ait enim,,, Huic autem dogmati (ut à Pelagianis aſſerto)
,, per quod dignitas Baptiſmi contemtuſque omninò inducebatur,
,, Patres Orthodoxi ut occurrerent, primùm quidem Baptiſmum
,, commendarunt, ſed dum nimio vindicandi à contemtu Baptiſ-
,, mi ſtudio præcipites feruntur, & ipſi in alium errorem incurre-
,, runt, inciderùntque in ſcyllam, dum cupiunt vitare Charyb-
,, dim. Affirmarunt enim, omnes parvulos, qui ſinè Baptiſmo
,, moriuntur, damnatos eſſe & infelices. Unde natus eſt error de
,, præciſa neceſſitate Baptiſmatis, & de vi operis operati, per
,, quod in Baptiſmo ſalutem conferre Scholaſtici etiam nunc do-
,, cent, blaſphemè ad terrenum aquæ elementum transferentes,
,, quod eſt ſoli Dei gratiæ in ſolidum accepto ferendum & vindi-
,, candum, nimirùm ſalus hominum remiſſioque peccatorum,,.
Ita Danæus erroris damnans ſolita temeritate Patres Orthodoxos, quòd nimium Baptiſmo tribuentes docuerint, parvulos ſinè Baptiſmo morientes damnatos eſſe & infelices (quibus ſententiam Calvini probat ut veram). Et inſuper Scholaſticos blaſphemos traducit, quaſi elemento aquæ tribuant ſalutem, quæ ſoli gratiæ Dei vindicanda eſt.

VIII. Sed ipſe infeliciter erravit, non Patres Orthodoxi: ipſe, qui cum ſuis privatum ſuum ſpiritum, non ſpiritum Dei ſequi volens, quodcumque ſibi non placet ut errorem audet traducere. Hoc & de Baptiſmo dicunt, quem non ſolùm ad nudum & vacuum ſigillum reducunt, ſed ejus neceſſitatem pro arbitrio tollunt. Cùm tamen Eccleſia Catholica audiens Paulum ſpiritu Dei repletum de ea dicere ad Epheſ.5. v.26., quòd Chriſtus dilexit Eccleſiam &
tra-

Digitized by Google

tradidit ſe ipſum pro ea, *ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ;* quòd ſcilicet, ait S. Th. hìc Lect.8., *adveniens aquæ dat ei virtutem abluendi*. Ita ſenſit & adhuc ſentit Catholica Eccleſia, non aquâ ſolâ, ſed verbo Dei adveniente, & dante aquæ virtutem credit ſe mundari, & ita ut ſubdit Paulus, ſe exhibere poſſit Chriſto glorioſam, immaculatam, non habentem maculam, neque rugam. Peto ergo. Parvuli ſinè Baptiſmo decedentes pertinent ad Eccleſiam, nec ne? Si non pertinent, ergo ſalutem non conſequentur, nec poterunt exhiberi glorioſi. Si eos pertinere ad Eccleſiam dixeris: quomodo non mundati lavacro aquæ in verbo vitæ, ejus membra eſſe poterunt? Quæ contra Scholaſticos *de opere operato* blaterat Danæus, alibi diſcuſſi: ſolùm dicam. Cùm ego ſcribo & utor calamo, ſcriptura illa eſt opus operatum etiam calami ut inſtrumenti, quo ad ſcribendum utor. Sic etiam Deus dum per Sacramenta dat gratiam, ipſe eſt qui dat, ſed gratia ſic data eſt etiam opus operatum Sacramenti, quo ad eam conferendam Deus utitur.

§. V.

Error de inamiſſibilitate Gratiæ, & Oratione.

I. Alium errorem tribuit Pelagianis S. Auguſt. Lib. de Hæreſ. cap. 87. nimirùm: *In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam juſtorum in hoc ſeculo nullum omninò habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omninò ſine macula & ruga, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum Orbe clamat ad Deum: Dimitte nobis debita noſtra*. Hunc errorem quem ſupra cap.68. §. 3. in Joviniano confutavi, Pelagiana ſuperbia adoptavit, alio tamen motivo. Nam ubi Jovinianus impeccabilitatem tribuebat fidei & gratiæ in Baptiſmo ſuſceptæ: iſta gratiæ inimica, eam ſibi ac ſui arbitrii viribus unicè adſcribebat. Nam in nullo alio Deum agnoſcebat, niſi quòd ab ipſo liberum accepiſſet arbitrium, quo poſito ipſa tamquam domina ipſum abſque ullo periculi metu regere poſſet. Unde imitata Luciferum qui oblitus ſui dixit: *Aſcendam ſuper altitudinem montium, ſimilis ero Altiſſimo*, meruit ut ſibi quoquè diceretur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*. Cecidit ergo in Cœlo Lucifer, & non poterit in terra cadere miſer homo ſuis ſolis innixus viribus? Apage dementiam!

II. Ita Pelagium, quem Joviniani hæredem appellat, inducit loquentem S.Hieronymus Lib.2. adv. Pelagianos: *Sinè omni omninò peccato ſum: ſordida veſtimenta non habeo, proprio regor arbitrio*:

Major Apoſtolo ſum. Ille facit, quod non vult, & quod vult non facit. Ego facio quod volo, & quod nolo non facio. Præparata ſunt mihi Regna Cælorum, imò ipſe ea mihi meis virtutibus præparavi. In quo Adam tenetur obnoxius, & alii qui reos ſe putant in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, ego ſolus cum mea catervâ non teneor. Alii clauſi cellulis & feminas non videntes, quia miſeri ſunt, & verba mea non audiunt, torquentur deſideriis. Ego etiamſi mulierum vallor agminibus, nullam habeo concupiſcentiam. De me enim dictum eſt (Zachar.9.) „ Lapides ſancti volvuntur ſuper terram „ *& ideò non ſentio, quia liberi arbitrii poteſtate Chriſti trophæum circumfero.* His & aliis ſuperbam Pelagii inſaniam irridet Hieronymus, & irridendo proſternit.

III. Proſequitur deinde, multis Sacræ Scripturæ teſtimoniis oſtendens, & exemplo virorum cæteroquin ſanctorum, neminem illorum ſinè aliquo peccato fuiſſe, vel ſaltem ne in peccatum laberentur timuiſſe, & qui à peccato præſervati fuerunt, non à ſolo libero arbitrio, ſed à Dei gratia ipſis auxiliante conſecutos fuiſſe. At quia Pelagianus adhuc inſtabat: *Loquere ut vis, argumentare ut libet, numquam mihi liberum arbitrium extorquebis quod ſemel conceſſit Deus, nec valebis auferre, quod mihi tribuit Deus, poſſe ſi voluero.* Reſpondet S.Hieronymus Lib.3. adv. Pelag. *Exempli gratia, uno tantùm utamur teſtimonio* „ Inveni David filium „ Jeſſe, virum ſecundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates „ meas „. *David Sanctum eſſe non dubium eſt: & tamen qui electus eſt, ut omnes Dei voluntates faceret, aliqua feciſſe, reprehenditur. Utique poſſibile erat ei facere, qui ad hoc electus eſt, ut omnes Dei voluntates faceret. Nec Deus in culpa eſt qui prædixit, eum cunctas ſuorum præceptorum facere voluntates, ſed ille qui prædicta non fecit. Neque enim dixit, inveniſſe ſe virum, qui cunctas in perpetuum ſuæ juſſionis faceret voluntates. Hoc & nos dicimus poſſe hominem non peccare, ſi velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiù intentus eſt animus, quamdiù chorda nullo vitio laxatur in cythara. Quod ſi paululùm ſe remiſerit, quomodo qui adverſo flumine lembum trahit; ſi remiſerit manus, ſtatim retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult, ducitur: ſic humana conditio ſi paululùm ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam, & multa ſe non poſſe cognoſcit.*

IV. Hoc tamen Pelagiani cognoſcere non volentes, ſe nedum ab omni ſorde, ſed & ab omni ſordis periculo poteſtate ſui arbitrii factos immunes gloriabantur, ut Eccleſiam ſuam in præſenti ſeculo talem ſibi confingerent, qualem in futuro promittunt Divina eloquia, nimirùm puram, ſanctam, immaculatam, non habentem

tem maculam neque rugam. Ex quo fiebat, ut non eſſe Chriſti Eccleſiam exiſtimarent, quæ in Oratione Dominica diceret: *Dimitte nobis debita noſtra, & ne nos inducas in tentationem.* Quaſi non futura eſſet Eccleſia Chriſti ea, quam Chriſtus ita orare docuit. Cùm potiùs dicere debuiſſent, Eccleſiam ſuam ita orare detrectantem Eccleſiam Diaboli eſſe non Chriſti, quia in ſuperbia non in humilitate, in ſui arbitrii independenti poteſtate, non in adjutorio gratiæ Chriſti, hanc firmitatem in bono collocabat.

V. Itaque eos jure reprehendit S. Hieronymus in Epiſt. 43. ad Cteſiphontem: *Ita enim*, inquit, *Dei gratiam ponunt, ut non per ſingula opera ejus nitamur & regamur auxilio: ſed ad liberum referunt arbitrium, & ad præcepta legis ponentes illud Iſaiæ* 8. (juxta LXX.) „ Legem enim Deus in adjutorium poſuit „ *ut in eo Deo referendæ ſint gratiæ, quòd tales nos condiderit, qui noſtro arbitrio poſſimus & eligere bona, & vitare mala: & non intelligunt iſta dicentes, quòd per os eorum intolerabilem blaſphemiam Diabolus ſibilet. Si enim in eo tantùm Dei eſt gratia, quòd propriæ nos condidit voluntatis, & libero arbitrio contenti ſumus, nec ultra ejus indigemus auxilio, ne ſi indigerimus liberum frangatur arbitrium: ergo nequaquam ultra orare debemus: nec illius clementiam precibus flectere, ut accipiamus quotidie quod ſemel acceptum in noſtra eſt poteſtate. Iſtiuſmodi homines tollunt orationem: & per liberum arbitrium, non homines propriæ voluntatis, ſed Dei potentiæ factos ſe eſſe jactant, qui nullius ope indigent....*

Hoc quod dico, non meum eſt argumentum: unus diſcipulorum ejus, imò jam magiſter, & totius ductor exercitus, & contra Apoſtolum vas perditionis... ſic philoſophatur & diſputat: Si nihil ago abſque Dei auxilio, & per ſingula opera ejus eſt omne quod geſſero, ergo non ego qui laboro, ſed Dei in me coronabitur auxilium, fruſtraque dedit arbitrii poteſtatem, quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adjuverit; deſtruitur enim voluntas quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non erit, niſi fecero quod voluero. Ac per hoc ait: Aut utor ſemel poteſtate quæ mihi data eſt, ut liberum ſervetur arbitrium: aut ſi alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me deſtruetur. Ita diſputabat, ſeu veriùs blaſphemabat Pelagianus iſte.

VI. Ex his apparet, hujus erroris radicem fuiſſe, quòd liberum hominis arbitrium cum Dei gratia componere neſciens, ut illud ſtatueret, gratiam tollebat. Sic error ſemper ad extrema delabitur. Pelagius pro libero ſtans arbitrio Dei gratiam negabat. Manichæus & alii pro Deo ejuſque gratiâ pugnantes liberum arbitrium in homine prorſus extinguebant. Catholica tamen veritas

ritas ſemper fuit & eſt, ſic liberum tueri arbitrium, ut gratiæ Dei jura non tollantur,& ſic jura gratiæ defendere,ut liberum arbitrium non lædatur, ſed per eam fiat & perficiatur ad bonum, monente Apoſtolo Philip.2.v.12.*Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim,qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Ubi cum dicit *cum metu & tremore* ſuperbiam Pelagianorum excludit, dicens *operamini* nos ad ſalutem noſtram liberè concurrere admonet. Cùm verò addit, *Deus eſt enim* &c. excludit quatuor falſas exiſtimationes. Unam credentium, quòd homo per liberum arbitrium poſſit ſalvari abſque Divino auxilio, quod Pelagiani volebant: aliam negantium liberum arbitrium, dum ait *in vobis*. Quia Deus movet interiùs voluntatem ad benè operandum. Tertiam dicentium quòd velle eſt à nobis, ſed perficere à Deo, ut Pelagiani putabant: ideòque dicit *& velle & perficere*. Quartam dicentium, hoc Deum facere propter merita noſtra, ideòque ſubdit, *pro bona voluntate* ſcilicet ſua, non pro meritis noſtris, quia ante gratiam nihil boni meriti eſt in nobis. Ita exponit S. Thomas in cap.2. ad Philip. Lect.3. circa finem.

VII. Porrò quid de libero hominis arbitrio & gratia Dei moderni Heterodoxi ſentiant, fusè examinavi in Vera Eccleſ. Tom.2. p.1. art. 7. de Libero Arbitrio, art. 8. de Bonis Operibus, & art.9. de Merito, quæ cui libuerit percurrenda relinquo. Quid hìc ſentiat Danæus, ex iis quæ nobis falsò objicit apparebit. Primò enim dicit, quòd „ hoc dogma (Pelagianum) Scholaſtici interpolarunt, & ex parte adhuc retinent, quæ eſt ſumma Chriſtianæ doctrinæ inter eos labes, & vera gratiæ Dei Chriſtique beneficii abolitio „. Sed quantùm diſtet inter dogma Pelagii & Catholicorum doctrinam, oſtendi citato art.7. §.1. ; & 2. & §. 3. demonſtravi ipſum cum ſuo Calvino negando homini liberum arbitrium, Manichæorum & aliorum hæreſim verè ſuſcitaſſe. Secundò, Danæus objicit, nos cum Pelagianis velle, meritis operum noſtrorum dari gratiam Dei „ & hinc monſtroſa illa vocabula nata *gratia de congruo*, & *de condigno*, quæ apud Papiſtas cenſentur aurea „. Sed verè delirat impoſtor iſte. Quis enim ex Catholicis faſſus inquam eſt, in nobis merita eſſe ante gratiam, & ex meritis gratiam dari? Si enim ex meritis daretur, gratia non eſſet: Nam *ei qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum* (Rom. 4. v.4.) Dicunt tamen Catholici omnes, quòd his quos elegit ſinè meritis, Deus per gratiam ſuam dat, unde ornentur ex meritis. Sic Paulo, quem ſinè meritis, imò contra merita elegit, dedit per gratiam ſuam ut plus omnibus laborando mereretur, non ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo. Hoccine eſt

Digitized by Google

eſt Pelagianum dogma interpolare? Circa meritum de congruo & de condigno ſatis dixi art.9. ſupra citato.

VIII. Similem accuſationem paſſus fuit S.Auguſtinus, qui cùm liberum arbitrium in homine aſſereret, tanquam Pelagianus ab aliquibus traducebatur. Cum eo igitur L.2. de Nupt. & Concup. c.3. reſpondebo: *Non itaque, ſicut te aut alios fallens loqueris: Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Cæleſtianus aut Pelagianus vocatur; iſta quippè Catholica fides dicit. Sed ſi quis ad colendum rectè Deum ſinè ipſius adjutorio dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium, & quiſquis ita dicit Deum naſcentium conditorem, ut parvulorum neget à poteſtate Diaboli Redemtorem, ipſe Pelagianus & Cæleſtianus vocatur. Liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium & Deum eſſe naſcentium conditorem utrique dicimus: non hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani. Liberum autem eſſe quemquam ad agendum bonum ſinè adjutorio Dei, & non erui parvulos à poteſtate tenebrarum, & ſic transferri in Regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani.* Ita calumniam Danæi cum Auguſtino diſſipamus. An verò ipſe dicens, liberum arbitrium in homine periiſſe, ac de neceſſitate agere quidquid agit, ſentiat cum Manichæis; ipſe viderit.

IX. Quales eſſent Pelagianorum Orationes, eorum hactenus enarrata doctrina ſatis demonſtrat. Cùm enim unicâ exceptâ conditione, in nullo alio indigere ſe Deo dicerent, niſi quia ſemel ab eo conditi cum libero arbitrio, vim per illud ſe accepiſſe ſinè ulteriori Dei ope ad omne opus bonum peragendum; conſequens erat, ut Deum orare ſuperfluum judicarent. Ad quid enim & pro quibus preces funderent? Pro infidelibus, ut eos ad fidem traheret? At iſti dum vellent, poterant propriis viribus eam amplecti. Pro fidelibus, ut eos in fide conſervaret? At ſi abſque Dei ope, poterant in ea, quam ſinè ejus ope ſuſceperant, ſimiliter ſinè illius adjutorio permanere. Ideòque S.Auguſt. hoc c.88. *Deſtruunt etiam*, inquit, *Orationes, quas facit Eccleſia, ſivè pro infidelibus & doctrinæ Dei reſiſtentibus, ut convertantur ad Deum; ſivè pro fidelibus, ut augeatur in eis fides & perſeverent in ea. Hæc quippè non ab ipſo accipere, ſed à ſe ipſis habere contendunt.* Pro quo ergo orabant? ut ſibi peccata dimitterentur? At idem S. Auguſtinus ut ſupra dixi: *In id etiam*, inquit, *progrediuntur, ut dicant, vitam juſtorum in hoc ſeculo nullum habere peccatum, & ex his Eccleſiam in hac mortalitate perfici, ut ſit omninò ſinè macula & ruga, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum Orbe clamat ad Deum* „ Dimitte nobis debita noſtra „. Pro quo ergo Deum orabant?

X. Specimen Orationis, quâ ad Deum accedebat Pelagius, ex qua-

quadam ejus Epiſtola exhibet S. Hieronymus Lib.3. adv.Pelag. his verbis : *De hoc ſuperbiæ tumore & illa orandi prorumpit audacia ; quâ ſcribens ad viduam, quomodo Sancti debeant orare, pronuntias : Ille enim, inquis, meritò ad Deum extollit manus ; ille preces bonâ conſcientiâ fundit, qui poteſt dicere : Tu enim noſti, Domine, quàm ſanctæ, quàm innocentes, quàm puræ ſint ab omni fraude, & injuria, & rapina, quas ad te expando manus, quàm juſta, quàm immaculata labia, & ab omni mendacio libera : quibus ut mihi miſerearis preces fundo*. Hæc erat ſuperba orandi forma, quam ſuos docebat Pelagius.

XI. Hunc orandi modum deteſtans Hieronymus ait : *Chriſtiani eſt hæc, an Phariſæi ſuperbientis oratio ; qui etiam in Evangelio loquebatur Lucæ* 18. v. 11. „ Deus gratias ago tibi, quia non ſum „ ſicut cæteri homines, raptores, injuſti, adulteri, & ſicut hic „ Publicanus : jejuno bis in Sabbato : decimas do omnium quæ „ poſſideo „. *Ille gratias agit Deo, quia ipſius miſericordiâ non ſit ſicut cæteri homines, peccata deteſtans, non juſtitiam aſſumens. Tu dicis : Domine tu noſti, quàm ſanctæ, quàm innocentes, quàm puræ ſint ab omni fraude, injuria & rapina, quas ad te expando manus. Ille bis in Sabbato jejunare ſe dicit, ut affligat carnem vitiis laſcivientem, & omnis ſubſtantiæ ſuæ dat decimas ... Tu cum Diabolo glorìaris dicente Iſaiæ* 14. „ Super ſydera aſcendam, ponam in Cœlo thronum meum, & ero ſimilis Altiſſimo „. *David loquitur* (Pſal.17. v. 8.) „ Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus „ ... *Et* (Pſal.142. v.2.) „ Ne intres in judicium cum ſervo tuo : & non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens „. *Tu ſanctum & innocentem & purum te eſſe jactas, & mundas ad Deum expandis manus. Nec ſufficit tibi in cunctis operibus gloriari, niſi ab omni ſermonis oriſque peccato mundum eſſe te dicas, inferens quàm juſta, quàm immaculata labia & ab omni mendacio libera. Ille canit* „ Omnis *autem* homo mendax „ *& hoc ipſum confirmat Apoſtolica auctoritas, ut ſit Deus verax, omnis autem homo mendax* (Roman. 3.) *& tu ab omni mendacio immaculata & juſta & libera poſſides labia* &c. Indè proſequitur oſtendens, arrogantem eſſe modum orandi Pelagii, & contrarium exemplo Chriſti & formæ, quâ ipſe Apoſtolos ſuos & omnes fideles orare docuit.

Doctrinam de Prædeſtinatione Sanctorum tanquam hominis libertati contrariam prorſus rejiciebant contra Apoſtolum Rom. 9. v. 11., & ad Epheſ. 1. v. 11. quem errorem, ut infra dicam, ex parte Semipelagiani amplexi ſunt.

Item ut refert Caſſianus Lib. 1. de Incarn. Verbi contra Neſtorium : *Quidam dicentes, ſolitarium hominem Jeſum Chriſtum ſinè ullâ*

ulla peccati labe vixiſſe, eò progreſſi ſunt ut aſſererent, homines ſi velint, ſinè peccato eſſe poſſe. Conſequens enim exiſtimabant, ut ſi homo ſolitarius Jeſus Chriſtus ſinè peccato fuiſſet, omnes quoquè homines ſinè Dei adjutorio eſſe poſſint, quidquid ille homo ſolitarius ſinè conſortio Dei eſſe potuiſſet. Quibus Chriſtum purum fuiſſe hominem putabant, nec ad redemtionem, ſed ad præbendum bonorum operum exemplum veniſſe aſſerebant.

XII. Plura alia de hac infenſiſſima hæreſi diſcutienda forent. Verùm ne prolixior ſim, ea videnda relinquo apud S. Auguſtinum, qui de ea fusè tractavit, & alios: de quibus latè agit inter cæteros Natalis Alexandre Hiſt. Eccl. Seculi 5. cap. 3. art. 2. Interim eam prorsùs non dimittens tranſeo ad Semipelagianos, & Prædeſtinatianos. In hac hæreſi Libro ſuo de Hæreſibus terminum S. Auguſtinus imponit.

CAPUT LXXIII.

De Semipelagianis & Prædeſtinatianis.

§. I.

Semipelagianorum errores.

I. Semipelagiani propterea dicti ſunt, quia licèt non totam, eam tamen pro dimidio, & in parte, hæreſim Pelagianam profiterentur. Hi ergo in pluribus à Pelagianis diſcedebant, in pluribus autem ad eos accedebant. Diſcedebant quidem eorum aliqui: Primò, quia peccatum Originale, & neceſſitatem Gratiæ & Baptiſmi ad ejus remiſſionem admittebant. Accedebant verò ad Pelagianos, quia initium fidei, & ſalutis obtinendæ voluntatem à nobis eſſe dicebant, quæ inter juſtitiæ opera non recenſebant, ſicut nec deſiderium obtinendæ ſanitatis, quod in ægroto præcedit operam medici, inter medicinæ opera numeratur: illis tamen fidei & bonæ voluntatis initiis promoveri homines ad Chriſti gratiam dicebant. Ita eorum ſententiam refert Hilarius in Epiſt. ad S. Auguſtinum, ubi inter alia hæc de illis ſcribit: *Quod enim dicitur* „ Crede, & ſalvus eris „: *unum horum exigi aſſerunt, aliud offerri: ut propter id quod exigitur, ſi redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde conſequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate Conditoris conceſſum eſt: & nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel poſſit ſe velle ſanari; propter quod vel ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit,*

cum ſua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm Medicum quærat, non autem quidquam ipſa jam valeat. Nam illa teſtimonia, ut eſt illud (Rom. 12.) „ Sicut unicuique partitus eſt menſuram fidei „ *& ſimilia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui cœperit velle, non ut etiam donetur, ut velit*. Idem teſtatur S. Proſper in Epiſt. ad S. Auguſt.

II. Alii verò ad Pelagianos propiùs accedentes, eodem S. Proſpero teſte in prælaudata Epiſt. ad S. Auguſt., aſſerebant, hominem ſolâ gratiâ Conditoris, ſivè ſolis naturæ viribus, & bono libertatis uſu ad gratiam Salvatoris poſſe pervenire. De hac Semipelagianorum ſpecie eundem Proſperum locutum fuiſſe puto Carmine de ingratis parte 4., ubi dicit periculoſiùs eos fallere, dum Pelagium damnare videntur, fatentes, ex Adamo mortem & peccatum in omnes transfundi, neminem nec parvulos vitam æternam conſequi poſſe, niſi per Baptiſmum: & poſteà cum Pelagio ſentiunt, hominem ad bonum ferri poſſe ſuis viribus, & adverſarium vincere, quemadmodum ante peccatum, Carminibus ſequentibus.

Non igitur cum damnatis ſentire videntur,
Cùm dicunt mortem in cunctos tranſiſſe per unum
Primum hominem, cujus crimen reſperſerit omnes:
Nec quemquam in vitam æternam niſi fonte renatum
Venturum: infanteſque reos hoc munere ſolvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo,
Sed cum damnatis ſapiunt, damnataque promunt,
Cùm dicunt, nihil eſſe animis per vulnus avitum
Detractum decoris, ſplendoremque omnibus illum
Nunc talem innaſci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrii diſcernere ſano
Poſſe oculo cordis quidquid ſit ritè gerendum,
Nec ſolùm ad vitæ præſentis commoda ſolers
Sufficere ingenium, quo ſe tueatur & ornet,
Sed ſummis etiam mentem aptam percipiendis
Æterniſque bonis, ſpontè ad cœleſtia ferri,
Perque viam ad Chriſtum, quam fecerit ipſa venire.
Hinc hominem multâ recti aſſuetudine firmum
Poſſe repugnare adverſis, nec cedere pœnis
Quas ſuperandæ animæ per carnem admoverit hoſtis,
Auxilio abſcedente Dei: qui deſerat aptè
Utiliterque ſuos, ut de certamine agonis
Quæſitas referant palmas; ne nulla piorum
Sint merita & veræ priventur laudis honore,
Si quod naturæ ſenſu noluntque voluntque

Præ-

Præceptiſque tenent legalibus inſinuatum,
Divini auxilii manus hoc operetur in illis;
Ceu ſolis Chriſti famulis virtute carere
Sit dignum, & non poſſe probos apprehendere mores,
Quos plerumque habeant etiam ſimulacra colentes.

His S. Proſper monet iſtos magis eſſe vitandos, quia peccatum originale ſubdolè confitentes, quoad Dei gratiam eadem cum Pelagianis ſentiebant, ac ſi nullum ex peccato homo vulnus contraxiſſet.

III. Secundò: Ad initium fidei & boni operis nullam gratiæ interioris prævenientis neceſſitatem admittebant. Teſtatur hoc S. Auguſtinus, qui cùm ante Epiſcopatum, & ante exortam hæreſim Pelagianam eodem errore laboraſſet, illum poſtea deteſtatus Lib. de Prædeſt. cap. 3. his verbis confitetur: *Errabam, putans fidem, quâ in Deum creditur, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis.... Neque fidem putabam gratiâ Dei præveniri.... niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis eſſe ex nobis arbitrabar.* Quibus apparet, eum tunc ad Fidem ſolam Evangelii prædicationem abſque ulla interiori prævenienti gratia ſufficere exiſtimaſſe. In hoc errore fuiſſe Vitalem Carthaginenſem Semipelagianâ labe infectum, colligitur ex ejuſdem S. Auguſtini Epiſt. 107. (modò 217.) ad Vitalem, in qua ipſum ita coarguit: *Quomodo dicis quod te audio dicere*, ut rectè credamus in Deum, & Evangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis, id eſt ex propria voluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe? *Et ad hoc, cùm audieris. Quid eſt ergo quod ait Apoſtolus* „ Deus in vobis operatur & velle & perficere „? *Reſpondes*: Per Legem ſuam, per Scripturas ſuas, Deum operari ut velimus, quas vel legimus, vel audimus: ſed eis conſentire, vel non conſentire ita noſtrum eſt, ut ſi velimus, fiat; ſi autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus. Operatur quippè ille, *dicis*, quantum in ipſo eſt, ut velimus, cùm nobis nota fiunt ejus eloquia: ſed ſi eis adquieſcere nolumus, nos, ut operatio ejus nihil in nobis proſit, efficimus. *Quæ ſi dicis profectò noſtris Orationibus contradicis.*

IV. Ex his & aliis teſtimoniis, quæ omitto, conſtat, Semipelagianos non aliam ad fidem gratiam admiſiſſe, quàm exteriorem Legis & Evangelii propoſitionem. Scio, Janſenium & alios oppoſitam ſententiam tueri. At contra illos ſtare puto Conſtitutionem Innocentii X. quâ inter Janſenianas Propoſitiones hæc num. 4. damnatur: *Semipelagiani admittebant interioris prævenientis gratiæ ne-*

neceſſitatem, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare; quàm Propoſitionem ut falſam & hæreticam etiam Alexander VII. proſcripſit.

V. Tertiò: Perſeverantiam in bono ſingulare Dei donum eſſe negabant. Dicebant enim, in cujuſque poteſtate eſſe, ut ſi velit perſeveret: nec talem dari perſeverantiam, à qua homo deficere non poſſit, alioquin adhortationes & correptiones fore inutiles. Ita de eis refert Hilarius Epiſt. ad S. Auguſtinum: *Nolunt autem ita hanc perſeverantiam prædicari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit: nec ad incertum voluntatis Dei deduci ſe volunt, ubi eis, quantum putant, ad obtinendam vel amittendam, evidens eſt qualecumque initium voluntatis... nec cuiquam talem dari perſeverantiam, à qua non permittatur prævaricari, ſed à qua poſſit ſuâ voluntate deficere & infirmari. Afferunt inutilem exhortandi conſuetudinem, ſi nihil in homine remanſiſſe dicatur, quod correptio valeat excitare.*

Hinc in hoc naturæ noſtræ ſtatu non aliam Sanctis dari Gratiam ad perſeverandum, quàm quæ Adam collata fuit. Ita idem Hilarius ſubjungit: *Deinde moleſtè ferunt, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur, ut ille acciperet perſeverantiam, non quâ fieret ut perſeveraret, ſed ſinè quâ per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc verò Sanctis in Regnum per gratiam prædeſtinatis, non tale adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſinè iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint: verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes fiant*. Et quia S. Auguſtinus contrarium ſentiebat, dicebant *quandam deſperationem hominibus exhiberi*. Hæc de Semipelagianis Maſſilienſibus ſcribit Hilarius. Quibus S. Auguſtinus oppoſuit Librum de Dono Perſeverantiæ, & Lib. de Correptione & Gratia.

Cùmque ad hoc comprobandum opponeretur eis illud Sapientiæ 4. v. 11. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, reſpondebant, Librum illum non eſſe Canonicum. Ita idem Hilarius Auguſtino: *Illud etiam teſtimonium quod poſuiſti: Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, tanquam non Canonicum definiunt omittendum*. Licèt enim Liber ille inter Canonicos numeratus fuiſſet à Concilio Carthaginenſi III. & ab Innocentio I. in Epiſt. ad Exuperium, cùm hoc negantes nullo anathemate damnaſſent, & S. Hieronymus Præfat. in Libros Salomonis Librum Sapientiæ *Ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam* non valere ſcripſiſſet; liberum ſibi eſſe putabant Maſſilienſes, Librum illum ut Canonicum non recipere. VI. Quar-

Digitized by Google

VI. Quartò: Gratiam, quam neceſſariam ſive ad boni operis initium, ſive perfectionem admittebant, libero hominis arbitrio ita ſubdebant, ut bonum opus ejus potiùs obedientiæ, quàm Deo ejuſque gratiæ tribuerent. Quare S. Proſper in Epiſt. ad S. Auguſt. *Nec conſiderant*, inquit, *ſe gratiam Dei, quam comitem, non prævíam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea, ſecundùm ſuam phantaſiam non negant eſſe præventas*. Et infra: *Ac ſic cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam eſſe quàm gratiam, ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat; & voluntas hominis Divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem*.

VII. Quintò: Aſſerebant, Deum æquè velle omnes homines ſalvos fieri ſi ipſi velint, nec ullos extare, ad quos uberiùs quàm ad alios gratia redemtionis ad ſalutis adoptionem derivetur. Hoc idem Proſper in Epiſt. citata teſtatur dicens: *Præviſos, inquiunt, à Domino credituros, & ad unamquamque gentem ita diſpenſata tempora ac miniſteria magiſtrorum, ut exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud* (1. Tim. 12. v. 4.) quòd „ Deus omnes homines velit ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire „: *quandoquidem inexcuſabiles ſint, qui & ad unius veri Dei cultum potuerint inſtrui intelligentiâ naturali, & Evangelium ideò non audierint, quia nec fuerint recepturi. Pro univerſo autem humano genere mortuum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & neminem prorsùs à redemtione ſanguinis ejus exceptum, etiamſi omnem hanc vitam alieniſſimâ ab eo mente pertranſeat: quia ad omnes homines pertineat Divinæ miſericordiæ Sacramentum: quo ideò plurimi non removentur, quia quòd nec renovari velle habeant prænoſcantur*.

VIII. In hoc ſecernenda eſt ab hæreſi Pelagiana Catholica doctrina. Primò: Quia illa Propoſitio *Deus vult omnes homines ſalvos fieri ſi velint* Catholica eſt, ſi tamen hanc noſtram ſalutis voluntatem non in liberum arbitrium ſolis naturæ viribus petens, quærens, pulſans eam totam refundamus (ut Semipelagiani errabant) ſed in Gratiam Dei voluntatem noſtram prævenientem, & cum S. Auguſtino Lib. 1. Retract. cap. 10. dicamus: *Verùm eſt omninò omnes homines hoc poſſe, ſi velint: ſed præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere caritatis ut poſſint*.

Secundò: Deum velle omnium ſalutem generali voluntate propriè dictâ, quantum ex parte ipſius eſt, perfectâ & ſincerâ, Catholicum dogma eſt. Sed Deum nolle, ſpeciali voluntate & propoſito, aliquorum ideſt prædeſtinatorum ſalutem, & redemtionis ſuæ

ſuæ fructum his non magis efficaciter, quàm aliis applicare, Semipelagianum errorem ſapit.

Tertiò: Licèt Semipelagianum ſit aſſerere, ex Chriſti redemtione non majora beneficia in vaſa miſericordiæ, quàm in vaſa iræ derivari; Catholica tamen ſententia eſt, Chriſtum pro omnibus ſufficienter mortuum eſſe, non ſola ſufficientiâ pretii, quòd Sanguis ejus omnibus hominibus ſalvandis ſufficiens eſſet; ſed ſufficientiâ voluntatis, quâ omnibus prodeſſe voluerit, voluntate ſcilicet antecedenti ac generali (ut Theologi ajunt) tamquam pius Pater. Ideòque hanc Propoſitionem *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe*, meritò in Janſenio damnarunt Innocentius X. & Alexander VII.

IX. Hinc infertur, non in eo Semipelagianos hæreticos fuiſſe, quòd Gratiam dantem poſſe, quam *ſufficientem* vocant Theologi, omnibus ſinè ulla exceptione præſto eſſe ad ſalutem aſſererent: ſed in hoc quòd illam ad initium boni operis vel fidei non requiri pertinaciter defenderent; & rursùs quia non aliam gratiam diſcretivam hominum ſibi aſſerendam eſſe crederent, niſi quaſdam integræ naturæ reliquias: & diſcretionem hominum non ſolâ Dei voluntate fieri, ſed naturali libertate ſub gratia quidem conſtituta, ſed mentem illuminante, non movente voluntatem aſſererent. Et ut refert S. Proſper in prælaudata Epiſt. *Conſequens putant, ut quia prævaricator ideò dicitur non obediſſe, quia noluit, fidelis quoquè non dubitetur ob hoc devotus fuiſſe, quia voluit; & quantam quiſque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; parique momento animam ſe vel ad vitia, vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala ſectantem damnatio juſta ſuſcipiat.*

X. Sextò: Nullam eſſe electorum vocationem ſecundùm propoſitum contendebant, nec prædeſtinationem gratuitam eſſe, ſed ex meritis: Præſciviſſe enim Deum, quinam vocationi proprio arbitrio fidem & obſequium accommodaturi eſſent, & perſeveraturi, & hos elegiſſe, alios verò reprobaſſe: *Qui* (inquit S. Proſper in Epiſt. ad S. Auguſt.) *credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante Mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in Regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros prævideri*t. Idem teſtatur Hilarius in Epiſt. ad eumdem S. Doctorem dicens: *De compendio putant, rationem reddi electorum, vel rejectorum in eo, quòd unicuique meritum propriæ voluntatis adjungitur.*

Cùm verò eis objiciebatur de parvulis morientibus, qui nulla

la merita habituri ſunt, nec ullum habent demeritum, niſi culpæ originalis, cur eorum aliquos prædeſtinet, alios reprobet, reſpondebant, Deum rationem habere meritorum, vel demeritorum, quæ habituri erant ſi vixiſſent. Ita S. Proſper Epiſt. ſæpè allata: *Cùmque*, inquit, *inter hæc innumerabilium illis multitudo objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, ſub quo omnes homines ſimiliter in primi hominis damnatione naſcuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias rationes, non ſinè Dei judicio ſecernuntur, ut ante diſcretionem boni ac mali de uſu vitæ hujus auferendi, alii per regenerationem inter Cœleſtis Regni aſſumantur hæredes; alii ſinè Baptiſmo mortis perpetuæ tranſeant debitores; tales ajunt perdi, taleſque ſalvari, quales futuros in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia Divina præviderit.*

XI. Ne autem putet quis ad Semipelagianos accedere Theologos noſtri temporis, qui volunt prædeſtinationem electorum fieri à Deo poſt merita per Scientiam, quam vocant Mediam, prævisa: ſciat, latam eſſe horum ab illis diſtantiam. Nam Semipelagiani volebant, diſcretionem electorum à non electis eſſe ex præviſione meritorum, quæ non ex gratia, ſed propriâ libertate eſſent comparanda, nec ſpeciali gratiâ donari electos præ non electis. Unde electi inflari poterant contra non electos, quaſi ipſi ſuo opere ſalutem ſibi comparaſſent contra illud Pauli 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* At recentiores Theologi licèt velint prædeſtinationem ad gloriam merita prævisa ſupponere, ea tamen ex gratia facienda ſupponunt, & ut illa efficaciter ſalutem operentur Deus ipſe facit dando electis ſpecialem gratiam quam congruam vocant, ideſt in illis circumſtantiis, in quibus ea finaliter benè uſuros ipſe prævidit. Ab hoc, ajunt, loquendi modo diſſidere non videtur S. Auguſt. L. 1. ad Simplicianum qu. 2. ubi ait: *Verum eſt ergo, Multi vocati, pauci electi. Illi enim electi qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati. Item verum eſt,* „ Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei „ *quia etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur. Falſum eſt autem ſi quis dicit: Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis atque currentis eſt hominis: quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* De hoc aliqua dixi in Vera Eccleſia Tom. 1. cap. 12. §. 3. num. 12., & Tom. 2. p. 1. art. 7. §. 2. n. 3. ut Catholicos à nota Semipelagianiſmi quam eis inurere tentabat Piceninus, præſervarem.

XII. Ad

XII. Ad Semipelagianos redeundo dico, eos de Prædeſtinatione etiam erraſſe, quia Prædeſtinatorum non eſſe certum numerum, ſed in hunc ordinem quoſdam in dies adſcribi, quoſdam ex eo expungi aſſerebant: Dicentes Prædeſtinationem gratuitam, efficacem, & ineluctabilem, fato eſſe ſimillimam, ac negligentiæ & teporis, imò & deſperationis occaſionem præbere. Ita S.Proſper in Epiſt. ad S. Auguſt. eos ſenſiſſe refert: *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante Mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani eligendorum & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundùm quod placuit Creatori, alii vaſa honoris alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis adferre: eò quòd in utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullá induſtriá poſſit intrare, neque electus ullá negligentiá poſſit excidere.* Et infra: *Divino adſcribere operi Sanctorum merita formidant, nec aquieſcunt, prædeſtinatum electorum numerum nec augeri poſſe nec minui; ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac ſuperflua ſit induſtriæ ac laboris indictio, cujus ſtudium ceſſante electione fruſtrandum ſit.* In hoc ergo errorem ſuum fundabant, quòd exiſtimabant, poſitâ prædeſtinatione immutabili, tolli exhortationes, correctiones, induſtriam benè operandi, ac induci deſperationem. Eadem exponit Hilarius in Epiſt. ad S. Auguſtinum. Hi ſunt præcipui Semipelagianorum errores.

§. II.

Semipelagianæ hæreſis origo, primi ejus Auctores ac Sectatores.

I. HOc errore ſe fuiſſe conſperſum ante Epiſcopatum, & ante ortum hæreſis Pelagianæ Sanctus Auguſtinus ipſe fatetur in Lib. de Prædeſt. SS. cap.3. dicens: *Quem meum errorem nonnulla Opuſcula mea ſatìs indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta, in quibus eſt illud, quod commemoraſtis in literis veſtris, ubi eſt expoſitio quarumdam propoſitionum ex Epiſtola quæ eſt ad Romanos.* Hunc errorem poſtea rejecit, nedum in Libris Retractationum, ſed exortam Pelagianam hæreſim adeò fortiter aggreſſus eſt, ut ab ea expugnanda uſque ad finem vitæ nunquam deſtiterit: quod oſtendunt nedum Epiſtolæ de hac re datæ, & Libri qui Tomo 10. noviſſimæ Editionis exhibentur, ſed præcipuè Opus imperfectum contra Julianum, quod morte præventus abſolvere non potuit.

II. Quia verò S.Auguſtini doctrina de Prædeſtinatione & Gratia

tia nimis aſpera ac dura videbatur ac liberi arbitrii everſiva, ac proindè ad extremum Pelagianæ hæreſi oppoſitum declinare; propterea aliqui, præſertim ex Gallia, eam emollire ſtudentes, & nec Pelagio adhærere nec Auguſtino ſubſcribere, mediam viam excogitarunt, quâ Pelagii dogma, etſi non totum, magna tamen ex parte adoptantes, Semipelagiani dicti ſunt. Colligo hoc ex Epiſtola S. Proſperi Aquitani ſupra citata ad S. Auguſtinum, ubi hæc ſcribit: *Multi ſervorum Chriſti, qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt, in Sanctitatis tuæ ſcriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti*. Deinde ſubjicit ea, quæ in S. Auguſtini doctrina Maſſilienſibus diſplicerent, & ea quæ ipſi ſentirent, quæ ſunt errores Semipelagianorum ſupra recenſiti. Idèm præſtat in ſua Epiſtola Hilarius.

III. Hos igitur Semipelagianiſmi errores (quibus fortè antea imbutus fuerat Vitalis Carthaginenſis, ut apparet ex Epiſtola S. Auguſtini 107. modò 217. ad ipſum data) in Galliis excitarunt quidam Epiſcopi & Presbyteri in Lugdunenſi & Arelatenſi Provincia, & præſertim Maſſiliæ, unde Maſſilienſes vulgò dicti, viri cæteroquin famæ non ignobilis, nec minùs eruditione præſtantes, quàm morum ſanctitate conſpicui, qui offenſi Sancti Auguſtini Libris, quibus Gratiæ Chriſti neceſſitatem, & vim ad ſingulos actus ita prædicabat, & liberi infirmitatem arbitrii adeò inculcabat, ut totum Deo adſcribere videretur, ac præſertim in Epiſt. ad Sixtum, Libro de Gratia & Libero arbitrio, Libro de Correptione & Gratia, eſtò Pelagianos cum univerſa Eccleſia deteſtarentur, in errores tamen illis affines impegerunt.

IV. Horum Maſſilienſium Semipelagianorum princeps fuiſſe dicitur Joannes Caſſianus, quem Libri Collationum Patrum ab ipſo editi celebrem reddidere. De ejus patria varius ſermo eſt. Scythiâ oriundum aſſerit Gennadius in Catal. Virorum Illuſtrium. Photius Cod. 197. Gente Romanum facit. Plerique tamen Recentiores Gallum eſſe contendunt in Provincia natum. Hoc certum eſt, monaſticam vitam ab adoleſcentia profeſſum, & Palæſtinæ ac Ægypti Cœnobiis peragratis ac Eremis, initâ cum Germano Monacho arctiſſimâ neceſſitudine, Conſtantinopolim appuliſſe. Ibi morum integritate probatâ à S. Jo. Chryſoſtomo Diaconus ordinatus fuit. At S. Chryſoſtomo malis artibus Theophyli Alexandrini, & impotenti Eudoxiæ irâ in exilium amandato, Romam ad Innocentium I. Cleri Conſtantinopolitani nomine Caſſianus Legatus venit. Defuncto autem S. Chryſoſtomo, in Gallias rediit ac Maſ-

Maſſiliæ ſubſtitit, ubi extructo Monaſterio magnam ſibi eruditione ac ſanctimoniâ famam peperit.

A Caſtore Aptenſium Epiſcopo excitatus Commentarios de Inſtitutis Monachorum Ægypti ſcripſit, & Collationes Patrum inchoavit, eoque vitâ functo proſecutus, decem priores Leontio Epiſcopo & Helladio Monacho nuncupavit, quibus alios 14. poſtea addidit, Honorato Lirinenſis Cœnobii fundatore & Abbate, ac ſubinde Arelatenſi Epiſcopo, aliiſque illius Inſulæ Monachis poſtulantibus. Hiſce in Libris Semipelagianum dogma apertè docuit, præcipuè Collatione 13. quæ eſt Abbatis Chæremontis. In ea enim dicebat, initium bonæ voluntatis & fidei aliquando ex Deo, aliquando verò ex homine ortum habere: agnoſcenda in nobis virtutum ſemina: liberum arbitrium naturaliter poſſe ad bonum inclinari, & ab ejus motibus ſæpè gratiæ dona antecedi. Quæ omnia & alia ſimilia cum S. Proſper Pelagiani erroris jam damnati ſurculos judicaſſet, Caſſiano adhuc ſuperſtite, confutare aggreſſus eſt Libro quem inſcripſit *Contra Collatorem*, qui inter ejus Opera adhuc extat.

Cæterum magna cum opinione ſanctitatis obiit Caſſianus. Unde S. Gregorius Magnus Lib. 6. Epiſt. 12. ad Reſpectam Maſſilienſem Abbatiſſam datâ laudat Monaſterium, *Quod in honorem S. Caſſiani conſecratum eſt*. Et Urbanus V. Caſſiani caput argenteâ thecâ incluſum hâc epigraphe ornari voluit: *Caput S. Caſſiani*. Unde illius memoria ſolemni ritu Maſſiliæ colitur die 23. Julii.

V. Ex Caſſiani Collationibus Lirinenſis Monaſterii nonnulli Semipelagianam labem contraxere; cujus propugnator acerrimus fuit Fauſtus. Is anno 433. Lirinenſis Monaſterii Abbas renuntiatus, viginti & ultra annis Monachis præfuit, ac demum ad Rejenſem Epiſcopatum aſſumtus fuit, anno circiter 462. Quo anno Synodo Romæ celebratæ ipſum interfuiſſe, teſtis eſt Hilarus Papa Epiſt. ad Leontium. Et gravi exortâ lite inter Leontium Arelatenſem & Mamertum Viennenſem Metropolitanos, Fauſtus unà cum Auxanio Judex à Synodo electus ſententiam pro Leontio tulit anno 463., quam Hilarus confirmavit. Patriâ Britannum fuiſſe Fauſtum conſtat ex Sidonio Lib. 9. Epiſt. 9.; & ex Avito Viennenſi in Epiſt. ad Regem Burgundiorum.

Occaſio, quâ Fauſtus Semipelagianum ſe prodidit, fuit hæc. Celebratis anno 475. duobus Conciliis Arelate & Lugduni contra quoſdam errores in materia Prædeſtinationis recèns exortos, eos impugnandi provinciam Patres Fauſto demandarunt, ut ipſe in ſuorum Librorum præfatione teſtatur. Libros ergo duos de Gratia & Libero arbitrio edidit, in quibus mandati limites prætergreſſus,

S.Au-

Digitized by Google

S.Auguſtini doctrinam totis viribus impugnare aggreſſus eſt, multa ei incommoda & abſurda affingens, ut Lib. 1. cap. 4.: ubi poſt plura adversùs S. Auguſt. dicta, concludit: *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem, ut aſſerunt, eſt deputatus, ſicut quidam Sanctorum* (Auguſtinus) *dixit, non judicandi naſcimur, ſed judicati.* Et ad Græcum Diaconum antea ſcripſerat, multa in S. Auguſtini ſcriptis eſſe ſuſpecta, & reprehenſione digna: *In ſcriptis*, inquit, *S. Pontificis Auguſtini, etiam ſi quid putatur apud doctiſſimos viros eſſe ſuſpectum, ex his quæ damnanda judicaſti, nihil noveris reprehenſum.*

Suam verò ſententiam promens, Semipelagianiſmo tinctam eam eſſe ſatis oſtendit. Nam Fidem liberi arbitrii viribus adſcribit: nos abſque gratia Dei quærere, petere, pulſare ut eam impetremus dicit. Loca autem præcipua, quibus ſe Semipelagianum manifeſtat, videri poſſunt apud Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 5. Diſſert. 4. de Semipelagiana hæreſi. His tamen erroribus non obſtantibus, quia eo vivente nondum damnati ab Eccleſia inter opiniones habebantur, ſacros honores in Rejenſi Eccleſia poſt mortem adeptus eſt, ejuſque nomen Sacris Eccleſiæ Gallicanæ faſtis eſt inſertum.

VI. Semipelagianorum errore infectum fuiſſe etiam Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, nemo qui S. Proſperi Epiſtolam ad S.Auguſtinum legerit puto diffitebitur. Ipſum enim inter illos recenſet, qui licèt inter S.Auguſtini doctrinæ admiratores eſſet, unus tamen ex eis deſcribitur, qui gratuitam Dei Prædeſtinationem ad initium fidei in querelam vocabat: verba S. Proſperi ſunt: *Unum eorum, præcipuæ auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum, Sanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat Beatitudo tua, admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ: & de hoc quod in querelam trahit jampridem apud Sanctitatem tuam ſenſum per literas velle conferre: ſed quia hoc facturus, aut quo fine ſit facturus, incertum eſt, & omnium fatigatio, providente hoc præſertim ſeculo Dei gratia, in tuæ caritatis & ſcientiæ vigore ſperat: adde eruditionem humilibus, adde increpationem ſuperbis.* Hæc S.Proſper. Eo autem tempore, quo hæc S. Proſper ſcribebat, Hilarium jam fuiſſe Arelatenſem Epiſcopum ex eo apparet: quia Hilarius in Epiſcopatu ſucceſſit Honorato, qui anno 329. ineunte ex hac vita migravit: cùmque S. Proſper de Maſſilienſium erroribus ſcripſerit anno 429. deſinente, conſequens fit, quòd Hilarius jam Arelatenſem Epiſcopatum aſſumſerat.

Baronius tamen contrarium ſentiens, dicit, illa verba *Hilarium Arelatenſem Epiſcopum* irreptitia eſſe, & ab Epiſtola Proſperi

expungenda & pro *Hilario* ſubſtituendum eſſe *Honoratum*. Sed cùm, ut dixi, Honoratus jam eſſet mortuus, cùm hæc ſcripta fuit Epiſtola; cùm inſuper manuſcriptorum fides verba Proſperi ita referentium repugnet, huic emendationi locus eſſe non videtur. Eò vel maximè quòd nihil S. Hilarii ſanctitati detrahat: probabile enim eſt, quòd Hilarius, ut ſcribit Proſper, expoſitâ per literas S. Auguſtino querelâ, ejus reſponſo, vel ſaltem Libris de Prædeſtinatione & Dono Perſeverantiæ à S.Doctore poſtea editis victus, errorem depoſuerit. Hujus tamen quæſtionis judicem me conſtituere nolo. Hoc monitum volo Lectorem, Hilarium hunc Arelatenſem Epiſcopum diverſum eſſe ab Hilario, cujus Epiſtola ad Auguſtinum Libro de Prædeſt. præfixa eſt: nam Arelatenſis, ut dixi, de S. Auguſtini doctrina querelam movet; alter autem ſe ipſius præſentiæ deliciis ac uberibus nutritum fuiſſe, dicit, ſe laicum eſſe indicat, Auguſtinum vocat Patrem, & ab Auguſtino in Lib. de Prædeſt. viciſſim appellatur Filius, quæ in Arelatenſem minimè conveniunt.

VII. Inter famoſiores Semipelagianos recenſetur quidam Vincentius, qui ſexdecim capitulis aggreſſus S.Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione & Gratia, ut S. Doctoris diſcipulos ab ea ſequenda deterreret, monſtra quædam errorum, quaſi conſectaria ei affinxit: contra quæ S. Proſper edidit Librum cui titulus: *Pro Auguſtini doctrina Reſponſiones ad Capitula Objectionum Vincentianarum*. Quæ autem Vincentianæ objectiones maxima ex parte cum objectionibus Gallorum conveniebant; ideò S. Proſper iſtas quoquè Libro edito confutat. Utræque Libros S. Auguſtini ejuſque doctrinam de Correptione & Gratia, de Prædeſtinatione, & de Dono Perſeverantiæ invadunt. Sed ut notat S. Proſper in Præfatione ad Reſponſionem earum: quæ Gallorum objectiones inſcribuntur, non unius hominis, ſed totius Semipelagianæ factionis in Galliis exortæ nomen ferebant, & S. Auguſtini Libros ac doctrinam apertè impugnabant. Quæ verò Vincentianæ dicuntur, unum nomine Vincentium habuerunt, vel auctorem, vel promulgatorem; & iſtæ S. Auguſtini diſcipulos, Proſperum, Hilarium, alioſque Auguſtinianæ doctrinæ aſſertores propiùs quàm ipſum Auguſtinum inſectabantur; quaſi S. Doctoris doctrinam temerè exponentes, eam in abſurdiſſimos errores, & execrandas traherent blaſphemias. Ex quibus apparet, totum Semipelagianorum furorem in Auguſtini doctrinam ac diſcipulorum ejus exarſiſſe.

VIII. Quiſnam verò fuerit ille Vincentius Objectionum Vincentianarum auctor, adhuc controvertitur. Auctorem fuiſſe Vincentium Lirinenſem Monachum, quem Commonitorium adversùs hære-

hæreſes ſub Peregrini nomine ab ipſo editum celebrem fecit, cenſent non pauci; inter quos Cardinalis Noriſius Lib. 2. Hiſt. Pelagianæ cap. 11., cui adhæret Natalis Alexandre Hiſt. Seculi 5. cap. 3. art. 7. §. 7. moventurque: tum quia Lirinenſe Monaſterium Semipelagianâ labe infectum erat, ut in Caſſiano & Fauſto vidimus: tum quia in ipſo Commonitorio aliqua leguntur, quæ Semipelagianiſmum ſapiunt: & præcipuè illa quæ Lib. 1. cap. 26. leguntur, nimirùm: *Jam verò illis quæ ſequuntur promiſſionibus miro modo incautos homines hæretici decipere conſueverunt. Audent enim polliceri & docere, quòd in Eccleſia ſua, hoc eſt in communionis ſuæ conventiculo, magna & ſpiritalis ac planè perſonalis ſit quædam Dei Gratia, adeò ut ſinè ullo labore, ſinè ullo ſtudio, ſinè ulla induſtriâ, etiamſi nec petant, nec quærant, nec pulſent, quicumque illi ad numerum ſuum pertinent, tamen ita divinitùs diſpenſentur, ut angelicis evecti manibus, ideſt angelicâ protectione ſervati, nunquam poſſunt offendere ad lapidem pedem ſuum, ideſt nunquam ſcandalizari.* Quibus ut hæreticam traducere videtur doctrinam S. Auguſtini de Prædeſtinatione, & Dono Perſeverantiæ, & diſcipulorum ejus, quæ Gratiam non meritis ſed miſericorditer à Deo dari docet.

IX. Alii verò ab hoc nævo Vincentium Lirinenſem purgare conantur. Inter iſtos eſt Baronius in Notis Martyrol. ad diem 24. Maii his verbis „ Non eſt hoc loco prætermittendum, errare eos „ qui Vincentianas (ſic enim appellant) objectiones illas adverſùs S. Proſperum Sancti Auguſtini ſcripta defendentem Vincentii hujus (Lirinenſis) exiſtimant fuiſſe, eò quòd illis temporibus vixerit. Sed hujus rei falſitas ex hoc cognoſci poteſt, „ quòd hic non tantùm non impugnavit defenſores Sancti Auguſtini, ſed magnoperè laudavit: nam eo Libro quem ſcripſit adverſùs Hæreſes cap. 43. (mihi 32. edit. Baluzii) vehementer „ commendavit Cœleſtini Romani Pontificis Epiſtolam in defenſionem ſcriptorum Sancti Auguſtini datam ad Epiſcopos Galliarum adversùs eos, qui tanti Patris doctrinam auſi fuerant „ impugnare „. Huic opinioni libentiùs propterea ſubſcriberem. Agitur enim de Viro, cujus memoria in Martyrologio Romano ad diem 24. Maji colitur, & qui in fine ſui Commonitorii laudat Apoſtolica decreta, quibus ut hæretici damnati fuerant Pelagius, Cœleſtius unà cum Neſtorio. Quomodo ergo Vincentianarum objectionum, tam impia & blaſphema doctrinæ Auguſtinianæ affingentium, iſte Vincentius credi poteſt auctor? Quæ verò in contrarium ſupra allata ſunt, ab eo dicta cenſeri poſſunt, vel contrà Manichæos, vel contra Prædeſtinatianos ſimilia eo tempore loquentes, de quibus infra. Hæc dixi. Cæterùm quid re verâ fuerit, Deus novit.

X. Qui

Digitized by Google

X. Qui ab hac labe Lirinenſem Vincentium abſolvunt, cenſent probabilius cum Baronio citato, Auctorem præfatarum objectionum fuiſſe alterum Vincentium ſimiliter Gallum, qui eo tempore vixit, de quo Gennadius Lib. de Viris Illuſtr. c. 89. *Vincentius*, inquit, *Presbyter, & ipſe natione Gallus, in Divinis Scripturis exercitatus, linguam habens uſu loquendi, & majorum lectione politam: commentatus eſt in Pſalmos, cujus Operis legit aliqua ſancto homini Dei Cannati me audiente, promittens ſimul, ſi Dominus vitam & vires daret, ſe in toto Pſalterio eodem ſtudio laboraturum*. Quæ opinio indè etiam vires accipit, quòd illos maximè laudare Gennadius aſſueverit, qui Auguſtino minimè faverent, Vincentium verò hunc impensè laudaverit. Quidam Vincentium illum Objectionum auctorem fortè fuiſſe putant Vincentium illum Victorem, contra quem S. Auguſtinus Libro de Origine Animæ ſcripſit. Is autem cùm juvenis eſſet, potuit ſuperſtes eſſe poſt S. Auguſtini obitum, & cùm S. Proſper ſcripſit. Inter ejus autem errores, quos S. Auguſtinus reprehendit, is erat quo dicebat, *Prædeſtinatos Divinæ prædeſtinationi eripi poſſe*. Teſtatur quidem S. Auguſtinus Lib. 2. Retract. cap. 56. reſcripta correctionis ab eo ſe accepiſſe; ſed an omnes & ex corde errores correxerit, non conſtat. Potuit enim fieri, ut vulgatis proceſſu temporis S. Auguſtini Libris de Correptione & Gratia, de Prædeſtinatione, & de Dono Perſeverantiæ, audiens propter illos excitatas contentiones in Galliis, ſecutam etiam Auguſtini mortem, vir petulantis ingenii, antiquis reſumtis erroribus imò & auctis, S. Auguſtini doctrinam calumnioſis illis objectionibus proſcindere cœperit. Quibus ex Africa in Gallias miſſis, permotus S. Proſper, qui jam ad Objectiones Gallorum reſponderat, & iſtas confutare aggreſſus ſit. Quòd ſi & iſtæ Gallum habuiſſent auctorem, cùm objectionibus Gallorum ſimiles ſint, novum laborem in eis refutandis certè non aſſumſiſſet. Placeret iſte diſcurſus, ſi factio Semipelagianorum poſt S. Auguſtini obitum, nedum in Galliis, ſed & in Africa viguiſſet, quod nemo dixit; niſi fortè quis putet, Vincentium hunc in Gallias ex Africa tranſmigraſſe. Sed de hoc pluſquam ſatis.

XI. Semipelagianis jure accenſetur Gennadius. Talem enim ſe oſtendit in Libro quem de Viris Illuſtribus edidit, in quo nedum Semipelagianos laudat, ut de Fauſto apparet, de quo dicit cap. 85. *Edidit Opus egregium de Gratia Dei, quâ ſalvamur, & libero humanæ mentis arbitrio in quo ſalvamur*; quod Opus Semipelagianis erroribus refertum eſt. Sed S. Auguſtinum & Proſperum fidum ejus diſcipulum velut reos erroris traducit. De Sancto quippè Auguſtino ſic loquitur cap. 38. *Auguſtinus vir eruditione Divinâ & huma-*

humanâ Orbi clarus, fide integer & vitâ purus, ſcripſit quanta nec inveniri poſſunt .... Unde & multa loquenti accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus Sanctus „ Ex multiloquio non effugiet peccatum „.... *Error tamen illius ſermone multo contractus, luctâ hoſtium exaggeratus, nedum hæreſis quæſtionem dedit.* De S. Proſpero autem cap.84. *Proſper*, inquit, *homo Aquitanicæ regionis .... Legi & Librum adversùs Opuſcula ſub perſona Caſſiani: quæ Eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nociva.* Qui de Auguſtino & Proſpero ita obloquitur, procul dubio Semipelagianus eſt.

XII. Semipelagianiſmo involvunt aliqui Sulpicium Severum, & S. Honoratum Maſſilienſem Epiſcopum; ſed immeritò, ut puto. Scribit quidem Gennadius cap. 19. quòd: *Hic in ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo pœnitens emendaret.* Sed Guibertus Abbas Gemblacenſis in Apologia pro Severo Sulpicio ait; quòd autem à Pelagianis ſeductus, in aliquo à regula orthodoxa fidei exorbitaverit, nuſquam omninò, niſi in ſolo legi Gennadio, qui neſcio, utrum hoc alicubi & ipſe legerit, an ex ſola fama, quæ facta & infecta loquitur, didicerit. Hoc certum eſt, quòd S. Paulinus, Auguſtinus & alii de eo ut de viro docto & ſancto loquuntur. Unde Gemblacenſis concludit: Illud tamen fideliter credo, hunc ejus errorem gloriam ſanctitatis ejus non obſcuraſſe; cùm auctor idem qui refert deceptum teſtetur, & correctum. Ejus propterea nomen celebrat Martyrol. Rom. 29. Januarii. Addo quòd ſi deceptus fuit, Pelagiano, non Semipelagiano errore deceptus fuit. Quòd ſi Pelagianum errorem ſilentio deteſtatus fuit, non eſt credibile, quòd Semipelagianum poſtea ſuſceperit.

XIII. De S. Honorato Maſſilienſi, quamvis eum fuiſſe Semipelagianum ſuſpicetur Cardinalis Noriſius ex Vita S. Honorati à S. Hilario Arelatenſi conſcripta, in qua dicitur, quòd Honoratus *Emenſo biennio cùm ad meriti proprii percipiendum præmium vocaretur.* Dubito. Nam ex hoc quòd vita æterna dicatur præmium proprii meriti, non ſequitur Semipelagianus error, ſi merita non propriis naturæ viribus, ſed per gratiam comparata dicuntur: hoc enim (quidquid obſtrepant Proteſtantes) fides Catholica docet. Gratiam autem prævenientem & animum hominis in melius mutantem Honoratum fuiſſe confeſſum, conſtat ex eadem Vita cap.4. ubi ait: *Tali definitione firmatus occurrit aſpectu ſereno, animo ſecuro, ſubmiſſo colloquio, quemadmodum humanum arbitrium Divina præcedens gratia commutaret in melius, dignâ converſione, ſermone, mente habituque demonſtrans.* Quòd verò Gelaſius Honorati fidem libel-

libello Romam miſſo approbaverit, ad ſummum arguere poſſet, quòd ex Gennadii aliorumque Maſſilienſium, qui Caſſiani doctrinam de gratia ſequebantur, conſortio, aliqui locum ſuſpicandi de ejus fide accepiſſent, quam tamen ſuſpicionem coram Gelaſio oblatâ fide diſſipavit.

XIV. Finiam, meum Lectorem monendo, ne miretur, ſi aliquos ex ſupra dictis Semipelagiſmum profeſſos audiat alicubi ut Sanctos haberi, & in Martyrologiis ut tales deſcribi & coli. Nam Semipelagianiſmus initio non habitus fuit ut error contrarius fidei, ſed ut opinio ad temperandum prætenſum rigorem doctrinæ S. Auguſtini circa Prædeſtinationem & Gratiam; unde bellum contra Scholam S. Auguſtini non contra Eccleſiam, quæ hac de re nondum definierat, agebatur. Quare Maſſilienſes, qui pertinaciùs reſiſtebant, adhuc ut Catholici habebantur, & ut tales eos agnoſcunt S. Auguſtinus Lib. de Dono Perſeverantiæ cap. ultimo, ubi eos vocat *fratres ac dilectos ſuos*, & Lib. de Prædeſt. SS. cap. 14. ubi ait: *Quo circa non debent fratres noſtri, qui nobiſcum pro Catholica Fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, in tantùm favere opinioni* &c. S. Proſper etiam Lib. contra Collatorem cap. 1. licèt eos calumniatores appellet, quia S. Auguſtini doctrinæ notam erroris affingerent: eos tamen cap. 33. (modò 14.) Catholicos appellat: *Quis*, inquit, *hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet, niſi ea quæ in colloquiis domeſticis ſæpè defenſa ſunt, etiam ſcripta legerentur?* Et cap. ultimo ſic concludit: *Sufficienter ut arbitror demonſtratum eſt, reprehenſores Sancti Auguſtini, & vana objicere, & recta impugnare, & prava defendere; peremtorumque armis inteſtinum bellum moventes, dictis Divinis, atque humanis conſtitutionibus rebellare. Quorum tamen dum adhuc non ſunt à fraterna ſocietate diviſi, toleranda magis eſt intentio, quàm deſperanda correctio: ut donec Dominus per Eccleſiæ principes, & legitimos judiciorum ſuorum Miniſtros, hæc quæ per paucorum ſuperbiam, & quorumdam imperitiam ſunt turbata, componat* &c.

XV. Ex his ergo colligitur, Semipelagianos non ſtatim hæreticos habitos fuiſſe, ſed aliquandiù Catholicorum nomen retinuiſſe: Pelagianam enim hæreſim anathemati devovebant, Sedis Apoſtolicæ contra illam Decreta complectebantur, Eccleſiæ univerſæ communione fruebantur: & temporibus Cœleſtini, Sixti, & Leonis, & ſequentium uſque ad Felicem IV. & Arauſicanæ II. Synodi celebrationem, in qua Semipelagiana anno 529. damnata doctrina eſt, à Catholicorum nomine non exciderunt. Poſtea verò hæreſis evaſit, ut qui eam pertinaciter ſuſtinuerit, non ſolùm contra Auguſtini doctrinam ut ante, ſed contra Eccleſiæ fidem rebellis

Digitized by Google

lis exiſtat. Sic aliqua, quæ antiquis temporibus ut opiniones circumferebantur, ut de Millenario Regno, de dilatione Viſionis Beatæ ad diem Judicii, & alia, poſtea eliquatâ per Concilia & Eccleſiam veritate, hæreſes evaſerunt.

§. III.

De Prædeſtinatianis.

I. Sicut ex doctrina S. Auguſtini pravè intellectâ hæreſis Semipelagiana, ita & Prædeſtinatiana exorta eſt. Illa Prædeſtinationem ſecundùm propoſitum tollebat: Iſta eam aſſerens blaſphemabat. Hanc Sigebertus Gemblacenſis Monachus in Chronic. ad annum Chriſti 415. his verbis deſcribit „ Prædeſtinatorum hæ-„ reſis hoc tempore cœpit ſerpere, qui ideò Prædeſtinati vocan-„ tur, quia de Prædeſtinatione & Divina Gratia diſputantes, aſſe-„ rebant, quòd nec piè viventibus proſit bonorum operum labor, „ ſi à Deo ad mortem prædeſtinati fuerint; nec impiis obſit, quòd „ improbè vivant, ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam: quæ „ aſſertio, & bonos à bonis avocabat, & malos ad mala provo-„ cabat. Hæc hæreſis ex Libris Auguſtini malè intellectis initium „ ſumſiſſe dicitur „. Quibus, & tempus circa quod exorta eſt, nempè ſub Honorio Imperatore & Innocentio I. Rom. Pont. & error exprimitur, occaſio etiam ex qua emerſit; Auctor autem apud omnes ſilentio præteritur.

II. Hæreſis hæc damnata fuit ſub anathemate anno 475. in Conc. Lugdunenſi & Arelatenſi in Lucido Presbytero qui eam adoptaverat. Eandem à Gotheſcalco excitatam anno 848. confixit Synodus Moguntina II., ut ex Epiſt. Rabani ad Hincmarum Tom. 5. Conc. Harduini pag. mihi 15. in qua ita ſcribit: *Notum ſit dilectioni veſtræ, quòd quidam gyrovagus Monachus nomine Gotheſcalco, qui ſe aſſerit Sacerdotem in veſtra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas ſuperſtitiones & noxiam doctrinam de Prædeſtinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens, quòd Prædeſtinatio Dei, ſicut in bono, ſic etiam & in malo: & tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter Prædeſtinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere, quaſi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe, & pœnæ obnoxios in interitum ire.* Et infra: *Quia jam multos, ut audivi, ſeductos habet, & minùs devotos erga ſuam ſalutem, qui dicunt: Quid mihi proderit laborare in ſervitio Dei? Quia ſi prædeſtinatus ſum ad mortem, nunquam illam evadam; ſi autem malè egero, & prædeſti-*

natus ſum ad vitam, ſinè ulla dubitatione ad æternam requiem vado. His Rabanus Hincmarum pro ſui cautela certiorem facit.

III. Hinc colligo, non eſſe aſſentiendum Janſenio Yprenſi & aliis, qui aſſerunt, Prædeſtinatianam hæreſim nullam unquam fuiſſe; ſed Prædeſtinatianorum nomine S. Auguſtini diſcipulos traductos fuiſſe à Semipelagianis. Fateor quidem, Dogmata Prædeſtinatianorum convenire cum calumniis, quibus Maſſilienſes S. Auguſtini & diſcipulorum doctrinam de Prædeſtinatione, quam propterea negabant, diffamare conabantur, ut oſtendit Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 5. diſſert. 5. propoſit. 3. Negari tamen non poteſt, fuiſſe aliquos, qui Prædeſtinationem admittentes, eâ poſitâ neceſſitatem boni operis tollerent, ideòque in hoc Prædeſtinatiani hæretici, inter quos Lucidus Presbyter à Fauſto Rejenſi delatus, licèt paucos & obſcuri nominis ſectatores habuerit, ut ex Synodo Arauſicana II. Can. 25. indicari videtur. Et inſuper negari non poteſt, hæreſim hanc à Gotheſcalco, ut ſupra dixi, fuiſſe ſeculo IX. excitatam. In hoc conſentit etiam Danæus cap. 88. de Pelagianis, ubi ait,,, Ortus verò erat hic error pauco ante Pelagium tempore, nimirùm ſub Honorio Imperatore, quemadmodum Sigebertus ait. Ex quo factum eſt, ut pulcherrimum de Prædeſtinatione Sanctorum Tractatum ederet Auguſtinus, doceretque quomodo ea doctrina quæ ſaluberrima eſt, omninòque Eccleſiæ ſcitu neceſſaria, prædicari & populo explicari poſſet,,. Hæc in laudem S. Auguſtini Danæus.

IV. Hoc in controverſiam vocari non poteſt, hæreſim hanc profeſſos fuiſſe ſeculo XV. Joannem Wicleffum in Anglia, & Joannem Huſs in Boemia, quorum errores, & inter cæteros iſte, relati & damnati fuere in Synodo Conſtantienſi ſeſſ. 15. Aſſerebat enim Wicleffus, Paulum præſcitum nunquam poſſe verè pœnitere: & Huſs, eum qui prædeſtinatus eſt ad vitam, etiamſi mala opera agat, nunquam poſſe eſſe membrum Diaboli; & illum qui eſt à Deo ordinatus ad mortem, quamvis benè vivat, nunquam poſſe eſſe membrum Dei. Hanc hæreſim anno 1534 amplexati ſunt aliqui vulgares & idiotæ homines in Hollandia & Phrygia dicentes, nulli hominum bonum opus prodeſſe, ſed omnia pendere ex prædeſtinatione & præſcientia Divina. Quæ doctrina juſtos à bonorum operum exercitio avocat, & pravos ad quæcumque ſcelera perpetranda invitat. Id confirmat Danæus ipſe citato loco dicens: ,, Huic Prædeſtinatorum ſectæ ſucceſſerunt noſtro hoc ſeculo libertini homines ſpurci & fœdi, digni qui canes potiùs & porci, quàm homines appellentur,,. Quomodo autem ab hoc errore ſe ipſum ac ſuos Pſeudo-Reformatos eximat, qui aſſerunt opera

bona

Digitized by Google

bona nihil ad ſalutem conferre, imò in ſe ipſis abominationes eſſe, nec liberè ſed neceſſariò fieri; ipſi viderint.

V. In hoc errore evertendo totus eſt S.Auguſtinus, maximè in Libro de Dono Perſeverantiæ, ubi inter alia oſtendit cap.17., quòd omnia quæ contra prædeſtinationem objiciuntur, contra præſcientiam objici poſſunt: ſicut enim ea quæ Deus prædeſtinavit, infallibiliter erunt: ita & quæ Deus futura præſcivit. Vel ergo tollenda erit à Deo etiam præſcientia, ſi propterea tollitur prædeſtinatio: vel ſi ſtante præſcientiâ ſubſiſtit adhuc libertas, & datur locus exhortationibus, correctionibus, & converſionibus; idem ſtante prædeſtinatione ſubſiſtit. *Sicut autem*, inquit, *ille*, *quem caſtum futurum eſſe præſcivit*, *quamvis id incertum habeat*, *agit ut caſtus ſit*: *ita ille quem caſtum futurum prædeſtinavit*, *quamvis id incertum habeat*, *non ideò non agit ut caſtus ſit*, *quoniam Dei dono ſe audit futurum eſſe quod erit*: *imò etiam gaudet ejus caritas nec inflatur*, *tanquàm id non acceperit*. *Non ſolùm ergo prædicatione prædeſtinationis ab hoc opere non impeditur*, *verùm & ad hoc adjuvatur*, *ut cùm gloriatur*, *in Domino glorietur*.

Prædeſtinatione autem non tolli ſtudium bonorum operum ſed conferri, oſtendit Auctor Lib. de Vocatione Gentium L.2.c.*36.* ubi allatis verbis Raphaelis Angeli, Tobiæ juniori dicentis de uxore quam accepturus erat licèt à Dæmone vexata (Tobiæ *6.*) eam fore liberandam, ſi præter alia quæ ipſi præſcriberet, triduo ante concubitum ſimul cum ea orationi vacaret, ut de facto evenit, ſubjungit: *Quamvis ergo quod ſtatuit Deus nullâ poſſit ratione non fieri*, *ſtudia tamen non tolluntur orandi*, *nec per electionis propoſitum liberi arbitrii devotio relaxatur*: *cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus*, *ut per laborem operum*, *per inſtantiam ſupplicationum*, *per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum*; *& qui bona geſſerint*, *non ſolùm ſecundùm propoſitum Dei*, *ſed etiam ſecundùm ſua merita coronentur*. *Ob hæc enim in remotiſſimo ab humanæ cognitionis ſecreto*, *præfinitio hujus electionis abſcondita eſt*. Hanc veritatem oſtendi Tom.4. in 1. p. Qu. 2. de Prædeſtinat. Dub.1. Unde ibi dicta videri poſſunt.

VI. Hanc etiam docuit S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. v. 10., ubi poſtquam fideles monuit, ut memores maximorum quæ acceperunt donorum, per varias ſcandant virtutes, ut ſic introitum ſibi parent in Regnum Cœlorum, ait: *Quapropter fratres magis ſatagite*, *ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*.... *Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti*. Tantum ergo abeſt, ut poſitâ Prædeſtinatione bona opera excludantur,

 quin

quin potiùs illis impenſè vacandum ſit, ut illam nobis certam faciamus; quia non niſi per bona opera ejus effectum conſequemur. Sed hæc dimittamus.

CAPUT LXXIV.

De Vigilantio.

§. I.

Vigilantii perſona & indoles.

I. VIGILANTII hæreſim ſilentio præterit Danæus. Nec mirùm; nam cùm ipſe & ſuæ Sectæ omnes eadem quæ Vigilantius (ut infra oſtendam) dogmata profiteantur, idem fuiſſet hæreticorum numero inſerere Vigilantium, ac ſe ſuoſque hæreticos pronuntiare.

De Vigilantii natione & patria ſentiunt aliqui, eum Calaguritanum fuiſſe, & proindè Hiſpanum, alii verò natione Gallum. Ita Gennadius de Viris Illuſtr. cap.35. *Vigilantius*, inquit, *Presbyter natione Gallus*, & S. Hieronymus adv. Vigilantium his verbis: *Triformem Gerionem Hiſpaniæ prodiderunt. Sola Gallia monſtra non habuit, ſed viris ſemper fortibus & eloquentiſſimis abundavit. Exortus eſt ſubitò Vigilantius, ſeu veriùs Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum.* Fuiſſe tamen Eccleſiæ Barcinonenſis Presbyterum conveniunt omnes. S. Paulino Epiſcopo Nolano familiaris antea fuit Vigilantius: Per iſtum in Palæſtinam literas miſit ad S. Hieronymum, quibus præter alia eundem Vigilantium apud S. Hieronymum commendabat, qui idcircò ab eo honorificè & peramanter exceptus eſt. Cùm verò Hieronymum inter & Joannem Jeroſolymitanum & Ruffinum exorta eſſet gravis diſſenſio, in hac rixa & controverſia ſe ſe miſcuit Vigilantius, & adversùs Hieronymum locutus eſt: ab eo tamen ſupplex veniam petens in gratiam denuò receptus fuit. Deinde ex Palæſtina diſceſſum maturavit, & in Gallias reverſus, Librum edidit contra Hieronymum, cui reſpondere coactus eſt. Inſurrexit poſtea Vigilantius contra fidei Catholicæ doctrinam, diverſoſque diſſeminavit errores, quibus Hæreticorum Galliæ principis nomen meritò obtinuit. Hæc ex Vita S. Paulini cap.29. excerpſi.

II. Ex his apparet, qualis fuerit indole Vigilantius, procax, audax, quamvis Sacrarum præcipuè Literarum ſtudio jejunus, Eccleſiaſticis quæſtionibus ſe immiſcere, judicem ſe conſtituere, & Do-

& Doctores præcipuos apertâ fronte aggredi, eoſque hæreticos pronuntiare non erubuit: adjunctus Ruffino Hieronymum abſentem, quem præſentem Catholicum expertus fuerat, ut Origeniſtam ſcripto traduxit. Quo excitatus & commotus S. Doctor ei Epiſt. 75. (modò 36.) anno 396. ita reſcripſit: *Juſtum quidem fuerat, nequaquam tibi literis ſatisfacere, qui tuis auribus non credidiſti: neque enim ſchedulæ potes acquieſcere, qui vivo ſermoni non accommodaſti fidem. Sed quia Chriſtus perfectæ nobis humilitatis exemplar in ſe tribuit, dans oſculum proditori, & latronis pænitentiam in patibulo ſuſcipiens, eadem abſenti ſignifico, quæ præſenti quoque loquutus ſum, me ita Origenem legiſſe vel legere, ut Apollinarium, vel cæteros Tractatores, quorum in quibuſdam Libros Eccleſia non recipit; non quò omnia dicam eſſe damnanda, quæ in illorum voluminibus continentur, ſed quòd quædam reprehendenda confitear. Verùm quia operis mei eſt & ſtudii multos legere, ut ex plurimis diverſos flores carpam, non tam probaturus omnia, quàm quæ certa ſunt electurus, aſſumo multos in manus meas, ut à multis multa cognoſcam, ſecundùm illud quod ſcriptum eſt* (1. Theſſ. 1. 21.) „ Omnia legentes, quæ bona ſunt retinentes „. *Unde ſatis miror, te voluiſſe Origenis mihi objicere dogmata, cujus in pleriſque errorem uſque ad hanc ætatem penitùs ignoras.* His & aliis Origeniſmi errorem, quo à Vigilantio calumnioſè notabatur, modeſtè à ſe depellit S. Hieronymus.

III. Verùm quia Vigilantii præſumtio eò proceſſerat, ut Scriptoribus ac Notariis, ſeu veriùs adulatoribus pecuniâ ſibi comparatis, licèt imperitus Sacras Scripturas auſus fuiſſet ſcrutari, eaſque pravè interpretando, contumelioſus etiam in Deum evaſiſſet, ac præcipuè in Expoſitione cap. 2. Danielis, ubi de lapide abſciſſo è monte dicebat, montem eſſe Diabolum, lapidem verò Chriſtum, mutatâ phraſi eum acriùs ita redarguit: *Inter cæteras blaſphemias, quas ore ſacrilego protuliſti, auſus es dicere: montem de quo abſciſſus eſt in Daniele lapis ſinè manibus, eſſe Diabolum, & lapidem Chriſtum, qui quia aſſumſit corpus ex Adam, qui Diabolo ante per vitia cohæſerat, natum eſſe de Virgine, ut à monte, hoc eſt à Diabolo hominem ſepararet. O præcidendam linguam, ac per partes & fruſta lacerandam! Quiſquam ne Chriſtianus Deum Patrem Omnipotentem in perſona Diaboli interpretatur, & tanto piaculo totius Orbis aures maculat? Si interpretationem tuam quiſquam, non dicam Catholicorum, ſed Hæreticorum ſivè Gentilium unquam recepit, pium ſit quod loquutus es: ſi autem tantum nefas nunquam audivit Chriſti Eccleſia, & per tuum primum os, ipſe ſe montem interpretatus eſt, qui dixerat* (Iſaiæ 14.) „ Similis ero Altiſſimo „. *Age pænitentiam* &c.

Indè

Indè concludens Epiſtolam: *Meam injuriam*, inquit, *patienter tuli. Impietatem contra Deum ferre non potui. Unde & viſus ſum mordaciùs in extremo Epiſtolæ ſcribere, quàm promiſeram: quamquam poſt priorem pœnitentiam, quâ à me veniam deprecatus es, iterum commiſiſſe, unde agas pœnitentiam, ſtolidiſſimum ſit. Tribuat tibi Chriſtus, ut audias & taceas: ut intelligas & ſic loquaris*. Hæc S. Hieronymus. Qui ſupra doluerat quòd nimis credulus fuiſſet S. Paulini literis per Vigilantium ad ſe miſſis. Quibus omnibus manifeſtum fit, tale fuiſſe ejus ingenium, ut omnia ſacrilega tentare & moliri, ut ſtatim dicam, paratus eſſet.

§. II.

Vigilantii errores.

I. PRimus ac præcipuus Vigilantii error in Sanctorum Martyrum Reliquias ſævíit, quas nullo proſequendas honore impiè effutiebat, propterea Catholicos *Cinerarios & idololatras appellans, qui mortuorum hominum oſſa venerarentur*: Addens, fidelium pietatem, quâ cereos honoris causâ coram Reliquiis Martyrum accendebant, Gentilium ſuperſtitionem ac errorem imitari; quaſi cereorum fulgore illuſtrari Martyres exiſtimarent: quos & à Catholicis adorari mentiebatur. De hoc & aliis Vigilantii erroribus Riparius & Deſiderius videntes parœcias ſuas viciniâ illius ſenſim maculari, zelo permoti ejuſdem nefaria ſcripta per Siſinnium ad S. Hieronymum tranſmiſerunt, in quo, ipſo teſte (Opuſc. adv. Vigilantium) præter alia nebulo ille dicebat „ Quid pulve-
„ rem linteamine circumdatum adorando oſcularis? .... Propè
„ ritum Gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum
„ in Eccleſiis; Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, &
„ ubicumque pulviſculum neſcio quod, in modico vaſculo lin-
„ teamine circumdatum, oſculantes adorant. Magnum honorem
„ præbent hujuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos pu-
„ tant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos Agnus, qui eſt in
„ medio throni, cum omni fulgore majeſtatis ſuæ illuſtrat „. His Sacrarum Reliquiarum venerationi impius nebulo detrahebat.

II. Hanc hæreſim, quam teſte S. Hieronymo Opuſc. citato, ab Eunomio Vigilantius acceperat, cui propterea ait: *Rides de Reliquiis Martyrum, & cum authore hujus hæreſeos Eunomio, Eccleſiæ Chriſti calumniam ſtruis: nec tali ſocietate terreris, ut eadem contra nos loquaris quæ ille contra Eccleſiam loquitur?* hanc, inquam, hæreſim diù apud Inferos ſepultam extumularunt moderni

Hete-

Heterodoxi, cum Eunomio & Vigilantio de Sacrarum Reliquiarum cultu contra Eccleſiam Chriſti ſtruentes. Cùm autem de hoc egerim adverſus Jacobum Piceninum in Vera Eccleſia Tom. 2. p.2. toto art.15., & rursùs in Tomo 16. Theol. q.7. Dub.4.: quibus in locis Sacrarum venerationem Reliquiarum fusè propugnavi, & adverſariorum ſophiſmata diſſolvi: ideò ne ibi dicta ſuperfluè repetam, illuc Lectorem meum remitto.

III. Solùm ad Vigilantium cæteroſque ſui ſimiles verbis S.Hieronymi Epiſt. 37. (aliàs 53.) ad Riparium me convertam: *Honoramus Reliquias Martyrum, ut eum cujus ſunt Martyres adoremus. Honoramus Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum, qui ait* „ Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit „. *Ergo Petri & Pauli immundæ ſunt Reliquiæ? Ergo Moyſi corpuſculum immundum erit, quod juxta hebraicam veritatem ab ipſo ſepultum eſt Domino? Et quotieſcumque Apoſtolorum, & Prophetarum & omnium Martyrum Baſilicas ingredimur, toties idololatriæ inſignia ſunt?* Opuſculo autem adverſus Vigilantium, qui deridebat Catholicos, quòd fulgente Sole cereos ad Sepulcra Martyrum accenderent, quaſi Martyres lumine indigerent; dicit hoc non fieri, quia Martyres indigeant lumine, ſed in honorem eorum, & in lætitiæ ſignum: *Nam*, inquit, *& abſque Martyrum Reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria jam Sole rutilante: non utique ad fugandas tenebras; ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Unde & Virgines illæ Evangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas. Et ad Apoſtolos dicitur* (Lucæ 12. v. 35.) „ Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris „: *Et de Joanne Baptiſta* „ Ille erat lucerna ardens & lucens „ (Jo. 5. v. 35.) *ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus* (Pſalmo 118. v.105.) „ Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen ſemitis meis „.

IV. Vigilantii tamen inverecundiam ſuperant poſt Wicleffum moderni Heterodoxi. Nam ille Martyrum Reliquiis venerationem ademit: Iſti, adorationem Cruci, veſtibus, aliiſque paſſionis Chriſti Reliquiis exhibendam eſſe, tanquam ſuperſtitioſum damnare audent. Sed horum blaſphemiam retudi Tomo 16. Theologiæ q.7.Dub.3., & in Vera Eccl. Tom.2. p.2. art.16. à n.21. In illis enim ſignis adoramus Chriſtum, qui ea contactu ſuo ſanctificavit.

V. Secundò: Errabat Vigilantius, quia Martyres pro nobis non orare aſſerebat: adeòque fruſtra invocari. Mutuò pro nobis, ajebat, orare poſſumus: poſtquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda eſt Oratio: præſertim cùm Martyres ultionem ſui ſan-

ſanguinis obſecrare non potuerunt. Hunc errorem latis ulnis ſuſceperunt moderni Acatholici. Unde videri poſſunt, quæ contra eos dixi in Vera Eccleſia Tom.2. p.2. art.14., & Tom. 16. Theolog.q.7. Dub.1. Nunc Vigilantio cum S. Hieronymo Opuſc. citato reſpondebo: *Si Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti, poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti; quantò magìs poſt coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in navi animas condonatas: & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tum ora clauſurus eſt, & pro his qui in toto Orbe ad ſuum Evangelium crediderunt, mutire non poterit?* Quod verò dicebat, Martyres ſui ſanguinis ultionem poſtulaſſe, nec obtinuiſſe, falſum eſt. Nam ſanguis Martyrum, perſecutorum & idolorum extinctione, apertè legitur à Deo vindicatus Apocal. 19. v.1., ubi Joannes dicit: *Poſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in Cælo dicentium Alleluja. Salus & gloria & virtus Deo noſtro eſt: Quia vera & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit de Meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus.*

VI. Ut autem hunc ſuum errorem aliquo tegeret patrocinio, teſtimonio ex Libro 4. Eſdræ, quem ut Canonicum laudabat, utebatur, in eo enim cap. 7. dicitur Sanctos in hac tantùm mortali vita orare poſſe. At quâ auctoritate ut Canonicum Librum illum declarat, quem ut talem nunquam ſuſcepit Eccleſia? Jure ergo S. Hieronymus citato loco reſpondet: *Proponis mihi Librum apocryphum, qui ſub Eſdræ nomine à te & ſimilibus tui legitur: ubi ſcriptum eſt, quòd poſt mortem nullus pro aliis audeat deprecari. Quem ego Librum nunquam legi. Quid enim neceſſe eſt in manus ſumere, quod Eccleſia non recipit?* Quamquam nec locus ille errorem iſtum juvaret: ibi enim non dicitur, Sanctos orare non poſſe pro exiſtentibus in hac mortali vita, ut ſalvi fiant, ſed pro nullo orari poſſe poſt Judicii diem. Ibi enim v. 43. dicitur: *Dies enim Judicii erit finis temporis hujus.... Tunc enim nemo poterit ſalvare eum qui periit, neque demergere, qui vicit.* Hoc autem omnes fatentur.

VII. Tertiò: Miracula, quæ ad Sepulcra Martyrum in dies fiebant, licèt negare non auderet, dicebat tamen, ea prodeſſe incredulis, non verò credentibus. Sed hoc eſt declinare difficultatem, inquit S. Hieronymus citato loco: *Quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant, non quâ virtute fiant. Eſtò ſigna ſint infidelium, quoniam*

niam ſermoni & doctrinæ credere noluerunt, ſignis adducantur ad fidem, & Dominus incredulis ſigna faciebat, & tamen non idcircò Domini ſugillanda ſunt ſigna, quia illi infideles erant; ſed majori admirationi erant, quia tantæ fuere potentiæ, ut etiam mentes duriſſimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, ſigna infidelium ſunt: ſed reſponde, quomodo in viliſſimo pulvere & favilla, neſcio quá, tanta ſit ſignorum virtutumque præſentia. Sentio, ſentio, infeliciſſime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iſte immundus, qui hæc te cogit ſcribere, ſæpè hoc viliſſimo tortus eſt pulvere; imò hodieque torquetur, & qui in te plagas diſſimulat, in cæteris confitetur. Niſi fortè in morem Gentilium impiorumque Porphyrii & Eunomii, has præſtigias Dæmonum eſſe confingas, & non verè clamare Dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta. Hæc & alia S. Hieronymus. Quia verò contra miracula ad præſentiam Sacrarum Reliquiarum à Deo patrata, cum Vigilantio oblatrant etiam moderni Hæretici; videantur quæ de Miraculis dixi in Vera Eccl. Tom. 1. cap. 2. §. 5. & Tom. 2. p. 2. art. 15. §. 4. à num. 34. Interim de Miraculis per appoſitionem Sacrarum Reliquiarum factis legatur S. Auguſtinus Lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.

VIII. Quartò: Joviniani ſuſcitans hæreſim, Virginitatem & continentiam deſpiciebat, ac Clericos cælibes averſabatur. Cui errori, teſte S. Hieronymo laudato loco, aliqui Epiſcopi adhæſerunt, qui non ordinabant Diaconos, niſi priùs uxorem duxiſſent. Num hoc idem moderni Pſeudo-Reformati ſentiant, qui contra cælibatum bellum indixere, omnibus notum eſt. Cujus defenſionem ſuſcepi in Vera Eccl. Tomo 2. par. 1. art. 5., & in Colloquiis Theologico-Polemicis Claſſe 1. de Sacrorum Miniſtrorum Cælibatu.

IX. Qui tamen libidini fræna laxabat, continentiæ zelum præſeferens Vigilantius, vigilias & pernoctationes in Baſilicis Martyrum fieri ſolitas, & alias noctibus diem Dominicam præcedentibus exceptis vigiliis Paſchæ obſervatas, damnabat honeſtatis prætextu, quòd ſcilicet juvenum & mulierculárum quarumdam libidini occaſionem darent. Reſpondet tamen S. Hieronymus: *Error & culpa juvenum viliſſimarumque mulierum, qui per noctem ſæpè deprehenditur, non eſt religioſis hominibus imputandus; quia & in Vigiliis Paſchæ tale quid fieri plerùmque convincitur, & tamen paucorum culpa non præjudicat religioni, qui abſque vigiliis poſſunt errare, vel in ſuis, vel alienis domibus. Apoſtolorum fidem Judæ proditio non deſtruxit. Et noſtras ergo vigilias malè aliorum vigiliæ non deſtruent.*

X. Vigilias tamen Vigilantius damnabat, non zelo caſtitatis,

ſed ut liberiùs ſomno poſt crapulam, cui deditus erat, indulgeret, quâ ratione S. Hieronymus *Dormitantium* potiùs, quàm *Vigilantium* ipſum appellat. Imò quàm parùm pudoris eſſet ſollicitus facto ſuo demonſtravit, quod illi improperans S. Hieronymus, ait: *In hac provincia cùm ſubitus terræmotus, noctis medio omnes de ſomno excitaſſet, tu prudentiſſimus & ſapientiſſimus mortalium, nudus orabas, & referebas nobis Adam & Evam de Paradiſo: & illi quidem apertis oculis erubuerunt, nudos ſe eſſe cernentes, & verenda texerunt arborum foliis: tu & tunicâ & fide nudus ſubitoque timore perterritus, & aliquid habens nocturnæ crapulæ, Sanctorum oculis obſcenam partem corporis ingerebas, ut tuam indicares prudentiam. Tales habet adverſarios Eccleſia. Hi duces contra Martyrum ſanguinem dimicant* &c.

XI. Præter Vigilias, quas in ſolo Paſchate admittebat, nunquam niſi in Paſchate *Alleluja* cantandum eſſe contendebat, ne fortè videremur Paſchata multiplicare. Cui tamen breviter reſpondet S. Hieronymus: *Quòd ſi ideò eas æſtimas reſpuendas, ne ſæpè videamur Paſcha celebrare, & non ſolemnes poſt annum exercere vigilias: ergo & die Dominico non ſunt Chriſto offerenda ſacrificia, ne Reſurrectionis Domini crebrò Paſcha celebremus, & incipiamus non unum Paſcha habere ſed plurima.*

XII. Quintò: Eleemoſynas, quæ Jeroſolymam vel aliò in ſubſidium Monachorum Virginum Viduarum mittebantur, damnabat, ſatiùs eſſe dicens, ut quiſque in patria ſua eleemoſynas erogaret. Rursùs eos meliùs facere aſſerebat, qui bonis ſuis utuntur, & paulatim fructus eorum pauperibus diſtribuunt, quàm illos qui poſſeſſionibus venundatis ſemel omnia largiuntur.

Sed in utroque inſanus iſte & Apoſtolos imò & Chriſtum ipſum damnabat. Si enim mittendæ non ſunt Jeroſolymam, aut ad fideles egenos alibi exiſtentes eleemoſynæ, culpanda ergo erit Pauli ſollicitudo in colligendis undique eleemoſynis, quas Jeroſolymam in ſubſidium pauperum ibi exiſtentium mitteret; quod ferè omnes ejus Epiſtolæ ſonant. Culpanda erit Eccleſia vetus & recens, quæ ad laborantes in terris Infidelium, & ad fideles ibi exiſtentes ſubſidia miſit & adhuc mittit. Si meliùs facit qui rebus ſuis utitur, & ex illis aliqua pauperibus diſtribuit, quàm ille qui omnibus venditis ſe ſe ſpolians ea ſemel largitur: ergo non benè fecerunt primi Apoſtolorum diſcipuli, de quibus dicitur Act. 4. v. 34. *Quotquot poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Et injuſtè morte mulctatus fuit Act. 5. Ananias, quòd agri venditi partem pretii ſibi retinuerit. Ac tandem non benè Chri-

Digitized by Google

Chriſtus adoleſcenti illi Matth. 19. v. 21. dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes & da pauperibus.*

XIII. Poſtremò Monaſtici Ordinis & Inſtituti acerrimus hoſtis erat Vigilantius, & ab eo deterrebat omnes, dicens: Si omnes ſe clauſerint, & fuerint in ſolitudine, quis celebrabit Eccleſias? Quis ſeculares homines lucri faciet? Quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Reſpondet S. Hieronymus, non eſſe timendum periculum quod ſomniat Vigilantius, nempè quòd omnes fiant Monachi; Nam *rara eſt virtus, nec à pluribus appetitur*. Re verâ tamen, non hoc permotus zelo, quòd Eccleſiæ Miniſtri non deeſſent, ſtatum Monachalem oderat Vigilantius, ſed quia homo crapulæ & intemperantiæ deditus, ac cælibatus hoſtis, ferre non poterat abſtinentias & jejunia, quibus ſe Monachi macerabant, nec continentiam, quam illi adeò exactè cuſtodiebant, ut mulieris aſpectum, nedum conſortium non paterentur. An hac eadem ratione Monachatum & Monachos moderni Acatholici deteſtentur, quiſque prudens judicare poterit. Cùmque & in aliis ferè omnibus cum Vigilantio ex dictis conveniant, jure eos Eccleſia ut extorres cum ipſo rejecit.

CAPUT LXXV.

De Neſtorianis.

§. I.

Neſtorii qualitates & hæreſis initia.

I. Neſtorius hujus hæreſis parens Germaniciâ Syriæ oriundus monaſticam vitam in Laura S. Euprepii propè Antiochiam profeſſus fuit, ubi ſocios habuit Joannem & Theodoretum. Antiochenæ deinde Eccleſiæ Presbyter factus, mortuo Siſinnio Conſtantinopolitano Epiſcopo, cùm Clerus diviſus eſſet in partes, & alii Proclum, alii Philippum Presbyterum ad illius regimen Eccleſiæ ſtudiis omnibus promovere conarentur, Theodoſius junior Imperator, ex Antiochenæ Civitatis Presbyterio Neſtorium eloquentiæ & doctrinæ opinione celebrem evocavit, eique Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ regimen commiſſum eſt. Ipſum Pauli Samoſateni nepotem appellat Suidas, non conſanguinitate ſanguinis, ſed doctrinæ. Præceptorem habuit Theodorum Mopſueſtenum, à quo de Incarnatione Verbi malè ſentire didicit. Sanctitatis ſpeciem affectabat, cui fidem conciliabat pallor vultus ma-

macieſque corporis indicia abſtinentiæ, cogitabunda frontis gravitas, & modeſta quædam triſtitia, pulla veſtis, ac ſolitudinis & librorum amor.

II. *In reliquis verò* (inquit Socrates Lib.7. Hiſt. cap.29.) *quali ingenio, & quibus moribus fuerit, ex prima ejus concione prudentiores quique ſtatim deprehenderunt. Ordinatus enim die quarto Idus Aprilis, Felice & Tauro Conſulibus, illicò coram univerſo Populo Imperatorem alloquens, celebrem illam protulit dictionem* ,, Da mihi, ,, *inquit*, Imperator, terram hæreticis purgatam, & ego tibi cœ- ,, lum retribuam. Mecum hæreticos debella: ego Perſas tecum ,, debellabo ,,. *Hæc verba licèt quidam ex vulgo, qui hæreticos oderant, libenter amplexi ſint; iis tamen, ut dixi, qui interiorem animi ſenſum ex verbis conjicere norunt, perſpecta ſtatim fuit hominis levitas & violentia cum inanis gloriæ ſtudio conjuncta: quippè qui ne breviſſimi quidem temporis moram ſuſtinens, in hujuſmodi verba prorupiſſet, & antequam ipſam, ut vulgò dicitur, Civitatis delibaſſet aquam, acerrimum ſe perſecutorem oſtenderet.*

III. Quod dixit, ſtatim implevit Neſtorius. Nam (ut Socrates proſequitur) *Quinto poſt Ordinationem ſuam die Eccleſiam Arianorum, in qua occultè preces faciebant, ſubvertere aggreſſus, eòs ad deſperationem coegit. Nam cùm Eccleſiam ſuam everti cernerent, ipſi injecto igne eam combuſſerunt. Porrò ignis ulteriùs ſerpens, contiguas etiam domos abſumſit. Ea res tumultum in Urbe excitavit, jamque Ariani ad vindictam ſe parabant. Verùm cuſtos Civitatis Deus malum ulteriùs progredi non eſt paſſus. Exindè verò incendiarium eum vocarunt, non hæretici ſolùm, verùm etiam ejuſdem cum illo fidei cultores. Non enim quieſcebat, ſed adversùs hæreticos ſubindè calumnias ſtruens, Civitatem quantum quidem in ipſo erat, ſubvertebat .... Verùm Principes impetum illius admonitionibus ſuis repreſſerunt.*

IV. Frænari tamen furor ejus non potuit. Quantis enim malis Quartodecimanos per Aſiam, Lydiam, & Cariam affecerit, & quot ejus cauſâ apud Miletum & Sardes ſeditione factâ interierint, ſilentio prætermitto. Macedonianos præcipuè inſectabatur. Ex quo accidit factum quod idem Socrates narrat Lib.7. cap.31. *In Helleſponto Antonius quidam Germæ Civitatis Epiſcopus Neſtorio adversùs hæreticos ſæviendi morem gerens, Macedonianos acerbè exagitare cœpit, mandatum Patriarchæ defenſionis loco prætexens. Et Macedoniani quidem aliquandiù vexationem ejus patienter tulere. Sed poſteaquam Antonius vehementiùs eos perſequi inſtituit, illi tantam moleſtiam ferre ampliùs non valentes, ſpe ſalutis abjectâ, ad graviſſimam inſaniam proruperunt. Et ſummiſſis quibuſdam hominibus,*

Digitized by Google

bus, qui juſtitiam libidini poſtponebant, eum interfecerunt. Cùm hoc ſcelus perpetraſſent Macedoniani, Neſtorius ex eo facto occaſionem furoris ſui traxit. Suaſit enim Imperatori, ut Eccleſiæ illis adimerentur. Ablatæ ſunt igitur illis, tum ea quam habebant Conſtantinopoli ante veteres muros Urbis Regiæ, tum ea quam habebant Cyzici, aliæque plures earum quas in vicis Helleſponti obtinebant. Porrò ex Macedonianis nonnulli Conſubſtantialis fidem amplexi, ad Eccleſiam ſe contulerunt. Ita Socrates. Idem etiam Auctor fuit Theodoſio ferendæ adverſùs omnes hæreticos Legis ad Florentium Præfectum Prætorio directæ. Pelagianis tamen faviſſe Neſtorium, colligitur ex Epiſtola Cœleſtini ad ipſum, quâ Neſtorii Epiſtolæ in gratiam Pelagianorum Conſtantinopoli degentium ſcriptæ reſpondit.

V. Porrò ſtatim apparuit, immodicum hunc Neſtorii zelum omnes hæreſes inſectantem, non ſtudio Catholicæ veritatis fuiſſe promotum, ſed eo animo, ut omnibus aliis hæreſibus eliminatis, ſuæ omniumque teterrimæ faciliorem aditum aperiret. Hoc admirans Lirinenſis in Common. num. 11. *Quis, inquit, eum facilè errare arbitraretur, quem tanto imperii judicio electum, tanto Sacerdotum ſtudio proſecutum videret, qui cum magno Sanctorum amore, ſummo populi favore celebraretur, quotidiè palàm Divina tractabat eloquia, & noxios quoſque Judæorum & Gentilium confutabat errores? Quo tandem iſte modo non cuivis fidem faceret, ſe recta docere, recta prædicare, recta ſentire, qui ut uni hæreſi ſuæ aditum patefaceret, cunctarum hæreſeon blaſphemias inſectabatur?*

VI. Ita autem fuit: nec morâ, nam ipſo primo Ordinationis ſuæ anno Paſtoris ſpecie quam ſimulaverat abjectâ, lupum ſe re verâ eſſe ita manifeſtavit. Anaſtaſius Presbyter ejus familiaris, quem Antiochiâ ſecum adduxerat, magnoque in honore habebat, ejuſque conſiliis utebatur, cùm quâdam die in Eccleſia doceret, hæc verba protulit: *Nemo Mariam vocet Deiparam: Maria enim homo fuit. Ex homine autem Deus naſci non poteſt.* Hoc audito multi tàm de Clero, quàm de plebe commoti ſunt. Olim enim didicerant Chriſtum confiteri Deum, nec ullatenus ob ſuſceptam humanitatem eum tanquam hominem à Divinitate ſejungere, ac proindè fateri Mariam Matrem Chriſti Matrem eſſe Dei. Tumultu ob id exorto ad Neſtorium delato, tantùm abfuit, ut Anaſtaſium corriperet, eumque ad errorem publicè retractandum adigeret, quin potiùs Anaſtaſii dictum confirmans, illud palàm in Eccleſia docuit. Quo factum eſt, ut plerique cenſerent, Neſtorium in ea ſententia eſſe, Chriſtum nudum eſſe hominem, & Pauli Samoſatenſis ac Photini dogma in Eccleſiam invehere.

VII. So-

VII. Socrates tamen ex quo hactenus locutus ſum Lib. 7. Hiſt. cap. 32. ab hac macula abſtergere conatur Neſtorium dicens: *Mihi quidem videtur Neſtorius nec Paulum Samoſatenum nec Photinum imitatus; neque omninò nudum hominem Chriſtum dicere; ſed ſolùm Deiparæ vocem, velut larvam quamdam reformidat*. At his Socrates nedum contra veritatem pugnat ſed etiam contra ſe ipſum, nam intra cap. 34. dicit: *Porrò cùm multi Chriſtum Deum eſſe confiterentur, Neſtorius dixit: Ego verò eum qui bimeſtris ac trimeſtris extitit, Deum appellare non poſſum*. Idem teſtatur Evagrius Lib. 1. cap. 2. ubi narrato Anaſtaſii dicto, de quo ſupra, de Neſtorio addit: *Verùm iis quæ ab Anaſtaſio dicta erant, apertè robur addidit... Interdum etiam propria interſerens atque intexens dogmata, & reconditum mentis ſuæ virus effundens, adhuc pejora & magis impia docere conatus eſt. Adeò ut in ſuam perniciem hæc diceret: Ego illum qui bimeſtris ac trimeſtris factus eſt, numquam Deum appellaverim*. Et ſanè qui negabat, Mariam Chriſti Matrem dici poſſe Matrem Dei ſeu Deiparam, oportebat ut negaret etiam Chriſtum eſſe Deum. Hanc autem fuiſſe Neſtorii apertam blaſphemiam, Acta Concilii Epheſini paſſim teſtantur, quæ referre nimis longum eſſet.

VIII. Suorum errorum præcones adhibuit Neſtorius, & præfatum Anaſtaſium Presbyterum, & Dorotheum quemdam Epiſcopum, qui eò temeritatis devenere, ut anathema in eos, qui Beatiſſimam Virginem Mariam Deiparam dicerent, in Eccleſia ſedente ac probante Neſtorio publicè pronuntiarint. Omnibus ad impias voces cohorreſcentibus, ſimplex quidam Monachus palàm contradixit, & Anaſtaſium velut hæreticum ab Eccleſiæ ingreſſu arcere conatus eſt. Sed vir Sanctus Neſtorii oppreſſus potentiâ, flagris publicè cæſus eſt, & miſſus in exilium: conſtat hoc ex Epiſtola ſupplicatoria à Monachis Conſtantinopolitanis Imperatoribus oblatâ quæ extat 1. p. Conc. Epheſ. cap. 17. Hinc à Synaxibus abſtinere cœperunt Monachi, Senatuſque & Populi Conſtantinopolitani maxima pars, ne Neſtorii communione ſe polluerent, ut teſtatur S. Cyrillus in Epiſt. ad Cœleſtinum I.

§. II.

Geſta à Cœleſtino, & Synodo Epheſina adversùs Neſtorium.

I. INter hæc multa evenere, quæ videre eſt apud Alexandre in Hiſt. Eccl. Seculi 5. cap. 3. art. 12. ſ. 2. Cùm verò Neſtorius ad Cœleſtinum Rom. Pont. datis ſemel atque iterum literis, ejus

ejus animum præoccupare tentaſſet, veritus S. Cyrillus, ne vaferrimus hæreſiarcha ei imponeret, de illius erroribus ipſum certiorem facere, & de iis etiam quæ in ipſum hucuſque egerat, neceſſe judicavit. Extat ejus Epiſtola Tom. 5. p. 2. ejus Operum, & p. 1. Concilii Epheſini cap. 14. ſic inſcripta: *Beatiſſimo, Deoque dilectiſſimo Patri Cæleſtino Cyrillus in Domino ſalutem*, ubi notandum, quòd Cyrillus Alexandrinus Antiſtes ſecundæ Sedis Epiſcopus, Romanum *Patrem* vocat, non *Fratrem*, utique ob Primatus reverentiam. In cujus teſtimonium duo valdè notanda in eadem Epiſtola dicit. Primò teſtatur, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut de emergentibus ubique terrarum hæreſibus ad Sedem Apoſtolicam referatur: *Longa*, inquit, *Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut ejuſmodi res Sanctitati tuæ communicentur*. Ac ſubindè narrat omnia quæ evenerant (de quibus ſupra:) ſe blandis literis Neſtorium ut reſipiſceret monuiſſe, ſed fruſtra: imò ſe ab illo ut hoſtem haberi eò maximè, quòd ad Ægypti Monachos commonitorias literas dediſſet.

Secundò: Addit, his non obſtantibus ſe auſum non fuiſſe ab ejus communione ſejungere inexpectatâ ab eo Apoſtolicæ Sedis ſententiâ: *At quamvis*, inquit, *res ita ſe habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter deſerere auſi fuimus, quàm hæc ipſa pietati tuæ indicaremus. Digneris proindè, quid hìc ſentias declarare, quo liquidò nobis conſtet, communicarene nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejuſmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, & ſuper hâc re ſententia non modò piiſſimis Deoque devotiſſimis Macedoniæ Epiſcopis, ſed totius quoquè Orientis Antiſtitibus, perſpicuè per literas exponi deberet. Nam cupientibus illis anſam dabimus, ut omnes uno animo in una ſententia perſiſtant, rectæque fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant*. Hæc adnotanda duxi, ut quiſquis videat, quantâ veneratione Petri Cathedram Orientales Antiſtites proſequerentur, etiam Primarii; dum niſi expectatâ ejus ſententiâ, de rebus fidei judicium ferre, & contraria ſentientium communionem vitare non auderent.

II. Acceptis ergo, tum Neſtorii literis, tum Cyrilli, qui unâ cum Epiſtola per Poſſidonium blaſphema Neſtorii dogmata ſcripto tranſmiſerat, Cœleſtinus Romæ Synodum habuit anno 430. ſub initium Auguſti, cui interfuere Epiſcopi, vel Romæ tunc exiſtentes, vel ex vicinis locis acciti. In ea lata eſt ſententia excommunicationis & depoſitionis in Neſtorium, niſi intra decimum à denuntiatione diem errores ſuos apertâ & ſcriptâ confeſſione damnaret. Reſtituti quoquè ſunt in Eccleſiæ communionem, qui pro-

propter fidem à Neſtorio ejecti fuerant: confirmata Pelagianorum, quos Neſtorius receperat, damnatio: ſcriptæ tandem à Cœleſtino Pontifice ſeptem Epiſtolæ, nimirùm Cyrillo, ut Sedis Apoſtolicæ vices gereret in cauſa Neſtorii, ad ſententiam contra ipſum latam executioni mandandam, providendumque Apoſtolicâ auctoritate Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ; Neſtorio, ut ad ſanam mentem rediret; Clero Conſtantinopolitano, ut conſtans in fide maneret, nec cederet perſecutioni quam adversùs fidei vindices movebat Neſtorius; Joanni inſuper Antiocheno, Ruffo Theſſalonicenſi, Juvenali Jeroſolymitano, & Flaviano Philippenſi, majorum Orientis Sedium Epiſcopis, ut cauſam fidei ſtrenuè agerent.

III. S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha Pontificiâ inſtructus auctoritate ad ſententiæ in Neſtorium latæ niſi reſipiſceret executionem, eodem anno 430. die 3. Novembris ex univerſa Ægypto Concilium coegit. Indè Synodica miſſa eſt ad Neſtorium; quæ extat p. 1. Conc. Epheſ. unà cum literis Cœleſtini. In ea Synodica primò continetur denuntiatio ſententiæ contra Neſtorium à Cœleſtino latæ. Secundò: Cyrillus cæterique Patres ipſi ſignificant, ſe cum omnibus tam Clericis quàm Laicis, quos propter fidem communione vel ordine moverat, communicare. Tertiò: Jubent ut nedum Symbolum Nicænum profiteatur, ſed etiam ut nefaria dogmata ſua publicè & ſcripto damnet. Quartò: Fidei profeſſionem & expoſitionem ſubjiciunt. Quintò: Expoſitioni fidei ſubnectunt anathematiſmos duodecim editos à Cyrillo, quibus ſubſcribere debeat Neſtorius.

IV. Præterire non poſſum (quod vellem attenderent Calviniſtæ) in ea Synodica Cyrillum & totam cum eo Ægypti Synodum apertè profiteri Realem Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, & incruentum Miſſæ Sacrificium. Audiant ergo: *Neceſſariò igitur & hoc adjicimus. Adnunciantes enim ſecundùm carnem mortem Unigeniti Filii Dei, id eſt Jeſu Chriſti, & reſurrectionem ejus & in Cœlis Aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Eccleſiis ſacrificii ſervitutem: ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes ſancti Corporis & pretioſi Sanguinis Chriſti omnium noſtrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes, quod abſit: nec ut viri ſanctificati & Verbo conjuncti ſecundùm dignitatis unitatem, aut ſicut Divinam poſſidentis habitationem: ſed ut verè vivificatricem, & ipſius Verbi propriam factam.* En qualis eſſet illius ſeculi de Euchariſtia fides. Eam eſſe incruentum Sacrificium, in ea verè Chriſti Carnem & Sanguinem adeſſe ac Deo offerri profitebatur. Hoc moderni Heterodoxi & præcipuè Calviniſtæ inficiantur, unde à Veterum fide deficiunt.

V. Le-

V. Legati ergo ab Alexandrina Synodo miſſi cùm Conſtantinopolim acceſſiſſent, die Dominicâ horâ quâ Synaxis peragebatur, univerſo præſente Clero multiſque adſtantibus proceribus Cœleſtini Pontificis & Synodi literas Neſtorio tradiderunt. Ille juſſos poſtridiè ſe privatim convenire, advenientes aditu intercluſit, ut conſtat ex eorum relatione factâ poſtea in Concilio Epheſino. Et tantum abfuit, ut errores ejuraret, quin potiùs duodecim anathematiſmos edidit Cyrilli Capitulis è regione oppoſitos, ac totidem continentes blaſphemias, ac Joannem Antiochenum & Syriæ Epiſcopos contra Cyrilli Capitula armavit, tanquam Apollinaris errore fœdata; & inſuper Theodoſium Imperatorem adversùs Cyrillum, eum accuſans tanquam inquietum & pacis ac fidei perturbatorem. Utque calumniis faciliorem aditum pararet, Cyrillum deſcripſit propenſiorem in partes Pulcheriæ Auguſtæ. Quo factum eſt, ut Theodoſius, cui ſororis potentia cœperat eſſe invidioſa, facilioribus auribus calumniam exciperet, ac erga Cyrillum minùs propenſus fieret.

VI. Nihilominus Theodoſius Imperator videns eò rem eſſe progreſſam, ut opus eſſet Generali Concilio; egit apud Cœleſtinum Romanum Pontificem per virum illuſtrem Petronium (ut ejus vitæ acta, quæ Sigonius reſtituit, declarant) poſtea creatum Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopum, de convocanda Epheſi in annum ſequentem Œcumenica Synodo. Quam quidem non ſolùm Cœleſtinus in literis ad eam ſcriptis ſuâ voluntate collectam fuiſſe profeſſus eſt, ſed etiam præſcriptam ejus formam ab illo fuiſſe, Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus in eadem Synodo teſtatus eſt. Convocata tamen pro executione literis Theodoſii Synodus fuit, quod apparet ex literis, quæ adhuc extant, ſcriptis ad Cyrillum & cæteros Metropolitanos ad conveniendum Epheſum in die Pentecoſtes anni ſequentis. Nec Orientales tantùm, ſed & Occidentales inſignioris nominis, & inter alios S. Auguſtinus accerſiti fuere, miſſo ad hoc in Africam Ebagnio Magiſtriano, ut ſcribit Liberatus in Breviario cap. 5. Qui Carthaginem adveniens, audivit à Capreolo tunc Urbis illius Antiſtite, eumdem Auguſtinum ex hac vita migraſſe.

VII. Collecta fuit Epheſina Synodus anno 431., & quidem in Eccleſia ſub nomine Sanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, dicta proptereà *Marianâ*: & ut Chriſtum ei præſidere oſtenderetur, conſpicuum, ſed in medio collocatum, poſitum in ea fuit Sanctum Evangelium. Convenere ad Concilium Epiſcopi ducenti ſexaginta quatuor, ſi Mario Mercatori credimus, vel ſaltem ſupra ducentos. Præfuit S. Cyrillus jure ſuæ Sedis, & ut Legatus Sedis

Apoſtolicæ, ad executionem ſententiæ in Neſtorium à Romana Synodo latæ, donec Legati à Cœleſtino miſſi, nempè Arcadius & Projectus Epiſcopi & Philippus Presbyter adventarent.

VIII. Cùm igitur omnium conſenſu vigeſimâ primâ die Synodum judiciali ordine inchoandam ſtatutum eſſet, miſſi ſunt à Patribus quatuor Epiſcopi, qui Neſtorium ad judicium diei ſequentis invitarent, ſeu veriùs citarent: quibus ille faſtuosè hoc tantùm reſpondit: *Conſiderabo & videbo*. Poſterâ autem die 22. Junii, quâ prima ſeſſio habita fuit, lectis Cœleſtini & Cyrilli geſtis contra Neſtorium, ac Imperatoriis literis de inductione Synodi, miſſiſque iterum ac tertiò aliis atque aliis Epiſcopis, qui Neſtorium citarent ad Synodum; cùm ipſe eos numquam ad ſe admittere voluiſſet; quin & armatos aſſumſiſſet milites, qui domum ſuam cuſtodirent, ne cuiquam à Synodo miſſo pateret ingreſſus; hoc tantùm reſponſo per alios ſemel allato, ſe tunc Synodo adfuturum, cùm omnes Epiſcopi conveniſſent (intelligens de Joanne Antiocheno, qui ex compoſito moras nectebat) His ad Synodum relatis, amiſsâ ſpe ejuſdem acceſſus, imò eum rurſùm vocandi aditu intercluſo, ad rem deliberandam animum Patres converterunt.

IX. Sacroſancto Nicænæ fidei Symbolo de more recitato, poſt lectas & comprobatas Cœleſtini Romani Pontificis ejuſdemque Cyrilli de Neſtorii damnatione antea Romæ factâ literas, auditaſque aliorum Epiſcoporum de Neſtorii hæreſi relationes: item poſt prolata Sacræ Scripturæ ac SS. Patrum teſtimonia demonſtrantia Verbi Incarnationem indiviſè & inconfusè in utero Virginis factam, duarumque naturarum conjunctione unam tantùm eſſe Perſonam Chriſtum Jeſum, Deum & Hominem: poſt demùm lectos & cum execratione auditos Neſtorii quaterniones eidem Catholicæ fidei repugnantes, aliaque ejuſmodi ad rem neceſſaria peracta: tandem damnationis, Sediſque privationis in eundem Neſtorium lata ſententia eſt, cui omnes Epiſcopi numero ſupra ducentos ſubſcripſere; eamque ipſi Neſtorio ſignificari, eundem vocans ***Novum Judam***, Synodus juſſit. Ac demùm repetito Symbolo Nicæno, ſub anathemate præceptum eſt, ne quis aliquid præter id quod in eo definitum eſt, ad fidem adjicere ullo modo tentaret.

X. Civitatis Epheſinæ populus, qui à mane uſque ad veſperam Synodi judicium anxiùs expectaverat, auditâ damnatione ac depoſitione Neſtorii, celebrare Synodum ac Deum glorificare unâ voce cœpit, ac per totam Civitatem in lætitiæ ſignum luminaria accenſa, ipſaſque mulieres thimiamata adolentes cum thuribulis pro-

Digitized by Google

proceſſiſſe, ſcripſit Cyrillus ad ſuos Alexandrinos Epiſt. 34.; qui ſequenti die in laudem Dei Genitricis Mariæ elegantem Orationem habuit. De rebus geſtis literas ad Theodoſium & Clerum Conſtantinopolitanum Synodus dedit, rogans eum, ut Neſtorii doctrinam ab omnibus Eccleſiis ſubmoveri, ac libros ejus flammis ubique abſumi præciperet. Sed à Candidiano Comite, qui à Theodoſio pacis publicæ cuſtos conſtitutus, Neſtorii patronus factus fuerat, occluſis terrâ marique viis, ne Synodi literæ Conſtantinopolim pervenirent, impeditum fuit; quin ipſe ad Theodoſium ſcripſit, nimis præproperè à Cyrillo & Synodo actum, non expectato Joanne Antiocheno, nec pluribus aliis vocatis, cui & ſua addidit mendacia Neſtorius. Cùmque die quintâ Joannes Antiochenus Epheſum adventaſſet, partim odio in Cyrillum, partim amore erga Neſtorium, ingentes turbas excitavit, quas omitto.

XI. His deceptus Theodoſius præcepit Synodi Acta eſſe omninò irritanda, novumque inſtituendum judicium. At poſtea de interceptis literis certior factus, ac veritate perſpectâ, decretis Synodi de damnatione Neſtorii acquievit; & ad ſedandas alias controverſias inter Joannem Antiochenum & Cyrillum, eidem Œcumenicæ Synodo commiſit, ut quos vellet Conſtantinopolim mitteret, qui ſibi omnia referrent. Dum hæc contentioſè nimis & Cyrilli ac Orthodoxorum injuriâ agerentur, Omnipotentis Dei juſto judicio affuit vindicta, dum Romanus exercitus à Barbaris trucidatus eſt. Tam gravi clade territus ac expergefactus Theodoſius, addito acerrimo Orthodoxorum libello, precibus etiam Pulcheriæ Auguſtæ ſororis ſuæ permotus, pro fide Catholica, cujus alioquin ſtudioſiſſimus erat, cognitâ inſuper ſuorum domeſticorum fraude quâ deceptus fuerat, ſolertiùs & vigilantiùs agere cœpit.

XII. Quare poſt multa, Neſtorio cum ſuis in Monaſterio S. Eupropii apud Antiochiam ad quadriennium agere permiſſo, ſi fortè ab inſania ſua reſipiſceret, comperto eum in ſua obſtinatione acriùs perſiſtere, in teterrimam ſolitudinem Oaſenam relegatus eſt. Intereà eodem anno 431. octava Novembris in locum Neſtorii Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus eſt Maximianus, vitâ Monachus, ordine Presbyter, conſtantis vir fidei; qui teſte Socrate Lib. 7. cap. 36. ſtatim Epiſtolam ad Cyrillum ſcripſit, quâ inſignem ejus confeſſionem, ac toleratos pro fidei defenſione labores meritis laudibus extulit. Quæ tamen à Synodo adversùs Joannem Antiochenum & Collegas ſacerdotio ac ſede privatos ſtatuta fuerant, non fuerunt executioni mandata, ſed ſpe pacis ineundæ retardata; ne cum Joanne Antiocheno totius Syriæ Epiſcopi ab

Digitized by Google

Eccleſia Catholica ſepararentur. Quod quidem Divino factum fuiſſe conſilio, exitus declaravit. Nam anno ſequenti ad concorcordiam diſſidentes ſunt revocati, Eccleſiiſque tranquillitas reſtituta.

XIII. Igitur poſt hanc inſignem de Eccleſiæ perduellibus adeptam victoriam, quæ maxima ex parte Cœleſtino Romano Pontifici debetur, ubique locorum à Chriſtianis trophæa erecta ſunt, & Sanctiſſima Virgo Maria Mater Dei omnium ore cantata eſt atque prædicata. Tuncque additamentum illud accepiſſe creditur Angelica Salutatio, *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis* &c.: factumque eſt, ut quamvis frequens antea eſſet illius cultus, poſt hæc Divino excitante ſpiritu, frequentior fieret atque celebrior, ut vix reperiri eſſet, qui abſque Dei Genitricis titulo nominaret Sanctam Mariam. Sed & Pulcheria Auguſta, cujus maximè operâ Regina Virginum Mater Dei à Neſtorii vindicata eſt blaſphemiis, ſub nomine ejuſdem Dei Genitricis auguſtiſſimam in Blachernis juxta mare in tantæ victoriæ monumentum Eccleſiam excitavit: quam ſuâ mole poſtea labantem Juſtinianus Imperator reſtituit. Theodoſius autem domeſticos & Magiſtratus qui Neſtorio faventes ipſum falſis expoſitionibus deceperant, ab officiis & à ſe dejecit. Ita Catholica veritas de Neſtoriana hæreſi, ſicut de aliis, triumphavit.

§. III.

Errores Neſtorii rejecti.

I. DUo fuere Neſtorii errores. Primus, Hominem in utero Virginis formatum alium eſſe ab Unigenito Dei Verbo, & Incarnationem eſſe meram inhabitationem Dei Verbi in homine, velut in ſuo templo; adeòque Deum non eſſe natum, paſſum & mortuum, nec Chriſtum eſſe Deum, ſed Templum dumtaxat Dei. Alter ex iſto conſequens erat, Beatiſſimam Virginem Mariam non eſſe appellandam *Theotocon* ideſt Deiparam ſeu Matrem Dei, ſed *Chriſtotocon*, ideſt Chriſtiparam ſeu Matrem Chriſti, & *Anthropotocon* ideſt Matrem Hominis. Id conſtat ex Neſtorii ipſius Sermonibus, Epiſtolis, & Anathematiſmis, quos S. Cyrilli Capitulis oppoſuit; ex Anathematiſmis & Libris ipſius S. Cyrilli adversùs Neſtorium; ex Actis Epheſinæ Synodi, ex S. Leone, Vincentio Lirinenſi, & omnibus illorum temporum ac ſuccedentium Scriptoribus.

II. Scio, Socratem, ut ſupra notavi, & fortè alios Recentiores,

res, à primo errore conari excuſare Neſtorium, & velle eum ex ignorantia negaſſe Mariam Virginem dicendam eſſe Deiparam. Sed de hoc egi Tomo 1. in 3.p. qu.7. de Unione Verbi cum Humanitate Dub.3. §.1.: ubi oſtendi, Neſtorium tum ex propriis ſcriptis & vocibus, tum ex Veterum teſtimonio, tum ex judicio Eccleſiæ convinci, pertinaciter negaſſe unionem hypoſtaticam & ſubſtantialem humanitatis Chriſti cum Verbo; quòd ſi aliquando viſus ſit, hoc aſſeruiſſe, fraudolentis verbis, non in ſenſu Catholico protuliſſe. Ibidem etiam Dub.1.§.2. Veritatem Catholicam ſtatui, & contra Neſtorium præcipuè ex S. Thoma probavi; ac inſuper §. 3. Beatam Virginem verè & propriè fuiſſe Dei Matrem demonſtravi, ac in ſequentibus alia multa Neſtorii cauſam ſpectantia examinavi. Quæ cui libuerit percurrenda relinquo.

III. Ne tamen de hac Catholica & præcipua Incarnationis myſterii veritate & Neſtorii blaſphemia Lectorem meum prorsùs jejunum hic dimittam, audiendam utramque propono ex Lirinenſi in Commonit. num. 12., ubi contraponens errori Apollinaris, qui nolebat in Chriſto duas eſſe ſubſtantias unam Divinam alteram humanam, errori Neſtorii, ait: *Neſtorius autem contrario Apollinari morbo, dum ſeſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repentè Perſonas, & inaudito ſcelere duos eſſe vult filios Dei, duos Chriſtos, unum Deum alterum hominem, unum qui ex Patre, alterum qui ſit generatus ex Matre. Atque adeò aſſerit Sanctam Mariam non Theotocon, ſed Chriſtotocon eſſe dicendam: quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille qui erat homo, natus ſit.* Et infra num.19. *Eccleſia verò Catholica*, inquit, *de Deo & de Salvatore noſtro rectа ſentiens, nec in Trinitatis myſterio, nec in Chriſti Incarnatione blaſphemat. Nam & unam Divinitatem in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in una atque eadem majeſtate veneratur, & unum Chriſtum Jeſum, non duos, eundem Deum pariter atque hominem confitetur. Unam quidem in eo Perſonam, ſed duas ſubſtantias, duas ſubſtantias, ſed unam credit eſſe Perſonam; duas ſubſtantias, quia mutabile non eſt Verbum Dei, ut ipſum verteretur in carnem; unam Perſonam, ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem.* Hucuſque Lirinenſis, qui proſequitur oſtendens, quomodo in Chriſto poſſit eſſe duplex Natura, & una Perſona.

IV. Item S. Leo Papa in Serm.28., qui eſt de Nativ. Dom. nonus, de Neſtorio: *Ille*, inquit, *Beatam Mariam Virginem hominis tantummodò auſus eſt prædicare genitricem, ut in conceptu ejus & partu nulla Verbi & carnis facta unitio crederetur: quia Dei Filius non ipſe factus ſit hominis filius, ſed creato homini ſolâ ſe dignatione*

ſocia-

Digitized by Google

ſociaverit. Quod Catholicæ aures nequaquam tolerare potuerunt; quæ ſic Evangelio veritatis imbutæ ſunt, ut firmiſſimè noverint, nullam eſſe humano generi ſpem ſalutis, niſi ipſe eſſet filius Virginis, qui Creator eſt Matris. Epiſt. etiam 39. (aliàs 15.) ad Epheſinam II. Synodum, Prædatoriam dictam, Incarnationis fidem ex ipſa Confeſſione Petri ſumendam eſſe docuit: *Quando dicente Domino* (Matth. 16.) „ Quem me dicunt homines filium hominis? „ *Varias quidem diverſorum opiniones diſcipuli memorarunt: ſed cùm ab eis quid ipſi crederent, quæreretur, Princeps Apoſtolorum plenitudinem fidei brevi ſermone complexus* „ Tu es, *inquit*, Chriſtus Filius Dei vivi „: *Hoc eſt, Tu qui verè es filius hominis, idem verè es Filius Dei vivi. Tu, inquam, verus in Deitate, verus in carne, & ſalvâ geminæ proprietate naturæ utrimque unus.* Quam Petri confeſſionem Dominus, nedum probavit dicens v. 17. *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt;* ſed & ipſum propter hanc in Eccleſia ſua Caput cum omni facultate, tum in terra, tum in Cœlis ligandi & ſolvendi delegavit: *Tu es Petrus* &c. Et quidem hæc Petri confeſſio jugulum petit Neſtorio. Cum enim enim ly *Tu es* appellet ſupra Perſonam, dicendo *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, declaravit, ipſum Perſonam Filii Dei eſſe, non in ipſo Perſonam Filii Dei habitare, ut volebat Neſtorius.

V. Veritatem hanc paſſim Scripturæ prædicant. Joannes c. 1. ſui Evangelii dicit de Verbo, quod in principio ſeu ab æterno, erat apud Deum, & Deus erat, per quod facta ſunt omnia, in tempore *Verbum caro factum eſt*, ideſt factum eſt homo. Si Verbum Dei factum eſt homo, ergo verum eſt, quòd Deus, ſeu Verbum Dei eſt homo, quia omne quod factum eſt aliquid, eſt illud quod factum eſt. At ſi in Chriſto non eſt eadem Perſona Dei & hominis, verum non eſt, quòd Deus ſeu Verbum ſit homo: quia ut propoſitio affirmativa ſit vera, debent prædicatum & ſubjectum ſupponere pro eodem ſuppoſito: cùm enim dicitur homo eſt animal, ſignificatur eſſe idem ſuppoſitum, cui convenit natura hominis, & natura animalis: è contra verò dici non poteſt Petrus eſt Paulus, quia Petrus & Paulus diverſa ſuppoſita ſunt: igitur ſi verum eſt, quòd Incarnatione Deus factus eſt homo, & Deus eſt homo, oportet ut eadem ſit Perſona Dei & hominis: de duobus enim Perſona diſtinctis, quomodocumque unitis, non poteſt dici quòd unus ſit alius.

VI. Nec dicas, Joannem dicere *Et Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis*: ergo Verbum factum eſt caro, non per aſſumtionem carnis ad Divinam Perſonam, ſed per inhabitationem in carne.

Nam

Nam reſpondeo primò ex S. Auguſt. Tract. 2. in Joan., Verbum carnem factum habitaſſe in nobis, ut videremus gloriam ejus, quam ſi caro factum non fuiſſet videre non poteramus: & ideò ſubdit: *Et vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre*. Unde hìc nihil pro Neſtorio. Reſpondeo ſecundò cum S.Thoma in cap. 1. Joann. Lect. 7. quòd Verbum habitavit in nobis, non ſecundùm Perſonam Divinam quæ una & eadem eſt in duabus naturis, ſed ſecundùm naturam, ideſt natura Verbi inhabitavit naturam noſtram: ex quo fit, quòd in Chriſto duæ quidem Naturæ ſint, ſed una Perſona. Et puto à Joanne dictum, ut præveniret errorem Eutychetis: cùm enim dixiſſet Verbum caro factum eſt; ne putaretur Divinam naturam converſam fuiſſe in humanam, addidit & habitavit in nobis, referens hoc ad naturam, ut ſcilicet verum quidem ſit, Deus factus eſt homo, quia Dei & hominis una perſona eſt in Chriſto, non tamen verum ſit Naturam Divinam factam eſſe humanam, ſed Divinam habitare in humana ut à ſe diſtincta, licèt unitate perſonæ ſibi conjunctæ.

VII. Porrò quòd inhabitatio Verbi in humanitate Chriſti non tollat unitatem ſuppoſiti, oſtendi Tomo 1. in 3.p. q.7. Dub.2. §.4. Nam etiam anima dicitur habitare in corpore, & tamen utriuſque idem ſuppoſitum eſt. Videantur ibi dicta. Solùm ex S.Thoma citato addam: *Quod autem blaſphemat Neſtorius, auctoritate Sacræ Scripturæ evidenter refellitur. Apoſtolus enim Philipp. 2. Unionem Dei & hominis exinanitionem vocat, dicens de Filio Dei*,, Qui cùm in forma Dei eſſet .... ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens,,. *Non autem dicitur Deus exinaniri ex eo quòd creaturam rationalem per gratiam inhabitet: quia ſic Pater & Spiritus exinanirentur, cùm & ipſi inhabitare hominem dicantur per gratiam: Dicit enim Chriſtus de ſe & de Patre Jo.14.*,, Ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus,,. *De Spiritu Sancto dicit Apoſtolus* 1. *Cor.* 3.,, Spiritus Dei habitat in vobis,,. *Prætereà ſi Chriſtus perſonaliter Deus non eſſet, præſumtuoſiſſimè dixiſſet*,, Ego & Pater unum ſumus,, *&*,, Antequam Abraham fieret ego ſum,,. *Ego autem perſonam loquentis demonſtrat: homo autem erat qui loquebatur, unum cum Patre præexiſtebat Abrahæ*. Ita S. Th. qui addit, Joannem, dum ait *Et habitavit in nobis*, non loqui de Verbi Incarnatione, ſed de Verbi jam Incarnati cum hominibus converſatione. Quæ expoſitio valdè conformis literæ videtur.

VIII. Alter Neſtorii error, quo negabat B. Virginem Deiparam ſeu Dei Genitricem dicendam eſſe, præter ea quæ dixi loco ſupra citato Dub.2. §. 3. refellitur verbis Eliſabeth Lucæ 2. v. 43. quæ videns B. Virginem jam Verbo fœtam ad ſe venientem, Spiritu

ritu Sancto repleta exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Quæ conſiderans S. Leo Epiſt. 134. (aliàs 97.) ad Leonem Auguſtum ait: *Anathematizetur ergo Neſtorius, qui Beatam Virginem Mariam non Dei ſed hominis tantummodò credidit Genitricem, ut aliam perſonam carnis, aliam faceret Deitatis: nec unum Chriſtum in Verbo Dei & carne ſentiret, ſed ſeparatim atque ſejunctim alterum Filium Dei, alterum hominis prædicaret: cùm manente illâ incommutabili Verbi eſſentiâ, quæ ei cum Patre & Spiritu Sancto intemporalis atque coæterna eſt, ita intra Virginea viſcera Verbum caro ſit factum, ut per ineffabile Sacramentum uno conceptu, unoque partu ſecundùm veritatem utriuſque naturæ eadem Virgo & ancilla Domini eſſet & Mater. Quod etiam Elizabeth, ſicut Lucas Evangeliſta declarat, intellexit & dixit*,, Unde hoc mihi, ut veniat ad me Mater Domini mei?,,

IX. Hoc explicat S. Auguſtinus (ſeu ut Modernis placet Vigilius Tapſenſis) Lib. contra Felicianum Arianum cap. 12. *Eo pacto*, inquit, *quo cum corpore naſci docetur & animus: non quia utriuſque eſt una ſubſtantia, ſed quia ex utroque fit una perſona: non alius homo corpus, & alius animus, ſed unus homo corpus & animus. Sic poſt partum Virginis, non alius Dei Filius, & alius hominis; ſed idem Chriſtus Dei & hominis filius. Et ſicut in uno homine aliud corpus, aliud animus, ſic in uno Mediatore aliud Dei, aliud hominis filius: ſed idem tamen & non alius Dei quàm hominis filius, quamvis propter aliud Dei, & propter aliud hominis filius.... Genuit ergo Maria & non genuit Filium Dei: genuit, quando ex ipſa ſecundùm carnem natus eſt Chriſtus; non genuit, quando de Patre ſinè initio extitit Filius: genuit quando ex hac Verbum caro proceſſit, ut habitaret in nobis; non genuit quando in principio erat Deus Verbum, quod originem præſtitit univerſis*. En Veritas Catholica utrumque Neſtorii errorem jugulans. Contra hunc agit S. Gregorius Magnus Lib. 11. Epiſt. 67. (aliàs 61.) ad Quiricum.

X. Unde hauſtum hoc venenum Neſtorius in Eccleſiam effuderit, non una eſt ſententia. A Photino & Paulo Samoſateno illud traxiſſe, putarunt qui primi ſacrilegam ejus vocem audierunt. A Manichæis alii. Unde apud S. Auguſtinum Lib. 23. cap. 2. Fauſtus Manichæus Jeſum Filium Mariæ à Jeſu Filio Dei ſecernebat dicens: *Neque enim uſquam in parturitionibus Mariæ dictum legitur illud, Filius meus es tu ego hodie genui te*. Cui S. Auguſt. reſpondet, cap. 5. *Fides Catholica, eademque Apoſtolica eſt, Dominum noſtrum & Salvatorem Jeſum Chriſtum & Filium Dei eſſe ſecundùm Divinitatem, & filium David ſecundùm carnem*. Idem cum Manichæis dixerunt Helceſaitæ, & ante utroſque Cerinthiani,

Gnoſtici, & alii. Undecumque primò prodierit hæc blaſphemia, certum eſt, eam eſſe totius fundamenti fidei noſtræ everſivam, quâ cùm Paulo 1. ad Timoth. 3. v. 16., & Galatas 4. v. 4. credere debemus, Deum in carne manifeſtatum fuiſſe, & Filium Dei ex muliere hominem factum eſſe, & utramque naturam in una eademque perſona unitam, ut idem ſit Deus & homo mediator noſter Jeſus Chriſtus.

XI. Neſtorii exitus, ut ſupra indicavi, is fuit: à Conſtantinopolitano Epiſcopatu dejectus, ac in exilium miſſus, ſemper tamen in errore pertinax, in eodem exilio miſerè ſenio confectus periit, linguâ priùs, ut omnes tradunt à vermibus corroſâ, & terrâ ipsâ ſub eo dehiſcente, eumque deglutiſſe, ut memorabile aliquod tam impiæ blaſphemiæ extaret exemplum, ſicut in Dathan, Core, & Abiron. Neſtorii hæreſis Conſtantinopoli primùm exorta, indè progreſſa varias Orientis regiones & Eccleſias celerrimè invaſit & occupavit, maximè verò utramque Armeniam, ubi etiam nunc, quamquam in Armeniaca Synodo jampridem damnata regnare dicitur. Poſt Epheſinam Synodum eam anathematizavit Concilium Chalcedonenſe. Hanc excitavit Petrus Gnaphæus Epiſcopus Antiochenus, qui duas perſonas in Chriſto ponens, auſus eſt Triſagio quartam addere vocem dicens: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, Sanctus qui crucifixus eſt*, ut Sanctum fortem, quo nomine Filius Dei deſignatur, alium faceret ab eo qui crucifixus eſt. Qui error in V. Synodo Conſtantinopolitana damnatus fuit.

De hoc Jo. Damaſcenus Lib. 3. Fid. Orthod. cap. 10. *Appendicem illam*, inquit, *quam Petrus Gnaphæus, ſeu Fullo, Triſagio hymno adjecit, impiam eſſe ſtatuimus, ut quæ quartam inducat perſonam, ac Dei Filium, vim illam nimirùm Patris verè ſubſiſtentem ſeorſim collocet, & ſeorſim rursùs eum qui cruci affixus eſt: ac ſi ab illo Forti diverſus eſſet, vel Trinitatem Sanctam paſſioni obnoxiam opinetur, Patremque ac Spiritum Sanctum in crucem agat*. Ex quibus apparet, Gnaphæum unum è duobus erroribus adoptaſſe; vel Neſtorianum, nempè eum qui crucifixus eſt alium eſſe à Filio Dei forti; vel Sabellianum, totam nempè Trinitatem paſſam eſſe & crucifixam. De fide Theodori Mopſueſteni, Diodori Tarſenſis, Ibæ, & Theodoriti, videantur quæ dixi Tomo 1. in 3. p. qu. 7. Dub. 3. §. 4.

* * *

Digitized by Google

CAPUT LXXVI.

De Eutychianis.

§. I.

De Eutychete, ejus hæreſi, & circa eam initio geſtis.

I. HÆresim hanc fusè impugnavi Tom. 1. in 3. p. Qu. 7. Dub.6., ubi §.1. hæreſis hiſtoriam texui, §.2. eam profligavi, & §. 3. objecta diſſolvi; quæ Lector videre poterit. Aliqua tamen hìc repetam, alia adjiciam. Eutychiani ab Eutyche ſeu Eutychete denominati ſunt. Fuit hic Presbyter & Monaſterii Conſtantinopolitani Archimandrita poſtea dictus Abbas teſte Liberato cap. 11. Breviarii, & Flàviano Epiſcopo Conſtantinopolitano Epiſt. ad Leonem, qui ait: *Talis quidam nobis nunc apparuit Eutyches dudum Presbyter & Archimandrita.* Danæus tamen cap. 92. de Hæreſ. facit eum Monachum: indèque occaſionem captans ſolitum ſuum virus in Monachiſmum evomendi ait „ Fuit igitur hic (Eutyches) Satanæ maſtigia, & Mo- „ nachus, ſunt enim Monachiſmi fructus blaſphemiæ in doctrina „ horrendæ & hæreſes penè irradicabiles, tam eſt pertinax & ra- „ tioni repugnans hoc hominum genus „. Ita Monachiſmi encomiaſtes. Qui ſi advertere voluiſſet, ſuam prætenſam Eccleſiæ Reformationem (verè deformationem) ab uno Monacho Luthero prodiiſſe, vel à Monachatu contumeliis onerando abſtinuiſſet, vel jure eas in Lutherum vertere debuiſſet, verè Satanæ diſcipulum, & doctrinæ blaſphemæ promulgatorem. Sed hunc dimittam. Sive enim Monachus, ut ipſe vult, fuerit Eutyches, ſive non fuerit; in quocumque hominum ſtatu fuerunt & ſunt boni & etiam mali: & ſicut Apoſtolatus damnandus non eſt, ex quo indè Judas prodierit; ita nec Monachatus culpandus ex quo aliquis ab eo deſciſcat, cùm innumeri ſint alii, qui ſanctitate & doctrinâ Eccleſiam illuſtrarunt, & adhuc illuſtrant. Sed Danæus & alii contra Monachatum blaterare non ceſſant, quia Monachorum ſagittis ad mortem in dies vulnerantur. Abeat ergo Danæus.

II. Eutyches igitur, qui adhuc Diaconus in Synodo Epheſina contra Neſtorium acerrimè pugnavit, adeò ut tradita ei fuerit Epiſtola ad Imperatores communi Patrum nomine perferenda (ut ex Actis p.2. Actione 3.) eoque zelo adversùs Neſtorianam hæreſim exarſerit, ut cùm reſciviſſet, eam alicubi revixiſſe, literas ſuper

Digitized by Google

ſuper hoc ad Leonem dederit, ut conſtat ex ejuſdem S. Pontificis reſponſo Epiſt. 19. (aliàs 6.) quâ illius zelum ſummè commendat. Verùm Eutychetis in Neſtorianam hæreſim zelus ſecundùm ſcientiam non fuit, ipſum enim dejecit in Scyllam, dum voluit vitare Carybdim, quia in extremum errorem imperitiâ abreptus fuit. Dicebat ergo, in Chriſto non unam tantùm eſſe Perſonam, ut Epheſina Synodus definierat, ſed poſt unionem unam tantùm factam eſſe Naturam, & Chriſtum eſſe quidem *ex duabus naturis*, ſed non *in duabus*, ſeu duas quidem ante unitionem fuiſſe naturas, ſed unicam poſt unitionem. Eutychis errorem deplorat S. Leo Epiſtolis modò 29. 30. 31. tanquam de imperitia magis quàm de verſutia natum, & quòd ille qui apud ſe Neſtorianam hæreſim repullulare conqueſtus fuit, nullâ maturitate cordis fœdaverit canitiem ſenectutis. Quibus oſtendit, Eutychem fuiſſe jam ſenem, cùm errorem ſuum evulgare cœpit.

III. Exorta autem eſt Eutychetis hæreſis anno Chriſti 448. S. Leonis Pontificis Maximi 9. Theodoſii Junioris 41. & Valentiniani 24. poſt Epheſinum Concilium 18. Non ſtatim tamen eam publicavit, ſed privatis ſermonibus inſinuare cœpit inter familiares Monachos, & alios ſibi amicitiâ conjunctos: quod cùm reſciviſſet Euſebius Dorylæi in Phrygia Epiſcopus, cui cum Eutychete amicitia intercedebat, ſecretis monitionibus ipſum corrigere priùs tentavit. Sed cùm operam ſe perdere vidiſſet, rem detulit ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Coegerat iſte Synodum anno 449. ob quaſdam dirimendas lites inter Florentium Lydiæ Metropolitanum & duos ſuæ Provinciæ Epiſcopos Joannem & Caſinium; cùm libellum Patribus obtulit Euſebius Dorylæi adversùs Eutychetem, in quo eum accuſabat, quòd adversùs Salvatorem blaſphemam linguam moveret, & Patres omnes ut hæreticos traduceret, nil tamen ſpeciale de ejus errore loquens. Libellus habetur Act. 1. Conc. Chalcedon. & incipit: *Optaveram quidem*. Audito Libello Patres Euſebium rogarunt, ut pro jure amicitiæ ipſe Eutychem adiret, eique meliora ſuggereret. Sed Euſebio ſe excuſante, eò quòd cùm antea eum pluries ad rectam fidem revocare ſtuduiſſet, operam perdiderat, Patres duos ad Eutychen miſerunt, qui ad Synodum eum vocarent.

IV. Qui miſſi fuerant Synodo retulerunt, Eutychen reſpondiſſe, nunquam ſe à Monaſterio cui præerat niſi per mortem diſceſſurum. Idemque ſecundò ac tertiò vocatum reſponſum dediſſe, alii ad ipſum miſſi renuntiarunt. Actione tamen 4. Eutychis nomine adfuere Abrahamius Presbyter cum aliis Monachis, qui ægrotare eum mentiti ſunt, ac inducias ſeptem dierum, donec con-

valeſceret, poſtulavere: quod & ſibi ab Eutyche dictum, qui à Synodo miſſi fuerant, reverſi confirmarunt. Qui addebant Eutychetem de ſua Fide interrogatum dixiſſe „ Paratum ſe eſſe ſubſcribere „ decretis Nicænorum ac Epheſinorum Patrum, neque tamen ſubſcribere ſe Patrum placitis, ſi in aliquo ipſos erraſſe contigiſſet: „ ſolas autem Scripturas ſectari tanquam firmiores Patrum expoſitionibus. Unam ſe agnoſcere Naturam Dei incarnati & humanati „. His præſumebat privato ſuo ſpiritu Scripturarum ſenſum veriùs aſſequi, quàm Eccleſiam & Patres. Num hæc ſit modernorum Acatholicorum vox, judica mi Lector. Porrò cum Euſebius Dorylæi pro damnatione Eutychetis inſtaret, & Mamas & Theophilus qui ad eum miſſi fuerant, ab eo audiviſſe teſtarentur, nunquam duas in Chriſto Naturas ſe agniturum: viſum eſt Flaviano & Patribus, ferri quidem ſententiam poſſe adversùs Eutychetem ſecundùm Canones, ipſi nihilominus concedendas eſſe quas rogaverat inducias. Ni verò ſtatâ ſe die ſiſtat Synodo, Sacerdotio & Monaſterii præfecturâ ſpoliandum. Hæc ex Synodi Actis.

V. Induciis à Synodo ſibi datis abuſus Eutyches, ope Chryſaphii Eunuchi Theodoſii cubicularii æquè ſibi addicti ac in Flavianum infenſi, obtinuit ab Imperatore, ut eidem Synodo ex Senatu aliqui intereſſent. Cauſa, cur Chryſaphius odio in Flavianum exarſerit, hæc fuit. Munus conſecrationis titulo, quod Imperatori offerret, à Flaviano Chryſaphius petierat. Flavianus panes puros miſit. Aureum benedictionis donum mittendum eſſe dixit Chryſaphius. Flavianus reſpondit. Non eſſe ſibi auri copiam, niſi ad hoc Sacris Templi donariis uteretur: ipſum autem Chryſaphium optimè noſſe, Eccleſiæ ſacra vaſa Deo & pauperibus eſſe conſecrata. Quo indignatus Chryſaphius omnes artes movere cœpit, ut Sanctum Antiſtitem è ſede deturbaret: quas refert Nicephorus Lib. 14. Hiſt. cap. 47.

VI. Tandem venit ad hanc Synodum cum turbulenta Monachorum, quos ſeduxerat, phalange, ac Prætorianorum militum manu Eutyches. Ibi præſentibus Florentio Patricio & Magno Silentiario relecta ſunt Acta Concilii, & interrogatus Eutyches, quid de fide ſentiret, quamvis eam verbis involvere conaretur, errorem tamen ſuum tegere non valuit, quin diceret, duas quidem ſe credere in Chriſto Naturas ante unionem, ſed unam poſt unionem. Quare hæreticus compertus Flaviani ſententiâ privatus fuit communione Sacerdotali, Ordine, & præfecturâ Monaſterii. Exaſperatus Eutyches à Flaviano & Synodo Conſtantinopolitana ad S. Leonem Romanum Pontificem appellavit, eumque circumvenire tentavit. S. Leo de his quæ Conſtantinopoli geſta fuerant

non

non admonitus à Flaviano, ne vel innocentem damnaret, vel reum abſolveret, ſcripſit ad Theodoſium Epiſtolam modò 21., & ad Flavianum Epiſt. modò 20. inſtrui ſe de veritate poſtulans, & in fide defendenda optans caritatem. Protinus ad S. Leonem reſcripſit Flavianus, & Acta Synodi ad eum miſit. Quibus acceptis Leo operam opemque ſuam adversùs Eutychetem pollicetur. Extat hæc Epiſtola ordine 22. quam ſecuta eſt alia ordine 23. ad Theodoſium, quâ ſuper cauſa Eutychetis Concilium intra Italiam haberi poſtulat.

VII. Intereà cùm Eutyches novas turbas Conſtantinopoli excitaret, publicis palàm propoſitis ſcriptis conteſtatus ſe injuriam paſſum, & Acta Concilii Conſtantinopolitani per Notarios diminuta falſataque eſſe, oblatoque ſuper hoc Imperatori Libello, favente Chryſaphio Eunucho, ea retractari & novum ex eiſdem Epiſcopis Conſtantinopoli in ſuburbio indici Concilium obtinuit, quod anno 449. ineunte Aprili convocatum eſt, cui juxta Eutychetis votum factum eſt, ut præſideret Thalaſſius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, interveniente Imperatoris nomine Florentio Patricio. In eo contra jus faſque, ac reclamantibus nedum Doryleo ſed Patribus, Eutycheti per Procuratores cauſam ſuam agere conceſſum eſt. Prolatis prioris Synodi Actis juſſi ſunt Epiſcopi, qui ei interfuere, ſub juramento dicere, an vera eſſent quæ utrimque proferrentur, quod tamen velut inauditum reſiſtente Baſilio Seleuciæ Epiſcopo factum non fuit. Tandem lectis ac diſcuſſis Actis, cùm nihil falſitatis in eis convinci potuerit; & Eutyches calumniaretur Flavianum, quòd eadem cum Neſtorio ſentiret, jubente Imperatore Flavianus profeſſionem fidei propriâ manu ſcriptam obtulit, quâ Neſtorium ac Sectatores ejus damnabat. Is fuit illius conventus exitus.

VIII. Videat hìc Lector, quanti fuerit etiam apud Orientales Romanæ Sedis auctoritas. Eutyches reus à Synodo Orientali ad Leonem Romanum Pontificem appellat. Flavianus Synodi Præſes & Judex Acta ad eum tranſmittit, & rogat ut auctoritate ſuâ ea confirmet, & cauſam finiat. Conſtant hæc ex Epiſtola Flaviani ad S. Leonem (quæ inter Opera ejus legitur) in qua poſtquam diluit mendacia, quibus ſubrepere tentaverat Eutyches, dicens ſe tempore judicii ad Sanctitatem ſuam appellaſſe, quod falſum eſt; Eum rogat ut auctoritate ſuâ (quæ ſola poteſt) omnia componat his verbis: *Commotus igitur, Sanctiſſime Pater, ob omnia quæ auſus eſt, & propter ea quæ adversùs nos Sanctiſſimamque Eccleſiam facta ſunt atque fiunt, ſolitâ fiduciâ utere, ſicut Sacerdotio convenit, & vindicans communem rem Sanctarumque Eccleſiarum compoſitionem, digna-*

dignare per proprias quidem literas ſuffragari depoſitioni canonicè adverſùs eum factæ, confirmare verò & piiſſimi Chriſtumque amantis noſtri Imperatoris fidem. Res namque ſolo indiget ex vobis impulſu atque ſubſidio, quod per veſtram prudentiam ad tranquillitatem & pacem cuncta ſtatim translaturum eſt. Sic enim & quæ inſurrexit hæreſis, & ob eam excitatus tumultus facilè ceſſabit, Deo cooperante: prohibebitur verò & quæ vulgatur futura eſſe Synodus, ut ne Sanctiſſimæ totius Orbis Eccleſiæ perturbentur. Hâc fiduciâ in Romani Pontificis poteſtatem, ſcribit Conſtantinopolitanus Epiſcopus Flavianus.

§. II.

Epheſina II. Synodus.

I. SCripſerat, ut dixi, ad Theodoſium S. Leo eum adhortatus, ut damnationi Eutychetis ſubſcriberet, & ad paci Eccleſiæ conſulendum Concilium in Italia celebrandum permitteret. Sed à Theodoſio cæteroquin pio neutrum obtinere potuit. Videns enim Eutyches, S. Leonem ſui damnationem à Flaviano Synodo factam probare, non obſtante appellatione ad ipſum factâ, Chryſaphii patrocinio, moliri cœpit apud Imperatorem, ut cauſam ſuam in Synodo Epheſi indicenda, ultimò diſcutiendam proponeret, ac Dioſcorum Alexandrinum Præſidem inſtitueret, & hoc ne præſidentibus Legatis, quos à S. Leone mittendos prævidebat, ſententia in ſe lata à Synodo Flaviani confirmaretur. Miſerè deceptus annuit Imperator: Indixit Concilium Epheſi contra mentem S. Leonis, qui illud pro pace Eccleſiæ in Italia poſtulabat, & duo alia contra Eccleſiæ regulas ſibi arrogavit. Primùm quia ſibi arrogavit jus deferendi præſidentiam Synodo Dioſcoro Alexandrino, quod nunquam antea factum; cùm Romani Epiſcopi fuerit ſemper ſingulare præſidere vel per ſe, vel per Legatos, quo pacto nomine Cæleſtini alteri Synodo Epheſinæ S. Cyrillus præſederat. Alterum quod Barſumam Archimandritam flagitioſum hominem ſuffragandi jure donavit, & Theodoritum ac Ibam ſub ſpecie quod Neſtorio faverent, re verâ tamen ne contra Eutychetem pugnarent, Synodo intereſſe nominatim vetuerit. Hæc propterea, aliæque fuerunt cauſæ, cur Synodus hæc Prædatoria fuerit nuncupata, & Latrocinium Epheſinum potiùs, quàm Concilium appellatum.

II. Sciens verò Imperator, nullum fore Concilium, quamvis Œcumenicum abſque Romani Pontificis auctoritate, *hanc reverentiam* (inquit S. Leo Epiſt. modò 29. aliàs 15. ad dictam Synodum

dum ſcriptâ) *Divinis detulit inſtitutis, ut ad ſanctæ diſpoſitionis effectum auctoritatem Apoſtolicæ Sedis adhiberet*. Quamvis autem nimis breve tempus ut Synodo perſonaliter intereſſe poſſet intercederet, cùm, ut S. Leo ſcribit ad Pulcheriam Auguſtam Epiſt. 27. literas Theodoſii Idibus Maii ſuſceperit, & Synodus pro Kalendis Auguſti indicta eſſet (quod fortè artificiosè factum putavit) attamen hoc omiſſo, XII. Kal. Julii Epiſt. 33. (aliàs 17.) Imperatori reſcripſit, ſe intereſſe non poſſe, cùm nec aliqua ante hoc exempla præceſſerint, & temporalis neceſſitas Romam tunc deſerere non permitteret, delegaſſe tamen Legatos, qui ſuo nomine adeſſent. Hi autem fuere ipſo S. Leone teſtante Epiſt. 30. citatâ ad Pulcheriam Julius Puteolanus Epiſcopus, Renatus Presbyter Cardinalis, Hilarus Diaconus Cardinalis, & Dulcinius Notarius, eiſque tradidit Epiſtolam illam ad Flavianum modò 24. aliàs 10., quâ non ille ſolùm, ſed totus Oriens, quid de Verbi Incarnatione ſecundùm Evangelicam veritatem ſentire deberet, acciperet, & præcipuè quòd Duas in Chriſto Naturas unitas indiviſè & inconfuſè in unius Perſonæ ſubſiſtentia inſeparabiles confiteri neceſſe ſit. Hanc Epiſtolam etiam Occidentalibus circularem eſſe voluit, quam Galliarum Epiſcopi in Concilio ea de re convocato Divinis penè laudibus velut à B. Petro Apoſtolo conſcriptam celebrarunt. Cùm enim ad ejus ſepulchrum S. Leo eam obtuliſſet, divinitus confirmatam ac cœleſtibus viſionibus fuiſſe approbatam ſcriptum reperitur.

III. Inchoatâ 4. Idus Auguſti anni 449. in Eccleſia S. Mariæ Epheſinâ Prædatoriâ Synodo, omnia ab initio ad finem dolo ac injuriâ geſta ſunt. Legati S. Sedis legatione ſuâ expoſitâ & præmiſsâ ab Hilaro Legato excuſatione, quòd S. Leo per ſe non adfuiſſet, eò quòd moris non eſſet niſi per Legatos Synodis extra Urbem Romanum Pontificem intereſſe, exhibita ab eo fuit S. Leonis Epiſtola. Hanc ſuſcipi quidem permiſit vaferrimus Dioſcorus, ſed ejus lectionem aliarum literarum ad diverſos causâ Synodi ſcriptarum lectione eluſit. Et cùm id inſtanter petentibus Legatis, Dioſcorus juraſſet ſe eſſe facturum, nunquam tamen præſtitit, quòd ſciret ejus Epiſtolæ lectionem cauſæ ſuæ obfuturam. Unde læſio Sanctæ Dei Eccleſiæ & ſcandalum per totum Orbem diffuſum eſt. Poſt hæc ſuggeſtione factâ, de fide agendum eſſe, negavit Dioſcorus: affirmans ex decreto Imperatoris tractandum eſſe de controverſia inter Flavianum & Eutychetem.

IV. Ingreſſus ergo Eutyches Libellum fraudibus contextum obtulit. Cùmque peteret Flavianus dari locum Euſebio Epiſcopo Dorylæi, ut Eutycheti opponeret, repulſus eſt eo prætextu, quòd non

non eſſet Flaviani aliquid petere, qui olim Judex, hac autem in Synodo adſtaret ut reus unà cum Euſebio judicandus. Et hoc ex Theodoſii reſcripto, qui Flavianum alioſque, qui in Conſtantinopolitana Synodo damnarant, jure ſuffragii privaverat. Quid deindè in hoc Satanico conventu actum ſit, quibus violentiis ope Comitum ac militum impius Dioſcorus uſus fuerit, compendio dicam. Lecto & approbato Eutychetis fraudolento libello, lectis & improbatis Conſtantinopolitanæ Synodi Actis, Eutyches in ſacerdotii gradum & Monaſterii principatum reſtitutus eſt. Sententia depoſitionis lata in Flavianum & Euſebium Dorylæi, cui cæteri Epiſcopi alioquin Orthodoxi, metu fracti vique adacti ſubſcripſere, ut ipſi Act. 1. Conc Chalcedonenſis conteſtati ſunt. Quidam Epiſcopi, quòd in gratiam Flaviani ad pedes Dioſcori accedentes ejus furorem frangere tentaverint, à Militibus & Monachis Eutychetis, qui cum gladiis & fuſtibus ad fores adſtabant, jubente Dioſcoro repulſi ſunt. Cum Flaviano alii Epiſcopi condemnati ſunt, & quicumque in verba hæretici jurare detrectarunt.

V. Porrò cùm Flavianus ab iniqua ſententia ad S. Leonem appellaſſet, ab eodem impiiſſimo Dioſcoro per vim ab Eccleſia extruſus, & calcibus appetitus fuit: & agente ſceleſtiſſimo Barſuma Archimandrita plagis contuſus & catenis conſtrictus in exilium perductus & ad Epipam Syriæ relegatus: ibi preſſuris & ærumnis confectus paulò poſt nobiliſſimam, pro fidei egregiâ defenſione moriens, coronam in Cœlis conſecutus eſt, ut Menologium Græcorum ipſumque Concilium Chalcedonenſe teſtantur. Nec ipſi Apoſtolicæ Sedis Legati à Dioſcori furore immunes fuere. Nam Flaviani damnationi imperterritè reſiſtentes, violatâ fide publica in carcerem detruſi fuere. Unus tamen ex eis Hilarus fugâ elapſus, poſt varias circuitiones & fortunas non ſinè Divina ope Romam adnavigavit, & de omnibus Epheſi nefariè geſtis S. Leonem certiorem reddidit, ut ipſe S. Leo teſtatur in Epiſt. 45. (aliàs 22.) ad Conſtantinopolitanos. Hunc exitum habuit Concilium Epheſinum II. Concilio Judaico adverſus Chriſtum comparandum, in quo Dioſcorus Cayphæ vices implevit. Quodque meritò à S. Leone improbatum Prædatorii & Latrocinii potiùs quàm Concilii nomen obtinuit.

VI. Theodoſius tot impietatibus nihil commotus, quamvis à Valentiniano Occidentis Imperatore, Galla Placida Valentiniani matre, & Licinia Eudoxia Theodoſii filia tunc Romæ exiſtentibus, literis rogatus, ut indicendo in Italia Concilium repetitis S. Leonis votis pro cauſa Eccleſiæ annueret, recuſavit, ac nedum Epheſi nefaria geſta non reſcidit, ſed lege latâ firmavit,

eo

eo errore deceptus, quòd omnia pro fidei Nicænæ defenſione, & adversùs Neſtorii hæreſim ibi acta eſſent. Ita reſcripſit ille ad S. Leonem, quem inſuper monuit, Flaviano vitâ functo ei ſuffectum fuiſſe in Epiſcopatu Conſtantinopolitano Anatolium, & à Dioſcoro ordinatum, optareque ſe ut ejus Ordinationem ratam habere vellet: cui S. Leo reſpondit, gratam ſibi fuiſſe Nicænæ Synodi commendationem: de Ordinatione verò Anatolii ſe nihil temerè reſcribere poſſe, donec de ſincera ejus fide certus fieret; ad quam explorandam ſe Legatos miſſurum ſpondet. Conſtant hæc ex Epiſt. 54. (aliàs 33.) ad Theodoſium. Cùm autem poſteà ex ipſius Anatolii literis & Legatorum teſtimonio ſibi conſtitiſſet, ſuas de fide literas ab eo reverenter ſuſceptas, ei peramanter reſcripſit Epiſt. 60. (aliàs 40.); quâ primò, quòd fidei ſcripta à ſe transmiſſa probaverit gratulatur. Secundò, monet, ut qui metu à fide lapſi ſunt, recipiantur. Tertiò, ne nomina hæreticorum ad ſacrum Altare recitentur. Quartò, ei commendat omnes qui Flaviano Epiſcopo fide adhæſerunt. Ita S. Leo omnia contra S. Sedem & contra fidem geſta Apoſtolicâ patientiâ ſuperabat.

VII. Quid Theodoſio poſteà acciderit, breviter dicam. Quaſi ſomno, quo hactenus detentus fuerat expergefactus, & gratiâ Dei illuſtratus, ac Sanctæ ſororis Pulcheriæ conſiliis tandem acquieſcens, remediaque ab ea ſuggeſta amplexus; multa & admiratione digna in expiationem admiſſi ſceleris præſtitit: quæ narrat Nicephorus Lib. 14. Hiſt. cap. 49. Monitus enim de Romani Pontificis ab Epheſino Conventu rejectis litteris, ac de iniquè in eo geſtis, tum contra Fidem, tum contra Flavianum, quem injuſtè depoſitum Dioſcorus & Chryſaphius necaverunt, priori ſuâ revocatâ pietate, primò in Chryſaphium Eunuchum malorum omnium auctorem juſtum effudit furorem. Eum itaque dignitate omnique ſubſtantiâ ſpoliatum in inſulam quandam relegavit. Cujus judicium Divina ultio comprobavit, quæ in mari navigantem demerſit. Secundò, conjugem Eudoxiam malorum omnium unà cum Chryſaphio auctricem acriter objurgavit, quæ metu adacta Jeroſolymam pergere petiit, quod Theodoſius illi permiſit. Tertiò, ſororem Pulcheriam Eudoxiæ invidiâ ex aula ejectam Virginem de fide optimè meritam, cum ſummo honore revocavit. Quartò, poſt varia in Dei honorem & Dei Genitricis patrata, Epheſum petiit S. Joannem Evangeliſtam honoraturus, à quo de ſucceſſore Martiano fertur dum oraret fuiſſe per viſionem admonitus. Conſtantinopolim deindè reverſus, ſivè ad venationem procedens, & in fluvium abreptus, ſivè morbo, paulò poſt obiit, miſericordiâ Dei indulgente, ut qui deceptione magis quàm malitiâ peccaverat, ad-

admiſſum facinus intelligeret, in auctores animadverteret, & facti pœnitentiam ageret.

§. III.

De Chalcedonenſi Synodo, & Eutychetis damnatione, ejuſque erroribus.

I. CUm, ut dicebam, Theodoſius fato functus eſſet, antequam Legati S. Leonis Conſtantinopolim perveniſſent, Marcianus, qui ei in Imperii adminiſtratione ſucceſſerat, ductâ in conjugem Pulcheriâ, in teſtimonium ſui pro fide Catholica zeli ipſis Kalendis Auguſti ann. 450. quartâ ſui Imperii die adversùs Eutychianos Sanctionem edidit, quâ eos omnibus pœnis à ſuperioribus Imperatoribus contra hæreticos latis ſubjiciebat; ac rursùm Romani Pontificis nutu cuncta agere ſtatuens ad S. Leonem literas dedit de electione ſuâ, & reſtituendæ Eccleſiæ deſiderio. Intereà cùm Legati, quos S. Leo ad Theodoſium direxerat, Conſtantinopolim perveniſſent, eique tradidiſſent literas, quæ ad Theodoſium ſcriptæ fuerant; iis reverenter acceptis Marcianus iterum ad S. Leonem ſcripſit ſignificans, nihil ſibi magis in votis eſſe, quàm ut Apoſtolica fides in Œcumenica Synodo ejus diſpoſitione ſtatuatur, ad eam convocandam ſe paratum exhibens, vel in Oriente, vel in Thracia, aut Illyrico, ut ipſi placuerit, & ad eam omnes Epiſcopos convocandos. Ex quibus apparet, Imperatores verè pios auſos non fuiſſe Concilia Œcumenica indicere abſque Romani Pontificis conſenſu & auctoritate. Scripſit etiam ad S. Leonem Pulcheria Auguſta, quæ inſuper ei ſignificavit, Anatolium Regiæ Urbis Epiſcopum in fide integrè permanere, ac Literis Apoſtolicis, quas ad S. Flavianum direxerat, ſinè dilatione ſubſcripſiſſe. Secundò, ejuſdem S. Flaviani corpus Marciani conjugis ſui præcepto & ſuo Conſtantinopolim translatum, & in Eccleſia Apoſtolorum honorificè conditum eſſe. Tertiò, Epiſcopos qui ob fidei cauſam & ob Flaviani defenſionem in exilium fuerant amandati, Imperatoriâ ſanctione revocatos, quatenus ſententiâ Concilii ſuis ſedibus reſtituantur. Quartò, ſcribit de cogendo Concilio.

II. His optatæ pacis & fidei ſtabiliendæ præludiis exhilaratus S. Leo, gratulatoriis literis reſcripſit, Marciano quidem Epiſt. modò 62. & 63. quibus gratias ei agit pro Catholicæ fidei ſtudio, cui pax Imperii rependitur, & de animo Synodum convocandi, in qua tamen non de Fide & Scripturis, cùm de hoc per Patres jam ſtatutum ſit, ſed de ſolis errantibus agendum erit. Gratulatur inſuper

ſuper de Anatolii fide, de reductis in Urbem S. Flaviani Reliquiis, & promittit ſe Legatos miſſurum, quamvis ob Hunnorum incurſiones Synodo convocandæ opportunum tempus ſibi non videatur. Pulcheriæ verò Epiſt. 64. reſpondit, ſe Legatos mittere, qui cum lapſis ſummâ prudentiâ ac moderatione agant. Extra unitatem fieri qui Naturam noſtram in Chriſto negat. Rogatque ut Eutyches ad longinquiora transferatur, ejuſque Monaſterio Catholicus præficiatur.

III. Cogitaverat Marcianus Synodum Nicææ convocare, ac de facto literas convocatorias ad Epiſcopos dederat, cui perſonaliter ipſe adeſſe promittebat. Verùm cùm audiſſet, incurſionibus Barbarorum Illyricum turbari, ac proindè ægrè ſe intereſſe poſſe, ut Legati S. Leonis enixè efflagitabant, aſſerentes ſe eo abſente Synodo non interfuturos; mutato conſilio, Synodum Nicæâ transtulit Chalcedonem datis ad omnes Epiſcopos literis, ut illuc convenirent.

IV. Chalcedonenſi Synodo per Legatos Paſchaſinum Lilybei in Sicilia Epiſcopum, Lucentium Aſculanum Epiſcopum, Bonifacium & Baſilium Presbyteros, præfuit S. Leo, quibus & Julianum Coenſem adjunxit. Cœpta eſt Synodus anno Chriſti 451. Leonis 12. Marciani Imperatoris 2. menſe Octobri in ſuburbiis Civitatis ac ampliſſimâ ſub nomine S. Virginis & Martyris Euphemiæ Baſilicâ, in qua ejus reconditæ erant Reliquiæ, ut infra dicam. Synodo adfuere Epiſcopi ſupra ſexcentos, ut vult Liberatus in Breviario cap. 13., cui conſentit Marcellinus in Chronico. Sexcentostriginta ſex fuiſſe ſcribit Nicephorus, ut duplò major fuerit numerus Chalcedonenſium, quàm Nicænorum Patrum. In Actis tamen quæ extant, pro media parte ſubſcriptiones deſiderantur. Adfuere ſeculares Magiſtratus, ut tumultus prohiberentur, ut judiciorum ordo ſervaretur, & omnia ſecundùm Canones gererentur.

V. Ex iis ergo, quæ in hac Synodo geſta ſunt, ea ſolùm referam, quæ præſentem cauſam reſpiciunt, & quidem breviter. Actione 1. Dioſcorus in Synodo ſedere prohibitus eſt ut judex, juſſus in medio ſedere ut reus. Actoris partes egit Euſebius Dorylæi. Relectis Actis Pſeudo-Synodi Epheſinæ ſub Dioſcoro, itemque Actis Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Flaviano, Flavianus & Euſebius Dorylæi à labe hæreſeos vindicati ſunt, eoſque præter jus & æquum exauctoratos, & communione privatos pronunciatum eſt: & è contra decretum, Dioſcorum Alexandrinum, Juvenalem Jeroſolymitanum & alios Auctores Latrocinii Epheſini eâdem pœnâ plectendos, quâ immeritò Flavianum & alios ipſi affecerant.

VI. Actione 3. Dioſcori cauſa jubente Paſchaſino S. Leonis Legato ventilata eſt, ac lectus Euſebii Dorylæi in ipſum libellus. Semel atque iterum vocatus ad judicium, ſe coram Synodo ſiſtere renuit, modò detentionem, modò ægrotationem, modò Judicum abſentiam cauſatus. Tandem cùm tertiò vocatus venire contemneret, Legati S. Leonis conſentiente Synodo ſententiam depoſitionis in eum tulerunt: quòd Eutychetem canonicè à proprio Epiſcopo excommunicatum irregulariter etiam ante Latrocinium Epheſinum in communionem recepiſſet; quòd in ea Pſeudo-Synodo S. Leonis Epiſtolam legi prohibuiſſet; quòd Leonem à communione abſcindere auſus eſſet. Quæ ſententia ab omnibus Patribus ſubſcripta, ac Dioſcoro intimata, ad Clericos Alexandrinos miſſa eſt. Poſt hæc contentiones variæ, à fautoribus Dioſcori & Monachis Eutycheti faventibus excitatæ, auctoritate Synodi compreſſæ ſunt. Dioſcori depoſitio firmata, Eutychiana hæreſis damnata, & Fidei definitio omnium ſubſcriptionibus coram Marciano ſancita fuit.

VII. Synodi ergo definitio, quam ex Epiſtola S. Leonis ad Flavianum maximè ſe excerpſiſſe Patres teſtantur Actione 5. talis eſt: *Sequentes igitur Sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſonanter omnes docemus, eundem perfectum in Deitate, & eundem perfectum in Humanitate, Deum verum & hominem verum eumdem ex anima rationali & corpore, per omnia nobis*,, ſimilem abſque peccato,, (Hebr. 4.) *ante ſecula quidem de Patre genitum ſecundùm Deitatem, in noviſſimis autem diebus eumdem propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundùm humanitatem, unum eumdemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum in Duabus Naturis inconfusè, incommutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magiſque ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrente: non in duas partitum aut diviſum, ſed unum eumdemque Filium & Unigenitum Deum Verbum Dominum Jeſum Chriſtum, ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit, & Patrum nobis Symbolum tradidit*. Ita S. Synodus definivit, anathematizans omnes qui aliter ſenſerint, quod generali ſubſcriptione firmatum Neſtorii & Eutychetis hæreſim jugulavit.

VIII. Non poſſum, quin iterùm meo Lectori ſubjiciam id, quod apud ſepulchrum S. Euphemiæ prodigiosè eveniſſe ſupra Tomo 6. cap. 13. §. 38. num. 5. narravi. Nimirùm, quòd cùm Synodus hæc in Eccleſia præfatæ S. Martyris celebraretur, & diſceptatio magna fieret, ſeorſim utrique fidei ſuæ formulam in libellum ſuum relatam,

tam, & chartam utramque ſigillis obfirmatam ad Corporis Sanctæ Martyris pedes depoſuere. Et nocte proximâ precationibus conſumtâ poſtridiè venerunt, & monumenti operculo remoto, ſpectaculum novum rectoque judicio dignum conſpexere. Nam Orthodoxorum rectèque ſentientium libellus perquam tenaciter Martyris manibus tenebatur: alter autem tanquam res vana ad ejus pedes jacebat. Quo cœleſti calculo condemnatio Eutychiani erroris ut legitima confirmata eſt: & qui decretis Synodi conſentire noluerunt ignominiam & probrum à Deo & hominibus ſunt conſecuti. Ita refert etiam Nicephorus Lib. 15. Hiſt. cap. 5.: qui addit, quòd hæreſis ipſius dux Cangram exul abductus eſt. Licèt autem de hoc miraculo aliqui dubitent, loco tamen ſupra citato ſatis probabile eſſe oſtendi.

IX. Porrò Eutychetem ejuſque errorem jure ut hæreſim à præfata Œcumenica Synodo damnatum fuiſſe, oſtendi Tom. 1. in 3.p.q.7. Dub.6. §.2., ubi §.3. Eutychetis fundamenta diſſolvi. Etenim ſicut Neſtorius ponens in Chriſto duas perſonas auferebat à Chriſto Divinitatem, ita Eutyches ponens in Chriſto poſt unionem unam tantùm Naturam auferebat ab eo Humanitatem, & ſic uterque licèt oppoſito modo, tollebat illud Joannis cap.1. *Verbum caro factum eſt*. Eutychetem ergo fusè redarguit S. Leo in celebri illa Epiſtola modò 24. (aliàs 10.) ad Flavianum, quam nedum Chalcedonenſes Patres ſubſcriptione ſuâ approbarunt, ſed totus Orbis ut veram in hac re Fidei Regulam ſuſcepit, ut patet ex Epiſtolis ex diverſis Regionibus etiam Occidentis, & præſertim Galliæ ad ipſum datis.

X. Primò ergo Eutychetem corripit S. Leo. Quòſi ſi hanc veritatem Sacrarum Scripturarum ſtudio noluit edoceri, eam ſaltem ex Fidelium univerſitate debuiſſet accipere, quæ in Symbolo confitetur: *Credere ſe in Deum Patrem Omnipotentem, & in Jeſum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui natus eſt de Spiritu Sancto, & Maria Virgine*. Quibus & Filii Dei æterna nativitas ex Patre Deo procedentis ut Dei; & temporalis ejuſdem nativitas ut Hominis ex Maria Virgine Spiritus Sancti operâ demonſtratur: ita ut temporalis nativitas nihil nativitati æternæ minuerit, nihil contulerit, ſed totam ſe reparando homini, qui aliâ viâ reparari non poterat, impendit. Exindè ex variis Scripturæ utriuſque Teſtamenti locis oſtendit, hâc temporali nativitate Filium Dei factum eſſe Filium hominis, & de ſemine Abrahæ ſecundùm carnem. Ne autem Eutyches diceret, ita Verbum carnem factum, ut haberet quidem formam hominis, ſed non materni corporis veritatem, nec noſtræ eſset naturæ, ut quia conceptus Virginis Divini fuit

fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti; Reſpondit, quòd *fœcunditatem Virgini Spiritus Sanctus dedit, veritas autem corporis ſumta de corpore eſt: & ædificante ſibi Sapientiâ domum*,, Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis,, *hoc eſt in ea carne quam aſſumſit ex homine, & quam ſpiritus vitæ rationalis animavit*.

XI. Poſteà Myſterium hoc exponens S. Leo: *Salvâ igitur*, inquit, *proprietate utriuſque naturæ & ſubſtantiæ, & in unam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt à majeſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad reſolvendum conditionis noſtræ debitum, natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili: ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem Mediator Dei & hominum homo Jeſus Chriſtus, & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris. Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Nam illa quæ deceptor intulit, & homo deceptus admiſit, nullum habuere in Salvatore veſtigium.... Aſſumſit formam ſervi ſinè ſorde peccati, humana augens, Divina non minuens.... Proindè qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma ſervi factus eſt homo. Tenet enim ſinè defectu proprietatem ſuam utraque natura, & ſicut formam ſervi Dei forma non adimit, ita formam Dei ſervi forma non minuit*.

XII. Procedit inſuper S. Leo oſtendens, poſt unionem in Chriſto utramque & Dei & carnis ſeu hominis manſiſſe naturam, ex infirmitatibus carnis, quæ in eo dum apud nos viveret ſicut in cæteris hominibus apparebant, & ſignis mirabilibus, quæ ſupra omnes in eo elucebant: quibus oſtendebatur unitas perſonæ in duplici natura, ea quæ ſunt hominis, & ea quæ Dei ſunt operantis. Ut homo, crucifixus fuit, mortuus ac ſepultus; ut Deus, carnem è ſepulchro excitavit glorioſam, ac ſe illam adhuc retinere Diſcipulis demonſtravit dicens. *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere* (Lucæ 24. v. 39.) *ut agnoſceretur in ea proprietas Divinæ humanæque naturæ individua permanere: & ita ſciremus, Verbum hoc non eſſe quod carnem, ut unum Dei Filium & Verbum confiteremur & carnem*. Ita S. Leo.

XIII. Poſteà ad Eutychetem tranſiens: *Quo*, inquit, *fidei ſacramento Eutyches iſte nimiùm æſtimandus eſt vacuus, qui naturam noſtram in Unigenito Dei, nec per humilitatem mortalitatis, nec per gloriam Reſurrectionis agnovit; nec ſententiam Beati Apoſtoli & Evangeliſtæ Joannis expavit dicentis* ((1. Joan. 4. 1.),, Omnis ſpi-
,, ritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt:
,, & omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt

An-

Antichriſtus „. *Quid autem eſt ſolvere Jeſum, niſi humanam ab eo ſeparare naturam, & ſacramentum per quod unum ſalvati ſumus, impudentiſſimis evacuare figmentis? Caligans verò circa naturam corporis Chriſti, neceſſe eſt ut etiam in paſſione ejus eâdem obcæcatione deſipiat. Nam ſi crucem Domini non putat falſam, & ſuſceptum pro mundi ſalute ſupplicium verum fuiſſe non dubitat, cujus credit mortem, agnoſcat & carnem.* His & aliis S. Leo demonſtrat, admiſsâ veritate paſſionis, & ſanguinis pro nobis in Cruce fuſi, admittendam eſſe in Chriſto veritatem carnis, aliàs incidetur in hæreſes ſupra refutatas, aſſerentes Chriſtum ſolùm apparenter fuiſſe paſſum: ac totum Incarnationis myſterium in meram illuſionem reſolvetur.

XIV. Propterea Epiſt. 134. (aliàs 97.) anno Chr. 458. ad Leonem Auguſtum ſcripta: *Eutyches quoquè*, inquit, *eodem percellatur anathemate, qui per impios veterum hæreticorum volutatus errores tertium Apollinaris dogma delegit, ut negatâ humanæ carnis atque animæ veritate, totum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unius aſſereret eſſe naturæ, tanquam Verbi Deitas ipſa ſe in carnem animamque converterit; & concipi ac naſci, nutriri & creſcere, crucifigi ac mori, ſepeliri ac reſurgere .... Divinæ tantùm eſſentiæ fuerit, quæ nihil horum in ſe ſinè carnis recipit veritate .... Unde ſi ab Apollinaris perverſitate Eutychianus quiſque deſciſcit, ne convincatur Deitatem paſſibilem ſentire atque mortalem, & tamen Verbi incarnati, ideſt, Verbi & carnis unam audet pronuntiare naturam, manifeſtè in Valentini & Manichæi tranſit inſaniam, & Mediatorem Dei & hominum hominem Jeſum Chriſtum ſimulatoriè credit omnia egiſſe, nec verum in ipſo corpus, ſed phantaſticam corporis ſpeciem oculis apparuiſſe cernentium.*

XV. Ex his evidenter apparet, decipi Recentiores quoſdam, quorum aliqui contendunt, Eutychetem admiſiſſe in Chriſto unam naturam ex duabus in ſua integritate manentibus compoſitam, ſicut hominis dicitur una natura, licèt ex anima & corpore quæ diverſæ quodammodo naturæ ſunt coaleſcat, inter quos Vazquez. Aliqui, Eutychetem naturam unam Chriſto tribuiſſe, non ut caro ſivè humanitas Chriſto defuerit, vel per mutationem, vel abſorptionem, vel per perditionem, ſed ut illa propria natura ſit aut dicatur, quæ primas partes obtineat, non ſecundas tantùm, quæ habeat, non habeatur, quæ ſuperioris habentis natura ſit. Quæ explicatio tribuitur Combefiſio à P. Le Quien in Notis ad Damaſcenum de Eutychianis. Alterutrâ enim ex prætatis expoſitionibus poſitâ, ſequitur S. Leonem, Patres Chalcedonenſes, & alios Eutycheti coævos, vel Eutychetis errorem non intellexiſſe, vel ra-

rationibus nihil adverſus ipſum concludentibus proceſſiſſe. Si enim naturam humanam integram poſt unionem in Chriſto Eutyches agnovit, ſed non eſſe nominandam, quia minùs principalem in illa compoſitione aſſeruit, tota controverſia ad quæſtionem nominis potiùs quàm fidei reducetur.

XVI. Contrarium his ſentiunt tum S. Leo relatus tum Flavianus, qui Eutychetem damnarunt: tum Theodoritus, qui in Dialogo *Inconfuſus* inducit Eraniſtem Eutychianorum cauſam agentem ita loquentem: *Ex duabus naturis dico Chriſtum, duas verò non dico*. Et cùm interrogaſſet Orthodoxus *Nempè tu naturæ utriuſque propria non fateris?* Reſpondet Eraniſtes *Poſt unionem haudquaquam*. Et cum peteret Orthodoxus: *Doce nos quomodo unam poſt unionem dicas naturam, an quòd una ex ambabus facta ſit? an quod alterâ deletâ, altera remanſerit?* Reſpondet Eraniſtes: *Ego dico manſiſſe Divinitatem, ab hac verò abſorptam humanitatem*. Et ſtatim id explicat exemplo maris: *Ut mare*, inquit, *mellis guttam ſi accipiat: ſtatim enim gutta illa evaneſcit, aquæ maris permixta*. Ita Theodoritus probatus teſtis errorem Eutychetis exponit. Quòd ſi apud aliquos inveniatur Eutychetis error ita expoſitus, ut ex duabus naturis una quædam ſit facta per compoſitionem, ſicut ex anima & corpore una hominis natura conſlatur, vel quòd in Chriſto ſit una natura ſuperior & habens alteram; hoc non Eutycheti, ſed aliquibus ex Eutychiano grege tribui potiùs debebit, qui ut Catholicorum invicta argumenta declinarent, hanc viam illuſoriè excogitarint. Momenta quibus ſuum errorem fulcire conabatur Eutyches, ſoluta videri poſſunt à me citato Tomo 1. in 3. p. qu. 7. Dub. 6. §. 3.

§. IV.

Eutychianorum ſoboles, ac tumultus.

I. MAla Eutychetis cauſa à Concilio Chalcedonenſi finita fuit, non tamen finitus error, nec Eccleſiæ pax reſtituta fuit. Dioſcoro in Chalcedonenſi Synodo ab Epiſcopatu Alexandrino depoſito, & in Gangram Paphlagoniæ urbem relegato juxta Evagrium Lib. 2. Hiſt. cap. 5., Epiſcopi Ægyptii Alexandriam redeuntes, coactâ Synodo & Proceribus Civitatis de eligendo Epiſcopo juxta Synodi mandatum agere cœperunt. Licèt autem Cives obſtarent dicentes, neminem Dioſcoro ſuperſtite ſe ordinari velle, ne adulteri viderentur; omnium tamen Catholicorum vota in Proterium conſpirarunt, virum pietate & fidei integritate ſpectabi-

ſtabilem, ac cæteroquin Dioſcoro carum, quem Archidiaconum ipſe ordinaverat, & cui abſens Eccleſiam commèndaverat. Eo autem ordinato, ut idem Evagrius refert, ingens in Civitate exortus eſt tumultus, Populo in diverſas ſententias diſtracto. Alii enim Dioſcorum requirebant, alii Proterium defendebant. Reſque adeò proceſſit, ut Proterius militari cuſtodiâ indigeret, quo ſe ab impetu plebis, quæ Dioſcori perditè amans erat, tueretur.

II. Intereà Timotheus quidam cognomento Ælurus, & Petrus Moggus Diaconus, qui à Dioſcoro fuerant ordinati, ab Eccleſia Alexandrina ſe ſeparavere, Proterio communicare nolentes. Quos cùm Proterius revocare non poſſet, utrumque damnavit. At illi auditâ morte Imperatoris Marciani, collectis turbis Hæreticorum qui Dioſcori partes ſequebantur, ordinari fecerunt in Epiſcopum Alexandrinum à duobus Epiſcopis, ob hæreſim à ſacerdotio abjudicatis Euſebio Peluſii & Petro Majumæ, præfatum Timotheum Ælurum Presbyterum, ac ſubindè Alexandriam venerunt, ubi ante triduum Paſchæ, quo Cœna Domini celebratur, ab ipſis turbis in Eccleſia, quò timore confugerat, Proterius eâdem die in Baptiſterio occiditur, laniatur, ejicitur, & funus ejus incenditur, cineribus ejus in ventum ſparſis; cum priùs cadaver per Urbem raptaſſent, ac ferarum more viſcera deguſtaſſent, de quo Evagrius Lib. 2. citato cap. 8.

III. Tam immani facinore univerſus penè Orbis commotus fuit. Ad Leonem Imperatorem qui Marciano ſucceſſerat confugerunt Epiſcopi Catholici & Clerici Alexandrini, petentes Æluri depoſitionem, & in Proterii parricidas juſtam animadverſionem. Miſerunt etiam hæretici Conſtantinopolim Legatos, qui Libellos Imperatori offerrent, quibus Chalcedonenſem Synodum execrabantur, & Concilium Œcumenicum poſtulabant. Ab Anatolio de his certior factus S. Leo ſcripſit ad Imperatorem plures Literas, quibus eum adhortabatur ne fidem in Chalcedonenſi Concilio definitam retractari pateretur. De quo ad Anatolium quoquè Literas dedit. His permotus Imperator Timotheum Ælurum Alexandriâ ejici juſſit, & alium Synodi Chalcedonenſis vindicem loco ejus ſubſtitui. Pulſo ergo Æluro, & in Gangrenam urbem (quò Dioſcorus relegatus jam fuerat) ſub arcta cuſtodia miſſo ibique detento, ab Ægypti Epiſcopis alter Timotheus cognomento Salophaciolus Alexandrinæ Eccleſiæ præfectus fuit, qui eam pacificè rexit, & in fide continuit, donec impius Ælurus ope Baſiliſci Tyranni Alexandrinam Sedem iterum invadens Catholicum Antiſtitem expulit. Sed à Zenone Baſiliſco ſuperato, Ælurus ejectus fuit, & Salophaciolus reſtitutus. Quare res ſuas deſperatas videns Ti-

motheus Ælurus mortem ſibi veneno conſcivit anno 478., ut ait Liberatus in Breviario cap. 16.

IV. Timotheus iſte Ælurus auctor fuiſſe dicitur Sectæ nuncupatæ Timotheanorum, qui contra fidem Catholicam in Chalcedonenſi Synodo ſtatutam commixtionem duarum naturarum in Chriſto cum Eutychete & Dioſcoro protervè ſuſtinebant. Danæus tamen de Hæreſ. cap. 90. aliam Timotheanis, quàm Eutychianis affingit hæreſim. Ubi enim iſti naturas Divinam & humanam ita coaluiſſe in Chriſto voluerunt, ut Divina quæ potentior eſt humanam, quæ infirmior erat, ipsâ aſſumtione abſorbuerit, ut totum quod eſt in Chriſto Deus ſit: Timotheani aliud magìs impium effutiebant „ ipſas nimirùm Chriſti naturas in Mariæ utero conflatas in unam quandam tertiam naturam velut maſſam, quæ jam nec Divina ſit nec humana propriè, quia iſtiuſmodi unione & conflaturâ proprietates utriuſque naturæ coierunt, & perierunt; ſed indè tertium quiddam volunt productum, quod vocetur Chriſtus. Nimirùm quemadmodum ex aqua & melle commixtis fit hydromel; item ex melle & aceto fit oxymel, quod jam neque acetum eſt neque mel, ſed quiddam tertium ex utroque compoſitum, quod utriuſque proprietates confuſas habeat, non autem in ipſo malagmate diſtinctas (Boethius in Lib. de duabus naturis & una Perſona Chriſti) Idem igitur in Chriſto accidiſſe impiiſſimè docent, quaſi Dominus noſter Jeſus Chriſtus poſt aſſumtum hominem ampliùs neque verus Deus, neque verus homo, ſed velut chimæra quædam & monſtrum horrendum ex Deo & homine confuſis inter ſe & tribulatis confectum & conflatum. Hoc poſteà renovavit impurus Servetus, veluti ſi duæ ceræ colliqueſcant, aut duo humores inter ſe velut vinum & aqua confundantur „. Hactenus Danæus Timotheanorum blaſphemiam exponit, quam Servetum & alios renovaſſe fatetur.

V. In Timotheo Æluro finem non habuit Eutychiana hæreſis, nec Chalcedonenſis Synodi hoſtes ceſſavere. Extincto enim Æluro, ordinaverunt ſibi Eutychiani Petrum Moggum antea Archidiaconum. Quod cum ad Zenonem Imperatorem delatum eſſet, ſcripſit Anthemio Auguſtali, ut Petrum Sedis Alexandrinæ invaſorem ejiceret, Timotheum verò Salophaciolum legitimum Pontificem tunc in Canopo caſtello degentem Sedi reſtitueret, & in Moggi ordinatores ſeverè animadverteret. Defuncto verò Salophaciolo à Catholicis Ægypti Epiſcopis, Clericis etiam & Monachis ſuffragantibus, Joannes Talaja Presbyter & Alexandrinæ Eccleſiæ Œconomus Epiſcopus ordinatus eſt. Hæc tamen electio Zenoni Imperatori diſplicuit. Tum impulſu Acacii quòd de ſua Or-

Ordinatione literas, ut moris erat, ad eum non dediſſet. Tum quia ſeceſſum ab Eccleſia meditatus fuiſſet, & Timotheo prædeceſſori ſuſcipiendi in dypticis Eccleſiæ Dioſcori auctor fuiſſet; ac inſuper quòd violato juramento de non ſuſcipiendo Epiſcopatu, illum & quidem datâ pecuniâ ſuſcepiſſet. Propterea ſuggerente Acacio ab Imperatore Alexandriâ ejectus fuit, & Petrus Moggus certis conditionibus conſtitutus, & maximè ut duas in Chriſto naturas confiteretur. Et hâc occaſione Zeno Edictum vulgò Henoticon edidit, de quo infra. Nec quidquam valuit apud Acacium Simplicii Romani Pontificis pro Talajæ reſtitutione patrocinium. Unde Felix qui Simplicio ſucceſſerat anno 483. eidem Talajæ Nolanum Epiſcopatum contulit, ubi poſt multos annos in pace quievit. At Petrus Moggus talem, qualis ſemper intùs fuerat, exteriùs etiam ſe manifeſtans, ac frangens fidem Acacio datam Dioſcori fautores impensè fovebat, & Synodum Chalcedonenſem execrabatur. Fato tandem vaferrimus homo functus eſt, & coram Dei judicio conſtitutus anno 490. (de eo Liberatus in Breviario cap. 18., & Evagrius Lib. 3. cap. 22.)

VI. Petro Moggo in Alexandrino Patriarchatu ſucceſſit Athanaſius ejuſdem furfuris vir, Henotico Zenonis & ipſe in ſpeciem ſubſcribens, qui Petri Moggi nomen non ſinè ſcandalo plebis Alexandrinæ Catholicæ ſacris Dypticis adſcripſit. Eo defuncto ſucceſſit Joannes Mela anno 497. eâdem fuligine tinctus. Melæ ſucceſſit Joannes Marchiota, qui Zenonis quidem Henoticon ſuſcepit, non tamen Synodum Chalcedonenſem, nec S. Leonis Epiſtolam, imò nec cum cæteris Orientis Patriarchis communicare volebat, quia Henotico Zenonis deeſſe contendebat anathema Synodi Chalcedonenſis, quod ad veræ fidei teſſeram requiri judicabat. Jo. Machiotâ è vivis ſublato, Dioſcorus junior anno 516. ordinatus eſt. Quo mortuo ſucceſſit anno 519. alter Timotheus pariter hæreticus, ſub quo Phantaſiaſtarum & Corrupticolarum hæreſes, de quibus infra, emerſerunt. Hoc vitâ functo, Theodoræ Auguſtæ favore Alexandrinam Sedem obtinuit Theodoſius; Populi verò & Monachorum factione Gajanus. Foverunt iſti ſchiſma Phantaſiaſtarum & Corrupticolarum, qui à partibus nomina Gajanitarum, & Theodoſianorum accepere. Vide Lector, quamdiù & quam miſerè Eutychiana peſtis Alexandrinam Eccleſiam contaminaverit.

* * *
* *
*

§. V.

De Henotico Zenonis.

I. AT quia huic malo valdè contulit Zenonis Imperatoris Edictum vulgò *Henoticon*, ſeu Unitivum appellatum, de hoc pro mei Lectoris notitia aliqua dicam. Zeno cùm imperium recuperaſſet, & Baſiliſci tyranni Acta, quibus ad inſtantiam Timothei Æluri Chalcedonenſem Synodum anathemate damnaverat, reſcidiſſet, Sedemque Alexandrinam Petro Moggo reſtitui decreviſſet, ſuadente, imò dictante Acacio Conſtantinopolitano, ac ipſo Moggo poſtulante; ſtudio conciliandæ pacis, veriùs tamen tegendi erroris, Edictum ſuo nomine promulgavit, & ad omnes Ægyptiacæ regionis Antiſtites, Clericos, Monachos & omnem Chriſtianam plebem direxit, quod Henoticon appellari voluit, mandans ut omnes tanquam veræ fidei confeſſionem ſuſciperent. Publicatum fuit Alexandriæ in die ſolemni, & ab ipſo Petro Moggo recitatum. Hoc exhibet integrum Evagrius Lib. 3. Hiſt. c. 14. In eo igitur non aliud Symbolum admittendum ſancit, quàm Nicænum, quod in Conciliis Conſtantinopolitano & Epheſino confirmatum eſt. Approbat duodecim S. Cyrilli Capitula, Neſtorium & Eutychetem, utpotè contraria memoratis Patribus ſentientes anathemate damnat. De Dioſcoro ſilet, Synodum Chalcedonenſem, & S. Leonis Epiſtolam ad Flavianum ſilentio præterit, imò damnat anathemate Synodum Chalcedonenſem, aut aliam ſi aliter ſentiat.

II. Fidem itaque ſic exponit: *Confitemur autem Unigenitum Dei Filium & Deum verè hominem factum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum conſubſtantialem Patri ſecundùm Deitatem, eundemque nobis conſubſtantialem quoad humanitatem. Qui deſcendit & incarnatus eſt ex Spiritu Sancto de Maria Virgine ac Dei Genitrice, unum eſſe, non duos. Unius enim eſſe dicimus, tum miracula, tum paſſiones, quas ſpontè ſua in carne ſuſtinuit. Eos verò qui dividunt aut confundunt, aut phantaſiam introducunt, nullatenus ſuſcipimus. Siquidem vera illa & peccati expers Incarnatio ex Dei Genitrice acceſſionem alterius Filii non effecit.... Hæc autem ſcripſimus vobis, non innovantes fidem, ſed ut vobis ſatisfaceremus. Quicumque verò aliter ſentit, aut ſenſit, vel nunc, vel quandoque aliàs ſivè Chalcedone, ſivè in alia qualibet Synodo, eum anathematizamus, præcipuè tamen Neſtorium & Eutychetem, & eos qui idem cum illis ſentiunt.*

III. Hiſce poſtremis verbis indicat Imperator, ſe non proprio mo-

motu, ſed quorumdam de ſtatutis in Concilio Chalcedonenſi non benè ſentientium, & maximè Petri Moggi & Acacii ſub ſpecie pacis inducendæ hoc Edictum promulgaſſe. Quod à purioris ac ſanioris fidei viris malè habitum fuit, & præcipuè quòd Imperator homo laicus judicem ſe in cauſâ fidei in plenario Concilio jam definitâ conſtituiſſet. Ac proindè ut refert Evagrius citato loco cap. 15. Joannes Talaja Alexandrinâ Sede pulſus Romam petens querelas ad Simplicium Pontificem detulit, aſſerens, *ſe ob Leonis Decretorum & Chalcedonenſis Synodi defenſionem à ſua Synodo exturbatum eſſe; alium verò ſubſtitutum qui eiſdem decretis adverſaretur*. De quo alios Orientis Epiſcopos apud Zenonem conqueſtos eſſe, idem Evagrius refert cap. 16. His commotus Simplicius ad Zenonem ſcripſit, qui idem his verbis reſpondit cap. 20. *Pro certo habere debes, & pietatem noſtram, & ſupra memoratum Sanctiſſimum Petrum, & univerſas Sacroſanctas Eccleſias, Sanctiſſimum Chalcedonenſe Concilium amplecti atque venerari, quod cum fide Concilii Nicæni prorsùs conſentit*. Deceptum fuiſſe Zenonem, tum quoad ea quæ de Petro Moggo ſcripſit, cum is (cap. 17.) delatus fuerit, quòd publicè Chalcedonenſem Synodum anathematizaverit, quamquam ipſe hoc ſe feciſſe negaret. Tum quoad ea quæ de univerſis Eccleſiis ſcripſit. Nam indè in Eccleſia acerrimum ortum eſt ſchiſma, & veri Orthodoxi etiam ſuppliciis vexati ſunt.

IV. Ac certè quidquid fuerit de animo Zenonis, ejuſque fide, qui tamen Henoticon illud ei ſuggeſſerunt, ſuam malam fidem ſub ſpecie unionis tegere fraudulenter voluere. Si enim veram fidem contra Eutychetem ab omnibus concorditer ſuſcipi volebant, cur S. Leonis Epiſtolâ à toto Orbe Catholico ut fidei teſſerâ approbatâ, cum Chalcedonenſis Synodi à qua res definita fuerat auctoritate, Henoticum non munierunt, ſed utrumque ſilentio prætererunt; imò eam Synodum anathemate damnarunt, ſi expoſitæ in Henotico fidei contraria ſit? Cur denique de his vocabulis *Ex duabus*, & *in duabus naturis*, à quibus totus Eutychetis error & fides pendebat, nihil dixerunt? Non mirùm ergo, ſi Zenonis Henoticum Fidei nocuit, & hæreſim ac ſchiſma fovit. Quare licèt hæreſis notam Zenoni affingere non audeam, ab ea tamen purgare eos non poſſum, qui ad hoc ipſum induxerant.

§. VI.

Eutychianæ hæreſis propagines.

I. Henoticum, quod conciliandæ in Eccleſia pacis ſtudio Zeno apparenter ediderat, Eutychianos contra Concilium Chal-

Chalcedonenſe & Fidei veritatem armavit, ac plures in Sectas diviſit. Eutychianæ igitur Sectæ portio fuit Acephalorum factio. Hujus hæc fuerunt exordia Alexandriæ. Cùm Petrus Moggus pulſo Talajâ in illius urbis Sedem à Zenone reſtitutus, ex Henotici, cui ſubſcripſerat, formâ Chalcedonenſe Concilium minimè, ſaltem apertè, damnaret, ea res perditis quibuſdam Eutychianis adeò diſplicuit, ut hac de cauſa Petri communionem ejurarint, ac proptereà *Acephali* dicti ſint, quod à Capite ideſt Patriarcha ſuo ſegregati ſeorſum congregarentur. (Ex Leontio Lib. de Sectis Act. 5. Nicephorus Lib. 18. Hiſt. cap. 45.) Horum principem fuiſſe dicit Severum Antiochenum Pſeudo-Epiſcopum, unde *Severiani* etiam dicti ſunt.

II. Severus Sozopoli in Piſidia oriundus ex Cauſidico Monachus à Nephalio, qui ejuratâ Eutychianâ hæreſi Catholicam fidem ſuſceperat, cum aliis ob hæreſim è Monaſterio pulſus eſt. Conſtannopolim profectus in Anaſtaſii Imperatoris, qui Zenoni ſucceſſerat, & Concilii Chalcedonenſis defenſores graviter perſequebatur, gratiam irrepſit; egitque ut Anaſtaſius Macedonium Conſtantinopolitanum Antiſtitem Catholicum, & Flavianum Antiochenum è ſuis Sedibus deturbaret, quo factum eſt ut ipſe Antiochenam occuparet. Thronum adeptus anno 512. Henoticon Zenonis ſuſcepit, & Chalcedonenſe Concilium anathemate damnavit, unde Acephalorum dnx factus, multoſque ex Orientalibus Epiſcopis etiam vi adactos in ſuum errorem traxit, quo anathema dicebat tum in Concilium Chalcedonenſe, tum in eos qui duas in Chriſto naturas, Deitatis unam carnis alteram, profiterentur. Damnatus tandem fuit in Concilio Conſtantinopolitano ſub Joanne anno 518. inſtantibus Monachis Orthodoxis, omnique dignitate & communione privatus, ut conſtat ex Act. 5. alterius Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Menna, qui pertinacem plaudentibus omnibus iterum damnavit. Imò Anaſtaſio mortuo, Juſtinus qui ei in Imperio ſucceſſerat vir religioſiſſimus blaſphemam linguam Severo amputari præcepit, quod tamen ſupplicium ille fugâ antevertit. Ejus in Sede Antiochena locum tenuit Paulus Orthodoxus anno 518. De his Evagrius Lib. 4. cap. 4.

III. Acephali ergo ſic dicti, quia ſub nullo Capite ideſt Epiſcopo eſſe vellent, referente Nicephoro dicto cap. 45., nec Baptiſmum juxta ſolemnem & receptum Eccleſiæ morem ab Epiſcopis vel Sacerdotibus adminiſtratum habebant, nec miniſterium aut oblationem, aut rem aliquam Divinam faciebant. Communionem verò à plurimo tempore aſſervatam habentes Feriis Paſchalibus in minutiſſimas partes inciſam convenientibus ad ſe homini-

bus

Digitized by Google

bus tribuebant : quo tempore quam quiſque voluiſſet accipiebat. Quamvis autem cauſa eorum ſeceſſus ab Eccleſia Eutychianus error fuiſſet, liberum tamen, pro arbitrio quemque ſuo quid vellet in fidei profeſſione ſequi, permittebant, ex quo infinita penè Sectarum varietas pullulavit.

Hi etiam dicti ſunt *Hæſitantes* & *Monophyſitæ*, quia cùm Eutychianorum Vulgo in eo conveniebant, quòd ſingularem naturam in Chriſto ſtatuerent, duas negarent. Dicti etiam Semi-Eutychiani quia Eutychianum errorem emollientes, Facundo teſte Lib.1. cap.5., dicebant : *Quoniam ſi & una prædicetur Filii Dei natura, poteſt accipi eadem una natura ſecundùm aliquid naturæ Patris eſſe conſubſtantialis, & item ſecundùm aliquid noſtræ. Hoc autem eſt dicere, nec Patris eam naturæ conſubſtantialem eſſe, nec noſtræ.*

IV. Ex hac Secta Jacobitæ emerſerunt, à quodam Jacobo Syro obſcuri generis homine nomen mutuati; quo nomine Eutychiani omnes in Ægypto & per totum Orientem diſtinguuntur ab Orthodoxis, qui *Melchitæ* appellantur, quaſi *Imperatorii*, quòd Imperatoris Marciani fidem, & congregatæ ab eo Synodi definitionem amplectantur. Hoc ita refert Nicephorus Lib. 18. Hiſt. cap. 52. *Jacobus porrò, à quo nunc quoquè Jacobitarum hæreſis denominata celebratur, Syrus genere fuit, obſcurus prorsùs & nullâ gloriâ vir, qui etiam* Zanzalus *propter ſuam tenuitatem eſt cognominatus. Hic Eutychetis & Dioſcori Gnaphæique, prætereà Petri Severique dogmate recepto, magnoperè id apud Syros propagare ſtuduit. Eccleſia ſanè Catholica Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſubſiſtentiam unam è duabus naturis conſiſtentem, Deitatis, inquam, & humanitatis, profitetur, ita ut utraque earum poſt unionem proprietates ſuas ſalvas conſervet, & duarum iſtarum naturarum unio mixtionem & confuſionem mutationemque & alterationem nullam admittat. Ipſeque idem Deus ſit & homo, & voluntates virtuteſque operatrices duas Divinam videlicet ſimul & humanam habeat.*

Eutyches autem duas quidem ipſe ante unionem naturas dixit, deindè unitas. Poſt unionem autem in unam eas naturam abiiſſe, confuſaſque eſſe, & mixtionem ſubiiſſe opinatus eſt. Adeò ut & Divinitas ea quæ humanitatis fuere paſſa ſit, & contra. Proindè hæc ita opinantes Monophyſitas (ideſt unius naturæ) *& Theopaſchitas* (ideſt Dei paſſibilis aſſertores) *divi Patres noſtri cognominarunt. Eâ ipsâ opinione Dioſcorus Alexandriæ Patriarcha, & Petrus Gnaphæus Severuſque Acephalus Epiſcopi Antiocheni, atque inſuper alii tranſverſim abducti ſunt. Enim verò eo quem diximus Jacobo Monophyſitarum opinionem apud Syros prædicante, magnum exortum eſt diſſidium. Nam qui rectæ opinioni adhæſerunt,* Melchitæ *appellati ſunt,*

quòd

quòd Sanctam quartam Synodum & Imperatorem ipſum (Melchi *enim Syriæ Rex eſt*) *confectarentur* : *Qui autem adverſum ſenſerunt multa variaque habuere nomina* , *Jacobitæ tamen maximè ſunt cognominati* .... *Et quod maximum eſt* , *Divinitati ipſius Unigeniti perpeſſionem tribuerunt* , *ter ſancto illi hymno appendicem hanc* ,, Qui crucifixus es pro nobis ,, *annectentes* . Hactenus Nicephorus . Hunc errorem Jacobitarum , qui per Ægyptum , Æthiopiam , Syriam , Meſopotamiam adhuc ſerpit, perdoctè confutat ſuppreſſo nomine zelantiſſimus Epiſcopus in nuperrimè edito Opere , cui titulus : *Orthodoxa Fidei confeſſio de Verbi Divini Incarnatione* .

V. Alios errores Jacobus Syrus ſparſit per Armeniam , teſte Nicephoro Lib. 18. citato cap. 53. Armeni ergo, qui hanc hæreſim pertinaciſſimè propugnabant, errori etiam Ritus accommodabant. Verbum in Chriſto aſſumſiſſe naturam carnem quidem habentem, ſed animâ carentem cum Ario , vel mente cum Apollinari dicebant, ac ei Divinam naturam pro anima & mente ac vi operatrice ſufficere. Quandoque Verbum nobis conſubſtantiale corpus non accepiſſe , ſed ea quæ carnis ſunt nobis in ſpeciem tantùm ad modum ſpectri exhibuiſſe aſſerebant. Quandoque autem carnem Chriſti in naturam Deitatis converſam eidemque conſubſtantialem factam dicebant . Multoties verò Deum Verbum ex Virgine corpus ſumſiſſe negabant , ſed ipſum Verbum immutabili modo mutatum & carnem factum, tranſitum tantùm per Virginem fuiſſe ; & cruci Divinitatem Unigeniti affixam eandemque ſepulchro traditam aſſeverabant . Ut fidem nativitati Chriſti, ejus infantiæ, atque ætatis incremento derogarent , non ſicut Eccleſia per intervalla & particulatim, ſed eâdem die 15. Januarii Annuntiationem ſimul & Nativitatem & Baptiſmum Chriſti celebrabant .

VI. Ritus alii eorum erant . Primò : Quòd Triſagio adjungebant *Qui crucifixus es pro nobis* , & hoc cum Petro Gnaphæo , quod carmen non toti Trinitati ſed ſoli Unigenito Verbo Chriſto concini aſſerebant . Secundò , in incruento Sacrificio azymum & ſolum vinum aquâ non permixtum adhibebant , ut unam tantùm & hanc Divinam in Chriſto naturam deſignarent , non humanam quam per aquam indicari dicebant . Tertiò , Paſcha Judaico more celebrabant , boves & oves immolando , & Agni ſanguine poſtes liniendo , nec Corpus & Sanguinem Domini percipientes , ſed de Agno ſacrificato & igne combuſto participantes . Quartò , Crucem non colebant , niſi priùs inſtar hominis baptizatam . In medio Crucis clavo defixo & ſanguine victimæ inuncto , unam Trinitatis Perſonam crucifixam indicabant . Quintò , Imagines Patris & Spiritus Sancti effingebant : alias etiam Sacras Imagines honorabant,

ſed

Digitized by Google

ſed non oſculabantur, digito tantùm eas contingentes, huic figebant oſculum. Communionem noſtram nihil eſſe dicebant. Sexto: Digito uno à ſiniſtra dextram versùs ſe ipſos Crucis ſigno muniebant, ut hoc Ritu ſe ipſos Monophyſitas, ſivè unius naturæ aſſertores profiterentur. Septimò: Die Paraſceves uſque ad Paſchatis diem ſub terra Crucem abſcondebant, ac interim cum lumine per plateas & angulos circumeuntes hinc indè eam quæritantes, tandem inventam proferebant. Octavò: Jejunia ſingularia obſervabant, inter quæ jejunium quod vocabant *Arziburi* paulò ante Quadrageſimam, cujus obſervantiam, ob necem canis ipſum quacumquè iret præcedentis, Sergius quidam ipſorum Doctor mandavit, jejunium ex nomine canis appellans. Tandem Sabbatis & Dominicis magnæ Quadrageſimæ diebus lac caſeum & ova comedebant. Hi erant Armeniorum Jacobitarum ridiculi ac veſani ritus.

VII. Ex Eutychetis lacuna emerſere Corrupticolæ, Phantaſiaſtæ, Agnoetæ, & Tritheitæ. Corrupticolæ auctore Theodoſio Monacho corpus corruptibile Chriſto tribuebant. Phantaſiaſtæ verò ſeu Incorrupticolæ, à Gajano dicti Gajanitæ, corpus incorruptibile Chriſtum habuiſſe aſſerebant. Corrupticolæ ergo errabant, non quia dicerent, Verbum in Chriſto aſſumſiſſe corpus naturâ corruptibile, & paſſionibus ſubjectum ac conſubſtantiale nobis; ſed quia volebant illis ex neceſſitate fuiſſe ſubjectum, eo modo quo noſtrum, non merâ ſuâ voluntate, ita ut etiamſi noluiſſet, paſſionum motus & effectus pati debuiſſet ſicut cæteri homines. Veritas enim Catholica eſt, generalis humani corporis paſſiones, famem, ſitim, fatigationem, tædium ac mortem in Chriſti corpore fuiſſe à Verbo ſuſceptas, ſed non neceſſitate, ſicut nos in quibus ſunt peccati originalis pœna; verùm ex immenſa ſua caritate, quâ teſte Paulo Rom. 8. v.3., venire voluit in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne, eas ſpontè aſſumſit, quas non aſſumere poterat, ſi voluiſſet. Paſſiones itidem animi aſſumere dignatus fuit Filius Dei, ſed non quales in nos transfudit peccatum, ſcilicet, vel rationem prævenientes vel rationi adverſantes. Unde S. Thomas 2. p. q.15. art.4. ait, *quòd hujuſmodi paſſiones aliter fuerunt in Chriſto, quàm in nobis quantùm ad tria. Primò quidem quantùm ad objectum; quia in nobis plerumque hujuſmodi paſſiones feruntur ad illicita, quod in Chriſto non fuit. Secundò, quantùm ad principium; quia hujuſmodi paſſiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis: ſed in Chriſto omnes motus ſenſitivi appetitus oriebantur ſecundùm diſpoſitionem rationis. Unde Auguſtinus Lib.14. de Civit. Dei c.9. dicit quòd* „ Hos motus certiſſi-

„ tiſſimæ diſpenſationis gratiâ ita cùm voluit ſuſcepit animo humano, ſicut cùm voluit factus eſt homo „. *Tertiò, quantùm ad effectum; quia in nobis quandoque hujuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitivo, ſed trahunt rationem: quod in Chriſto non fuit, quia motus naturaliter humanæ carni convenientes, ſic ex ejus diſpoſitione in appetitu ſenſitivo manebant, quòd ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conveniebant. Unde Hieronymus dicit ſuper Matth. cap. 26. ſuper illud* „ Cœpit contriſtari, *quòd* Dominus noſter, ut „ veritatem aſſumti probaret hominis, verè quidem contriſtatus „ eſt: ſed ne paſſio in animo illius dominaretur, per propaſſionem „ dicitur, quòd cœpit contriſtari „. *Ut* paſſio *perfecta intelligatur, quando animo ideſt rationi dominatur*, Propaſſio *autem quando eſt incboata in appetitu ſenſitivo, ſed ulteriùs non ſe extendit*. Hactenus S. Thomas.

VIII. Phantaſiaſtæ verò & Incorrupticolæ ſeu Gajanitæ à Juliano Halicarnaſſeo edocti carnem naturâ incorruptibilem, & ab omnibus paſſionibus immunem Chriſto affingebant, quæ non ſicut noſtra pateretur detrimenta, ad quæ reparanda eſuriret, ſitiret, fatigaretur, & opus haberet cibo, potu, requie ad reficiendas vires, ſed ſpecie tenùs affectiones iſtas exhibuiſſe eo modo quo poſt reſurrectionem. Iſtis tamen reſiſtunt Evangelia. Matth.4. v.2. *Cùm jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit*. Joan. 4. v. 6. *Jeſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*; & cap. 19. v. 28. *dixit, Sitio*. Ut enim ait Paulus Hebr. 2. v.17. *Debuit per omnia fratribus aſſimilari .... In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari*. Eutychiani huic errori favebant, quia magis accedebat ad ſuum, quo unam in Chriſto naturam ponebant. Adeò autem efferbuit hæc contentio, ut fax popularis ſeditionis extiterit quæ ad cædes uſque & domorum incendia pertraxit. Vide Liberatum in Breviario cap.20., & Leontium Lib. de Sectis Act.5. & 10.

IX. Agnoetæ, latinè *Ignorantes*, ex præfatæ contentionis fervore orti ſunt. Themiſtius enim Diaconus Alexandrinus, cùm Timotheum Epiſcopum interrogaſſet, an Chriſtus ignoraſſet aliqua, ſi quidem fuit corruptioni obnoxius; id Timotheus negavit: a cujus communione deficiens Themiſtius, & ignorantiam Chriſto adſcribere perſeverans, Sectam hanc condidit, quæ proindè Themiſtiana etiam dicta fuit, quæ cùm in Chriſto unam naturam compoſitam admitteret, dicebat, Chriſtum nedum ut hominem, ſed etiam Divinitatem in ipſo diem Judicii & alia multa ignoraſſe. Ita Damaſcenus Lib. de Hæreſ. & Iſidorus Lib. 8. Originum cap. 5. De hoc egi in Vera Eccleſia Tom. 1. cap. 4. §. 3. num.14.

Digitized by Google

num.14. contra Calvinum eadem ſentientem. Quæ videri poſſunt.

X. Adjiciam modò ex Eulogio apud Photium Biblioth. Cod. 230. ubi quia Agnoetæ id inferebant ex Chriſti verbis de Lazaro interrogantis *Ubi poſuiſtis eum?* Jo. 11. v. 34. & aliis. Matth. 24. v.36. & Marci 13. v. 32. ubi de die Judicii extremi ait: *De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cælo, neque Filius niſi Pater;* dicit Chriſtum dixiſſe, ubi poſuiſtis eum? non quia ipſe ignoraret, ſed ut præſentes Judæi ſcirent, & eorum, quæ circa illum facturus erat, fidem magis firmaret, & addit; *Sed ſi illa verba* ,, Ubi poſuiſtis eum? ,, *ad Chriſti ipſius imperiti homines referunt ignorantiam, quomodo non eamdem ignorantiam in Patrem rejicient, quando interrogat & dicit ad Adamum*: Gen. 3. ,, Ubi es? ,, *Et ad Fratricidam*: Gen. 4. ,, Ubi eſt Abel frater tuus? ,, *Et* ,, Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatum eſt .... deſcendam ergo & videbo, utrum clamorem ſuum (*qui venit ad me*) opere compleverint nec ne, ut ſciam ,,. Si ergo ex his ignorantiam in Deo Patre nemo ſuſpicabitur, ſic nec in Chriſto. De die autem Judicii ſe neſcire dixit, non ex eo quòd Filius, ſed ex eo quòd homo: ſciebat autem ut homo Dei Filio unitus, ſed eis illum revelare nolens, *ut Diſcipuli arbitrati quotidiè diem ultimum imminere, ſemper vigilarent*. Hæc & alia Eulogius.

XI. Hæc omnia confirmat & approbat S. Gregorius Lib. 10. Epiſt. Ep.39. (aliàs 42.) ad eumdem Eulogium dicens: *De eo verò quod ſcriptum eſt* ,, Quia diem & horam neque Filius neque Angeli ſciunt ,, *omninò rectè veſtra Sanctitas ſenſit, quoniam non ad eundem Filium, juxta hoc quod caput eſt, ſed juxta corpus ejus quod ſumus nos, eſt certiſſimè referendum. (Qua de re multis in locis* Lib. 83. Qu. quæſt. 60. Lib.1. de Trin. cap. 12. in Pſalm. 6. init. in Pſal. 34. Serm. 2.) *idem Beatus Auguſtinus eo ſenſu utitur. Dicit quoquè & aliud, quod de eodem Filio poſſit intelligi, quia Deus Omnipotens aliquando more loquitur humano, ſicut ad Abraham dicit*: Gen. 22. v. 12. ,, Nunc cognovi quòd times Deum ,,: *non quia ſe Deus tunc timeri cognoverit: ſed quia tunc eumdem Abraham fecit agnoſcere, quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quòd ipſe dies lætus ſit, ſed quia nos lætos facit: ita & Omnipotens Filius neſcire ſe dicit diem quem neſciri facit, non quòd ipſe neſciat, ſed quia hunc ſciri minimè permittat. Unde & Pater ſolus dicitur ſcire, quia conſubſtantialis ei Filius ex ejus natura, quá eſt ſuper Angelos, habet ut hoc ſciat quod Angeli ignorant.*

Unde & hoc intelligi ſubtiliùs poteſt: quia incarnatus Unigenitus, factuſque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem & horam judicii, ſed tamen hunc non ex natura humanita-

tis novit. Quod ergo in ipſa novit, non ex ipſa novit: quia Deus homo factus diem & horam judicii per Deitatis ſuæ potentiam novit. Indè advertens, Chriſtum in nuptiis à Matre rogatum, ut aquam in vinum verteret, quaſi eam ut Matrem non agnoſceret, dixiſſe: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Eamque poſteà ut Matrem in Cruce agnoviſſe, dum moriens eam commendavit Joanni *Ecce Mater tua*, Chriſtum Matrem ita alloquentem inducit: *In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minimè recognoſco. Cum hora mortis venerit, cognoſco te Matrem, quia unde mori poſſum, hoc ex te habeo. Itaque ſcientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum Angelis creatura fuit, hanc ſe cum Angelis qui creaturæ ſunt, habere denegavit. Diem ergo & horam Judicii ſcit Deus & homo, ſed ideò quia Deus & homo.* Ita S. Gregorius.

XII. Quòd ſi dicas. Si immortalis & æternus fieri temporalis & mortem ſuſcipere voluit, ut nos à morte liberaret: cur ſapientiſſimus ignorantiam non ſuſcepit, ut à nobis ignorantiam tolleret?

Reſpondeo, Verbum in humanitate mortem corporis ſuſcepiſſe, ut eâ tamquam pretio nos à morte animæ & ſervitute peccati liberaret. Non ſuſcepit autem ignorantiam, quia cum veniſſet ad tollendam à nobis ignorantiam, ignorantia per ignorantiam non tollitur, ſed per ſcientiam. Sicut ergo quia venerat ad tollendam mortem animæ ei per peccatum inflictam, nec peccatum nec peccati fomitem in humanitate aſſumſit, ſed eam plenam gratiæ voluit: ita quia venerat ut Magiſter ad tollendam à nobis ignorantiam, & ut illuminaret ſedentes in tenebris & umbra mortis, ideò debuit in ipſo eſſe luminis ac ſcientiæ plenitudo juxta Joannis dictum cap. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Videatur S.Th. 3. p. q.15. art.3.

XIII. Tritheitarum parens fuit Joannes Grammaticus, cognomento Philoponus, Eutychianus ſectâ, Alexandrinus genere, Ariſtotelicæ Philoſophiæ ſtudioſiſſimus. Is cùm adversùs Catholicos diſputaret, vi & conſequentiâ diſputationis eò tandem abreptus fuit, ut tres in Divinitate naturas, ſicut tres ſubſiſtentias aſſereret. Nam cùm ita ratiocinaretur: Si naturæ duæ ſunt in Chriſto, ſequitur duas eſſe in eodem hypoſtaſes: Et reſponderent Catholici, id non eſſe conſequens, cùm non idem omninò ſit natura, & hypoſtaſis: alioquin fieret, ut tres eſſent in Divinitate naturæ quemadmodum tres in ea hypoſtaſes: hanc conſequentiam ut legitimam Philoponus admiſit, & profitendum eſſe contendit, tres in Sancta Trinitate eſſe naturas ſicut tres ſubſiſtentias. Et hoc juxta Ariſtotelis Philoſophiam, quæ docet, Individua & particulares habe-

habere ſubſtantias & unam communem: ex quo ſequebatur, quòd ſicut Petrus & Paulus, quia ſinguli ſuas particulares habent naturas, ſunt duo homines: ita tres Divinæ Perſonæ ſint tres Dii. Quod licèt Philoponi gregales negarent, ſecum tamen pugnare convicti fuere, ut habetur apud Photium in Bibl. Cod. 24. De Philoponi ſubtilibus nugis agit Nicephorus Lib. 18. Hiſt. cap. 47. Idem Philoponus Reſurrectionem corporum ſcriptis impugnavit. Unde adversùs eum Theodoſius, Conon, Eugenius & Themiſtius Eutychianæ pariter Sectæ homines commoti, acerrimis invectivis aggreſſi fuere, ut ex Photio in Biblioth. Cod. 21. 22. 23.

XIV. Alia ex Eutychiana hydra capita emerſerunt, ut *Contobabditæ* à loco ſic dicti, *Angelitæ*, *Damianitæ*, *Tetraditæ*, *Petritæ* & *Paulitæ*, de quibus Nicephorus Lib. 18. Hiſt. cap. 49.: quorum alii de Chriſto cum Eutychianis, alii de Trinitate cum Tritheitis, vel cum Sabellianis errabant, vel in Deo multiplicantes cum Perſonis naturam, vel unam in Patre Filio & Spiritu Sancto ſubſiſtentiam eſſe dicentes.

CAPUT LXXVII.

De Acæmetis & aliis.

§. I.

Qui fuerint Acæmetæ & in quo erraverint.

I. ACæmetæ Monachi fuerunt ſumma in exiſtimatione Conſtantinopoli habiti, tum ob pietatem, tum ob doctrinam: adeò ut eorum Monaſteria velut quædam munitiſſimæ arces pro Catholica veritate propugnanda, præſertim contra Eutychianam hæreſim, haberentur. Accidit, ut inter iſtos & Monachos Scythas acris exurgeret contentio de hac propoſitione *Unus de Trinitate paſſus eſt carne*. Acæmetæ eam negabant, fortè putantes Eutychiano errori eam favere, & maximè quia Hormiſdas Papa de ea nihil ſtatuere voluerat. Scythæ è converſo pro ea fortiter pugnabant. Ad cauſam finiendam miſſi utrimque fuere ad Joannem II. Romanum Pontificem Legati. Acæmetæ negabant, *Unum de Trinitate incarnatum & carnem paſſum*, & rursùs *Beatam Mariam verè & propriè Dei eſſe Genitricem*. Monachi Scythæ, quibus Juſtinianus Imperator adhærebat, utrumque fatebantur. Legationem ſuis Literis Imperator munivit datis anno Chriſti 533.

II. His

II. His acceptis, & auditâ Legatione Imperatoris, & totius Orientis fidem Joannes Pontifex approbavit, ac Edictum fidei, quod Imperator ante miſſam legationem promulgaverat, commendavit, reſcribens Imperatori: *Serenitatis veſtræ apices per Hypatium atque Demetrium ſanctiſſimos viros, fratres, & Coepiſcopos meos, reverentiâ conſuetâ ſuſcepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis propoſuiſtis Edictum amore fidei pro ſubmovenda hæreticorum intentione, ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum interveniente conſenſu, quod quia Apoſtolicæ doctrinæ convenit, noſtrâ auctoritate confirmamus*. At quia Acæmetæ obſtinato animo perſeverabant in errore, hoc audito Joannes II. eos communione, niſi ad ſaniorem mentem redirent, interdixit, ut ex Epiſt. ad Juſtinianum data 8. Kal. Aprilis anno 534. apparet, his verbis; *Eos minimè in noſtra communione ſuſcepimus, & ab omni Eccleſia Catholica eſſe juſſimus alienos, niſi errore damnato, doctrinam noſtram quantociùs ſequi, habitâ regulari profeſſione ſignaverint*.

III. Eodem anno alteram hac ipſa de cauſa Epiſtolam Joannes II. ſcripſit ad Senatores, in qua teſtatur, tres ſibi ab Imperatore propoſitas quæſtiones. Prima erat, *Utrum unus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit: Hoc eſt, una de tribus Perſonis Sanctæ Trinitatis Perſona?* Altera. *An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate?* Tertia. *An propriè & veraciter Mater Domini noſtri Chriſti Maria ſemper Virgo debeat appellari?* Quas propoſitiones tanquam Catholicæ fidei conſentaneas ſe probaſſe ſcribit, & Sacræ Scripturæ ac Patrum teſtimoniis confirmat. Eoſque de Acæmetarum damnatione certiores faciens: *Acæmetas verò*, inquit, *qui ſe Monachos dicunt, qui Neſtoriani evidenter apparuerunt, Romana damnat Eccleſia; à quibus vos propter Canonem, qui cum excommunicatis Chriſtianum nec loqui nec communicare permittit, diligentiâ paſtorali admonere non deſino, ut eorum etiam ſimplicem allocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis æſtimetis eſſe commune*. Quibus Joannes Acæmetas negantes in Chriſto, Unum ex Trinitate carne paſſum, tanquam Neſtorianos proſcribit.

IV. Difficultas tamen non levis hic exurgit: quomodo Joannas II. hanc propoſitionem *Unus ex Trinitate in carne paſſus*, ad fidei Catholicæ dogma adeò pertinere declaravit, ut Acæmetas eam negantes communione tamquam hæreticos privarit; cùm Hormiſdas ejus in Pontificatu Præceſſor, licèt requiſitus, eandem vel improbaverit, vel ſaltem approbare noluerit? Numquid Apoſtolicæ Sedis judicium varium ac inconſtans dicetur?

V. Hanc controverſiam fusè pertractat & dirimit Cardinalis No-

Noriſius in Hiſt. *de Uno ex Trinitate paſſo*, quem Studioſus adire poterit. Hic tamen breviter me abſolvens dicam cum S. Hilario Lib. 2. de Trinit. num. 3. Veritatem, vel falſitatem propoſitionis non purè ex litera, ſed maximè ex ſenſu & intelligentia proferentis penſandam eſſe: *De intelligentiâ enim hæreſis, non de Scriptura eſt: & ſenſus, non ſermo fit crimen*. Vox *Homouſion*, ut à Paulo Samoſateno uſurpata, & intellecta, ab Antiochenis Catholicis Patribus rejecta fuit, in ſenſu tamen Nicænorum Patrum probata & toti Catholicæ Eccleſiæ ut fidei teſſera poſtea propoſita. Vocem *Chriſtipara* ante Neſtorium fideles abſque ſcrupulo ſuſcipiebant, poſt Neſtorium eam execrari cœperunt. Ita in caſu. Locutio hæc *Unus ex Trinitate paſſus* ſuſpectum præferre ſenſum viſa Hormiſdæ fuit, tum ratione novitatis, tum quia ad ſupplendum defectum Concilii Chalcedonenſis inventa dicebatur, tum & maximè, quia in ea non exprimebatur nomen Perſonæ, nec diſtinctio naturarum: quo fiebat, ut cùm qui eam promovebant fidei ſuſpectæ eſſent, prudens dubium excitarent, an ad tegendum ſuum errorem, præſertim Eutychianum, eam excogitaſsent. Et ideò Hormiſdas, vel eam rejecit, vel potiùs de ea nihil ſtatuere voluit.

At ut à Juſtiniano & Monachis Scythis contra Acæmetas Joanni II. exhibita, cùm exprimeret nomen Perſonæ, Unam ex Trinitate Perſonam paſſam, & quidem ſolâ carne, impaſſibili manente Deitate; adeò apertè Catholicam veritatem, tum contra Eutychetem, tum contra Neſtorium exponebat, ut Acæmetas Monachos eam negantes Joannes II. meritò anathemate tanquam Neſtorio faventes damnaverit. Idem contigit de voce *Homouſion* ut dixi, quæ ante ſuſpecta, poſtea tamen ad Arii errorem proſcribendum & Catholicam fidem aſſerendam adeò propria judicata fuit, ut qui poſt Nicænam Synodum ei ſubſcribere recuſavit, vel Arianus, vel de Arianiſmo valdè ſuſpectus, tanquam negans conſubſtantialem Filium eſſe Patri, ut Catholicus habitus non fuerit.

§. II.

Aliæ Hæreſes ex Damaſceno.

I. Sequentes hæreſes uſque ad Heraclii Imperatoris tempora, refert Damaſcenus Lib. de Hæreſibus, fidem Catholicam inquinaſſe, & ſunt: *Barſanuphitæ, qui & Semidaliani, cùm omnia Gajanitarum ac Theodoſianorum placita defendant, aliquid inſuper invehunt. Similam enim addunt iis, quæ à Dioſcuro olim oblata fuerunt,* extre-

extremoque digito contingentes farinam leviter deguſtant, hocque myſterii loco accipiunt, cùm nullam ipſi prorſus oblationem faciant: verùm, ut dictum eſt, adhibitis Dioſcori ſymbolis, additâque ſimilâ, quâ paulatim inſumantur, id illis in communionis parte cedit (quod ſemel in anno die Paſchatis facere conſueverant). Hos fuiſſe nonnullos ex Acephalis, qui à Petro Moggo defecerant, narrat Leontius. Barſanuphitæ dicti ſunt à Barſanuphio quodam, quem per ſummum nefas ſibi Epiſcopum crearunt.

II. *Hicetæ* (ided *Supplicatores*, proſequitur Damaſcenus) *Monachi ſunt, cæteroquin planè Orthodoxi; id verò proprium factitant; ut unà cum Sanctimonialibus in Monaſteriis cœtus agentes, hymnos Deo cum chorea & tripudiis offerunt, chorum illum imitantes, qui Moyſe duce conflatus eſt, cùm Ægyptii in Mari Rubro ſubmerſi periere*. Hi Euchetas, Miſſalianos, ac Meletianos renovabant.

III. *Gnoſimachi* (ideſt Scientiæ adverſarii) *ſunt, qui omni Chriſtianæ Religionis cognitioni ac ſcientiæ ita adverſantur, ut ſupervacaneum eorum laborem eſſe dicant, qui ex Scripturis Divinis cognitiones aliquas exquirunt; nempè cùm Deus præter bona opera à Chriſtianis nihil aliud exigat. Prætereà itaque ut quis ſimpliciùs incedat, nullumque dogma ad ſcientiam attinens curioſiùs ſcrutetur*. Hoc poſito ſine cognitione ac fide myſteriorum, in quacumque religione quis vivat, dummodò benè operetur, poterit ſalvari. Hanc Sectam apud aliquos ex modernis Hæreticis excitatam, eorum libri qui in dies prodeunt, non obſcurè manifeſtant.

IV. *Heliotropitæ* (ab Helitropio flore vel herba, quæ ad Solem verſa creſcit, nuncupati) *ſunt, qui iis in herbis, quæ Solem ejuſque radios ſequuntur, ineſſe vim quandam Divinam dicunt, quâ ejuſmodi converſiones in illis efficiantur: quamobrem cultum eis adhiberi volunt: nec intelligunt, motum qui in his animadvertitur, naturalem eſſe*.

V. *Thnetopſychitæ* (à Thnetos mortalis, & pſyche ideſt anima) *animam humanam ſimilem animæ pecudum inducunt, eamque ajunt cum corpore perire*. Hunc errorem ab aliis antiquis præſertim ab Arabicis nuncupatis, hauſere, de quibus Euſebius Lib. *6.* Hiſt. cap. 38. qui aſſerebant, animam cum corpore interire, reſurrectionis verò tempore cum corpore denuò excitandam, quos in Synodo confutavit Origenes, & ad ſanitatem reduxit.

VI. *Agonyclitæ* (ideſt genu non flectentes) *ſunt, qui nullo tempore orantes genuflectere volunt ac provolvi, ſed ſemper orant ſtantes*. Iſti profectò Apoſtolum imitari nolebant, qui dicebat Galat. 3. v. 14. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ſed Phariſæum potiùs qui Lucæ 18. v. 11. *Stans apud ſe orabat*.

VII. *Theo-*

VII. *Theocatagnoſtæ, ideſt Dei reprehenſores, qui & blaſphemi; ii ſunt, qui in verbis quibuſdam geſtiſque Domini noſtri Dei, ipſique dicatarum perſonarum ſanctarum, necnon Scripturarum Sacrarum audent inferre crimen, temerarii homines ac maledici.* Non ſoli tamen fuerunt; nam alii ante iſtos in Deum & Scripturas maledici fuerunt, ut ex dictis apparet, nec fortè noſtris temporibus ex Heterodoxis deſunt.

VIII. *Chriſtolytæ, ſeu Chriſtum ſolventes, ſunt qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ajunt, poſteaquam ſurrexit à mortuis, relicto in terra animato corpore, nudâ ſolâque Deitate ad Cœlos aſcendiſſe.* In hoc errore nedum aliqui ex Veteribus fuere, ut Apellitæ, Eutychiani & alii, ſed aliqui etiam ex modernis Novatoribus verſantur, contra quos ſupra Tom.4. p.2. cap.30. §.2. & 3.

IX. *Ethnophrones, qui cùm Gentium inſtituta ac mores ſequantur, cæteroqui Chriſtiani exiſtunt. Hi geneſim inducunt, fortunamque & fatum, omnem Aſtronomiam, Aſtrologiamque ſuſcipiunt; omnem etiam divinationem & auguria: auſpiciis attendunt, expiamentis, ominibus, veneficiis, & ſimilibus aliis impiorum fabulis, ac ſi quid Gentilium moribus inolevit. Quin & Gentilium feſta aliqua venerationi habent, dieſque rursùs & menſes obſervant, & tempora & annos.* Ita iſti & Chriſtiani & Gentiles ſimul eſſe volebant, non attendentes ad dictum Pauli 2. Cor. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum Idolis?*

X. *Donatiſtæ à Donato quodam in Africa ortum habuerunt: Is tradebat illis os quoddam, quod manutenentes priùs oſcularentur, quàm ſacrorum myſteriorum & donorum participes eſſent, quotieſcumque illa offerenda forent.* An hi Donatiſtæ, de quibus hìc Damaſcenus, fuerint iidem, de quibus egi ſupra, valdè dubito. Tum quia illi IV. ſeculo eruperunt, iſtos Hæreticis VI. ſeculi Damaſcenus adjungit. Tum quia Donatiſtarum auctor Donatus os Martyris oſculandum ante Euchariſtiam tradidiſſe non legitur, ſed hoc ſola Lucilla factitavit; quæ cum à Cæcilio Diacono, poſteà Carthaginenſi Epiſcopo, idcircò reprehenſa eſſet, Donati ſchiſma adversùs eum fovit. Sed quidquid ſit, Donatiſtas iſtos veterum Donatiſtarum ſobolem fuiſſe dici poterit.

XI. *Ethicoproſcoptæ* (ideſt in Ethica offendentes) *ſunt, qui circa mores, ſeu rerum agendarum ſcientiam errant, ac moralia quædam laude digna criminantur, quædam verò digna vituperio, ſectantur ut bona.* Ignorantes Iſaiam cap. 5. v. 20. ſibi commi-

nari: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

XII. *Parermeneutæ* (ideſt pravè interpretantes) *ſunt qui nonnulla Divinarum Scripturarum tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti capita perperam interpretantur, in quo ſuum ſcopum detorquent: ita affecti, ut pleraſque accuratas, ac quibus nihil inſit quod quis jure criminetur, interpretationes contentionis ſtudio rejiciant præ nimia quadam imperitia, judiciique deficientia: quare nec intelligunt hâc ratione nonnulla ſe hæreticorum dogmata confirmare.* Tales ſunt omnes & præſertim noſtri temporis Hæretici, qui Sacras Scripturas privato, quem ſibi fingunt, ſpiritu contra Eccleſiæ ſenſum interpretando, eas ad ſuos errores tuendos vel repugnantes trahunt.

XIII. *Lampetiani ſic appellati à Lampetio quodam. Hi volentibus in ſocietate & cœnobiis vitam agere, quod cuique libitum fuerit probaveritque colere concedunt, quemque arriſerit habitum induere. Neque enim deceat, inquiunt, ut Chriſtianus vi quidquam facere cogatur, quando ſcriptum eſt Pſal. 53. v. 8.,,* Voluntariè ſacrificabo tibi ,, *& rurſum quia ,,* ex voluntate mea confitebor illi ,, Pſal.26. v. 8. *Quinimmò nonnulli aſſerunt, eos permittere naturalibus affectionibus indulgeri, nec velle eis repugnari, tanquam natura hoc exigat. Feruntur quædam alia ſentire, quæ affinia ſunt placitis eorum, qui dicuntur Aeriani.* Ab his didicere Wicleffus, aliique Recentiores libertini, qui omnia ferè præcepta titulo Reformationis à ſuis cœtibus ſuſtulere, ac præcipuè vota aſpernantur & condemnant, tanquam libertatem lædentia & coactionem quandam inferentia.

XIV. Præfatas hæreſes ex Damaſceno expoſui, quas ille tanquam ſeculo ſexto exortas recenſet, quamquam in ſua radice antiquiores, & in ramis ac ſurculis poſteriores tempore videantur. Ne verò, mi Lector, terrearis videns poſt idololatriam deſtructam tot hæreſibus veritatem Chriſtianæ Religionis quaſi diſcerptam, ubi Pagani in ſuis erroribus concordiam jactare poterant, audias S. Auguſt. Serm. de Utilitate Jejunii cap.8. ita ad eos loquentem: *Non præferant nobis quaſi concordiam ſuam, non ſibi tanquam de unitate ſua placeant. Hoſtem quippè quem patimur, illi non patiuntur: illos & non iſta agentes ipſe poſſidet. Videt eos adoratores falſorum Deorum, videt eos ſervos, & ſervos Dæmoniorum: quid illi lucri eſt, quia litigant? aut quid damni eſt quia non litigant? Et unum quamvis falſum & vanum ſentientes, ſibique conſentientes, ſic eos poſſidet. At verò cùm dedereretur, & multi ad unum Deum concurrerent, ejus ſacrilega Sacramenta deſererent, Templa everterent, Idola frangerent, Sacrificia prohiberent, vidit ſe perdidiſſe quos tenebat, vidit, à ſua familia receſſiſſe, verum Deum cognoviſſe: quid face-*

Digitized by Google

faceret? quomodo inſidiaretur? Concordes nos ſcit, quod poſſidere non poſſit, unum Deum nobis dividere non poteſt, falſos Deos nobis ſupponere non poteſt; ſentit eſſe vitam noſtram caritatem, mortem noſtram diſſenſionem: lites immiſit inter Chriſtianos, quia multos Deos non potuit fabricare Chriſtianis; ſectas multiplicavit, errores ſeminavit, hæreſes inſtituit. Hæc aliaque S. Auguſtinus, qui ſubindè Catholicos animat, ne terreantur; ſed hortatur ut omnibus modis curent, ad unitatem à quâ receſſerunt Hæreticos revocare.

XV. Aliam rationem, cur hæreſes debeant eſſe addit Paulus 1. Cor. 11. v. 19. nimirùm: *Oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*. Unde idem Auguſt. in Pſal. 106. *Cùm enim*, inquit, *reſpondetur hæreticis ex neceſſitate, ædificantur Catholici ex utilitate*. Hoc igitur roborati præſidio, ad ulteriores hæreſes profligandas procedamus.

CAPUT LXXVIII.

De Monothelitis.

§. I.

Hæreſis ortus & Heraclii Ecteſis.

I. PLures eæque atrociores ac pervicaciores hæreſes fuerunt, quæ Incarnationis myſterium in Chriſto peractum aggredi conatæ ſunt, ut verè dixerit prophetans Simeon Lucæ 2. v. 34. quòd poſitus fuit *in ruinam & in reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur*. Miſſis ergo antiquioribus ut Cerintho, Ebione, & aliis Chriſtum purum hominem aſſerentibus, vel ei carnem ſolùm phantaſticam tribuentibus, & proindè veritatem Incarnationis apertè negantibus, ut Manichæis & aliis; tres Sectæ fuerunt, quæ, ut ſupra dixi, licèt unionem Verbi cum humanitate abſolutè non negarent, eam tamen perditis erroribus involvebant. Apollinaris enim non poſuit animam rationalem in Chriſto, ſed quòd Verbum eſſet loco animæ, vel etiam loco intellectus. Neſtorius, qui poſuit Verbum eſſe unitum homini Chriſto ſolùm ſecundùm affectum, in eo poſuit unam ſolam naturam, & voluntatem, nempè humanam. Eutyches, & omnes qui poſt unionem unam tantùm naturam, vel naturarum factam confuſionem, poſuerunt, conſequenter unam tantùm in Chriſto voluntatem agnoſcebant, vel humanam, ut Neſtorius, vel Divinam, ut Apollinaris, & Eutyches. Ita obſervat S. Thomas 3. p. q. 18. art. 1.

II. His ſucceſſerunt alii, qui prætextu præfatas hæreſes declinandi vel emolliendi, aliam novam ſeu veriùs præfatarum appendicem excogitarunt, quâ ponebant quidem poſt unionem duas naturas in Chriſto ſecundùm hypoſtaſim unitas, ſed unam tantùm voluntatem, & operationem: quia opinabantur, quòd humana natura in Chriſto numquam moveretur proprio motu, ſed ſolùm ſecundùm quod erat mota à Divinitate. Ideòque hujus erroris aſſertores *Monothelitæ* nuncupati ſunt à verbo græco *Monos*, ideſt *unus*, & *thelema*, ideſt *voluntas*, quaſi unius voluntatis profeſſores, quo omnes præfatas hæreſes tacitè approbabant: qui enim unam tantùm voluntatem & operationem admittit, unam tantùm naturam fateatur neceſſe eſt.

III. Huic hæreſi initium, & robur, vel nolens, vel neſciens, dedit Heraclius Imperator ob debellatos Perſas celebris, ob recuperatum ac ſuis humeris deportatum Sanctiſſimæ Crucis lignum pius, ob Severianos, Neſtorianos, & Eutychianos compreſſos zelo fidei præclarus. Sed quia ſicut de Imperii, ita & de religionis cauſis nimio curioſitatis ſtudio diſponere voluit, nominis ſui claritatem offuſcavit. Res autem ita contigit. Cùm Heraclius Hierapoli eſſet, Athanaſius Patriarcha Jacobitarum hæreticorum, vir quidem acris, ſed nequam ingenii ad eum acceſſit. Heraclius non advertens ad Joannis monitum Epiſt. 2. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis*: bonâ quidem intentione, ſed imprudenti conſilio, hominem hæreticum ad colloquium admiſit. Qui cùm coram eo cœpiſſet de fide habere ſermonem, promiſit ei Heraclius Patriarchatum Antiochenum, ſi Chalcedonenſem Synodum vellet ſuſcipere.

IV. Conſiderans igitur impius Athanaſius, ſi Patriarcha fieret Antiochenus, omnibus ſe Eccleſiis Orientalibus dominaturum, nihil cunctatus fidei Catholicæ in Synodo Chalcedonenſi ſtatutæ ſimulavit ſe aſſertorem, ſed vaferrimè duas confeſſus in Chriſto naturas, verbis doloſis unicam tantùm in Chriſto voluntatem Imperatori inſinuavit: effecitque, ut idem Imperator, conſultis Cyro Phaſidis Lazorum Metropolitano, necnon Sergio Conſtantinopolitano eâdem fuligine tinctis, & utroque ejuſdem cum Athanaſio ſententiæ reperto, ipſe quoquè eiſdem ſuum aſſenſum præbuerit. Sic Heraclius, dum putat Athanaſium ad fidem ſe poſſe perducere, ipſius captivus inventus eſt triplici trium Patriarcharum funiculo vinctus, nempè Athanaſii jam Antiocheni facti, Cyri ad Eccleſiam Alexandrinam translati, & Sergii Conſtantinopolitani, qui & ipſe parentibus Jacobitis natus, licèt in hanc diem Catholicum

Digitized by Google

licum ſe exhibuiſſet, ubi tamen Imperatorem vidit ancipitem, in ejus ruinam operatus eſt. Quare factum eſt, ut Heraclius ab iſtis præceptoribus Monothelitarum hæreſim nimiâ credulitate ebiberit, quæ anno 629. patefacta miſerrimè poſteà Eccleſiam Dei vexavit.

V. Cùm hoc Eutychianorum Turbæ variis ſub nominibus per Orientem diffuſæ innotuiſſet, Divinum quoddam inventum ad omnes conciliandos exiſtimatum fuit. Dum enim unica tantùm in Chriſto affirmaretur eſſe voluntas, ſperabant, hoc pulchro velamine errorem ſuum de una in Chriſto natura confirmatum iri, & fore, ut cùm ſub Monothelitarum nomine ſe Concilii Chalcedonenſis defenſores, & hæreſum Neſtorii & Eutychetis, aliarumque everſores profiterentur, ſub ementito Catholici nomine ſe ſe tegerent. Quod eis pro voto contigit. Nam toto fermè tempore, quo tum Sergius, tum Heraclius vixere, inter ſuos Catholico nomine perſeverarunt, nec per annos plurimos ejuſmodi vafrities fuit detecta. Hactenus ex Baronio ad ann. 629. & Spondani Epitome.

VI. Refert tamen Natalis Alexandre in Hiſt. Sec. 7. cap. 2. §. 2. Cyrum Alexandrinum acceptis Imperatoriis literis primùm hæſitaſſe motum his S. Leonis verbis: *Operatur utraque forma cum alterius communione, quod ſuum eſt*. Ideòque ſuſpendiſſe aſſenſum: ſed Sergii ſuggeſtione, ſcrupulo omni excuſſo, errorem ſuſcepiſſe. Quin in Conciliabulo quodam Alexandriæ congregato anno 633. ſpecie unionis Acephalorum novem edidiſſe Capitula, quorum ſeptimo aſſeruit: *Eumdem unum Chriſtum & Filium operari Deo decibilia & humana, unâ Dei virili operatione, ſecundùm S. Dionyſium*. Perfidè tamen textum S. Dionyſii interpolavit, dum pro *novâ Dei virili operatione*, ſubſtituit, *unam*, quam fraudem alii Monothelitæ ſecuti ſunt. De Synodo celebrata Sergium per Epiſtolam, cui novem illa Capitula inſeruit, certiorem fecit. Ei gratulatoriis literis reſcripſit Sergius Synodo Lateranenſi Secretario III. inſertis, quibus novem ejus Capitula approbavit, & ſummis laudibus proſecutus eſt, aſſeruitque: *Eundem unum Chriſtum operari Dei decibilia & humana unâ operatione: quia omnis Divina & humana operatio ex uno eodemque incarnato Verbo procedebat*. In quo errabant. Nam unicum quidem erat in Chriſto principium quod operabatur, nempè perſona Verbi, ſed cùm hæc in duplici natura Divina & humana ſubſiſteret, non unâ ſed duplici operatione operabatur, quæ nempè Deitatis erant Divinâ, quæ verò humanitatis, humanâ. Sed de hoc infra.

§. II.

§. II.

Quid egerit Honorius.

I. VEnenum, quod in ſeptimo Capitulo præfatæ Synodi Cyrus latenter propinabat (quod ſub nomine *Termini Conciliatorii* fraudolenter proponebatur) detexit Sophronius Monachus, & mox Jeroſolymorum Patriarcha, qui propterea ejus abrogationem efflagitavit, nedum ſcripto, ſed & voce, Conſtantinopolim Alexandriâ ad Sergium profectus: fruſtra tamen, Sergio obſtinatè aſſerente in ſui erroris tegumentum, Eccleſiarum paci expedire, ut ſub nomine operationis *Dei decibilis* fides Catholica exprimeretur, & pro eo tempore de una vel duabus in Chriſto operationibus ſermo non haberetur. Quin ut Honorium tunc Romanum Pontificem præoccuparet, literas ad eum Sergius dedit, cùm ad ipſum quoquè ſcripſiſſet Sophronius. Sergii literæ extant Act. 12. Sextæ Synodi. In his enarrato præſentis controverſiæ ſtatu, & artificiosè expoſitâ Eccleſiæ perturbatione, ſi de una vel duabus in Chriſto operationibus cauſa tunc ageretur, præmiſsâ vaferrimè proteſtatione, ſe duas in Chriſto naturas juxta Concilii Chalcedonenſis, & S. Leonis decreta confiteri: teſtatus inſuper, ſuam erga ipſum ac Romanam Sedem ejuſque decreta obedientiam, quâ paratum ſe exhibet mutare, addere, vel minuere, aut emendare, his ſenſum ſuum aperit: *Quod non oporteat de hujuſmodi inquiſitione perſcrutari, ſed permanere in attrita Patrum doctrina, quam omnes conſonanter confitentur de hujuſmodi quæſtione, & confiteri, Unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus ſimul & homo eſt, eumdem operari divina & humana; & ex uno eodemque incarnato Deo noſtro . . . inſeparabiliter, atque indiviſè omnem Divinam & humanam operationem procedere. Hoc namque nos Leo inſtituit, manifeſtè perhibens; agit enim utraque forma cum alterius communione, quod proprium habet.* Ita Sergius ad Honorium.

II. Notandum hic cum Baronio ad annum 633. num. 2. Quòd „ cùm Sergius ad Honorium, & Honorius ad Sergium ſcriberet, „ nec levis quidem ſuſpicio erat de Sergio, quòd hæreticus eſſet, „ qui in hanc uſque diem ſumma cum laude abſque levi ſuſpicione erroris Sedem illam piè uti Catholicus ſanctèque rexerat, „ qui & in ſuis literis ſpeciem reddere videretur Columbæ illius „ quæ poſt diluvium ſignum pacis ore geſtavit, dum tot in Ægypto conciliatos junctoſque Catholicæ Eccleſiæ populos hæreticos ſignificaret. Iſta quidem nuntianti Catholico homini (ita

enim

„ enim Sergius ubique terrarum ab omnibus habebatur) par erat, „ Honorium cùm eidem reſcriberet, adgratulari (congaudet „ enim caritas veritati) cum ea quæ afferret, & profeſſione „ Chalcedonenſis Concilii, & aſſertione Epiſtolæ S. Leonis Papæ „ pluſquam ſatìs perſpicuo lumine clarere viderentur, omnique „ ſuſpicionis nebula expertia eſſe „.

III. His præmonitum volo Lectorem, ne ex reſponſo Honorii ad Sergium, quod ſubjiciam, offendatur, quaſi Honorius errorem Monothelitarum de una tantùm in Chriſto voluntate & operatione approbaverit, eique ſubſcripſerit. Honorius ergo de mala Sergii fide nondum conſcius, audiens ab illo ſibi proponi ſilentium de una vel duplici operatione à Sergio, qui & Concilii Chalcedonenſis, & S. Leonis decreta ſe amplecti profitebatur: & in circumſtantiis, in quibus duplicis operationis confeſſio videbatur favere Neſtorianis, quaſi in Chriſto admitteretur duplex perſona, aut etiam contrarietas voluntatem: unius autem operationis expreſſio poterat ab Eutychianis in ſui erroris patrocinium trahi; prudens conſilium exiſtimavit, pro eo tempore utriuſque confeſſionem ſuſpendere, ſervatâ interim fidei Catholicæ veritate. Poſtquam enim dixit, quòd ſicut in nobis qui ſumus membra ejus, multiformiter operatur, *quantò magis per ſemetipſum mediatorem Dei & hominum plenè ac perfectè multiſque modis & ineffabilibus confiteri nos communione utriuſque naturæ condecet operatum?* Deindè ſubdit: *Et nos quidem ſecundùm ſanctiones Divinorum eloquiorum oportet ſapere, vel ſperare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noſcuntur Sanctis Dei Eccleſiis ſcandala generare, ne aut duarum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtorianos nos veſana ſapere arbitrentur: aut certè ſi rurſùs unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fatendam eſſe cenſuerunt, ſtultam Eutychianiſtarum attonitis auribus dementiam fateri putemur; præcaventes, ne quorum inania arma combuſta ſunt, eorum cineres & redivivos ignes flammivorarum denuò renovent quæſtionum* &c.

IV. Honorius itaque plures in Chriſto operationes non negat, ſed à voce unius vel duarum abſtinendum eſſe cenſet, ne unam fatentes, Eutychianam, duas verò, Neſtorianam, hæreſes tunc non adhuc extinctas, excitare; & inſuper duæ contrariæ voluntates, ut aliqui inferebant, in Chriſto ponere viderentur. Non igitur (ſi tempus attendatur) reprehendi poteſt Honorius, ſed eo nomine laudari potiùs debet, inquit Baronius, utpotè qui ſatìs ſuperque fidei Catholicæ videri poterat, ſi in Chriſto quis confiteretur duas naturas indiviſè, inconfuſè, & inconvertibiliter junctas, & unum pariter operatorem Divinitatis & humanitatis Chriſtum

ſtum Jeſum: eo enim ipſo ſequebatur, eum duplici operatione operatum, quia ſecundùm duplicem naturam, reticendo novas voces, ex quibus ſcandala & diſſidia ſuboritura prævidebantur, ſicut anteactis temporibus ex vocibus Homouſion & Homiuſion, ut ſuo loco dictum fuit, orta fuere.

V. At quia non defuerunt, nec adhuc deſunt qui Honorium Monothelismi accuſent, & propterea in Synodo VI. Œcumenica fuiſſe cum Monothelitis anathemate damnatum. Alii verò mitiùs agentes eum muneri Apoſtolico defuiſſe nimiâ indulgentiâ erga Sergium, & alios ſe gerendo. Præterea quæ dixi ſupra, videre poteſt Lector rem hanc à me diſcuſſam, tum in Vera Eccleſia Tom. 1. cap. 11. §. 2. num. 12., tum in Theologia Tomo 1. Qu. 3. de Locis Theol. Dub. 5. §. 5. à num. 32. Quòd ſi in hoc culpabilis ab aliquibus indicatus fuit Honorius, ex Monothelitarum & præcipuè Sergii culpa proceſſit, qui ejus indulgentiâ ad ſuum pravum finem abutentes, eum tanquam ſui erroris fautorem evulgarunt.

VI. Interea cùm Sophronius Patriarcha Jeroſolymitanus vir Catholicæ fidei ſtrenuus propugnator in Synodo ad hoc coactâ eos; qui duas operationes in Chriſto expreſsè non profiterentur, tanquam Monothelitas anathemate damnaſſet, & de hoc Epiſtolam Synodicam dediſſet, hâc vulgatâ puduit Heraclium ſe palàm hæreſeos accuſari: nolens verò propria retractare, nec alioquin probrum ferens, Edictum promulgavit (quod *Ecthesis* ideſt *Expoſitio fidei*, appellatum eſt) quo cavebat, ne quis unam aut duas confiteretur in Chriſto operationes, aut voluntates, aliàs ſequeretur poni in eo duas voluntates contrariè ad invicem venientes: & concludit: *Unde Sanctos Patres in omnibus, & in hoc ſequentes unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti veriſſimi Dei confitemur, utpotè in nullo tempore animati intellectualiter ejus corporis ſeparatim, & ex proprio impetu naturalem ejus producere motionem, ſed quando & qualem, & quantam ipſe Deus Verbum voluerat.* Quibus ultimis verbis videtur in Chriſto ponere unam voluntatem unitate conſenſionis, quæ non vellet nec ageret, niſi quando quid & quantum Deus vellet. Quod certè non eſſet negare in Chriſto prorsùs voluntatem humanam, ſed talem ſolùm ſtatuere, quæ non vellet, nec ageret niſi quando, qualia, & quanta Deus Verbum vellet. Quòd ſi ita ſenſiſſet Heraclius à Catholico ſenſu non adeò diſceſſiſſet: ſed verba antecedentia nimìs involuta à ſuſpicione erroris ipſum non liberant. Ectheſis hujus exemplum habetur in Secretario III. Concilii Lateranenſis.

VII. Quamvis autem ſub nomine Heraclii prodierit, Ectheſis tamen auctor fuit Sergius, qui ut ei majorem auctoritatem conciliaret

liaret, Imperatoris tribuit nomen. Id teſtatur Martinus Papa in Synodo Lateranenſi Secretario III. his verbis: *Novæ Ecteſeos audiamus commentum memorati Sergii, quam Ecteſim ſuaſit in tempore, ſuo nomine Heraclium quondam Imperatorem titulare*. Edita fuit Ecteſis hæc anno Chriſti 639., quam Sergius in ſuo Conciliabulo Conſtantinopolitano ſub anathemate ſuſcipiendam ſanxit. Cùm tamen infamiâ hæreſis notaretur, eam ſuam eſſe poſtmodum negavit Heraclius, datâ ad Joannem IV. Romanum Pontificem Epiſtolâ, cujus verba refert S. Maximus in Collatione cum Principibus.

§. III.

De Theodoro Rom. Pont., Pyrrho & Paulo Conſtantinop. Patriarchis, & Typo Conſtantis.

I. Quinquennio, quo ſuperſtes fuit Honorius, ſub unius vel duarum voluntatum œconomico ſilentio Monotheliticus anguis delituit; ſed eo defuncto in apertum erupit, ac Sergio unà cum Cyro promoventibus, venenum per Orientem effundere cœpit; eòque temeritas progreſſa fuit, ut ſuadentibus hæreticis, ad Severinum, qui Honorio in Pontificatu ſucceſſerat, per Iſacium Exarchum Ecteſim ſuam miſerit Heraclius, ut eam auctoritate ſuâ approbaret. Conſtanter reſtitit Severinus, ac ut famæ prædeceſſoris ſui, quem hæretici ſuæ cauſæ patrocinatum fuiſſe calumniabantur, veritatique conſuleret, ſubſcribere recuſavit. Quo Iſacius indignatus Romanæ Urbis, nec Sacris Baſilicis parcens, ſtragem ac direptionem molitus eſt. Severinus tamen Monothelitarum hæreſim proſcribere veritus non fuit, ſed tot malis afflictus primo ſui Pontificatus anno è vita deceſſit. Nec impio Iſacio Divina defuit ultio, nam eodem anno Ravennæ occiſus fuit; ac paulò poſt Heraclius ipſe revocatâ quidem Ecteſi, non tamen veræ fidei profeſſione expreſsâ, vitam cum morte commutavit.

II. Intereà dum hæc moliretur, Severino adhuc vivente juſto Dei judicio fato ceſſerat Sergius anno 639.; hæreſis tamen non ceſſit. In ejus Sedem Conſtantinopolitanam evectus eſt Pyrrhus eâdem & ipſe hæreſi infectus. Mortuo Heraclio, Conſtantinus filius Imperium aſſumſit, ſed cùm Martinæ Novercæ inſidiis poſt quatuor imperii menſes è vivis ſublatus eſſet, eique Conſtans alter filius ſuffectus eſſet, populus id graviter tulit, ac in Pyrrhum tamquam conſpirationis complicem commotus, in Sacrarium irrupit. Pyrrhus pejora metuens noctu Templum ingreſſus, omnia ſacra

exoſculatus, ac detracto pallio & in ſacra menſa depoſito: *Non Sacerdotio*, inquit, *me abdico*, *ſed contumaci populo abrenuncio*. Ita S. Nicephorus in Chronographia; indè navigans Chalcedonem poſteà trajecit in Africam anno Chriſti 642. In Pyrrhi locum Paulus, & ipſe Monothelita, à Conſtante intruſus fuit. Is ut Sedem, quam ſe canonicè non adeptum ſciebat, ſibi firmaret, ſtatim poſt inaugurationem ſuam Epiſtolam ad Theodorum tunc Romanum Pontificem dedit, quâ fidem Catholicam ita ſimulavit, ut Pontifex non quidem laudaverit, ſed cum eo graviter conqueſtus fuerit, quòd Pyrrho canonicè non depoſito Sedem occupaſſet.

Verùm fraus quâ ſe Orthodoxum Paulus ſimulabat diù latere non potuit, cùm enim Monothelitis conniveret, in ſuſpicionem hæreſis adductus eſt. Quare à Theodori Papæ Apocryſariis compulſus fidei profeſſionem ad illum dirigere, ſuamque de Chriſti voluntate proferre ſententiam, alterâ Epiſtolâ ad Summum Pontificem ſcriptâ, quam diù diſſimulaverat, prodidit hæreſim, unam in Chriſto voluntatem disertè aſſerens, ſpecie excludendæ in Chriſto voluntatum contrarietatis. Extat hæc Epiſtola in Conc. Lateranenſi ſub Martino I. Secretario IV.; ſcripta autem fuit anno Chriſti 646.

III. Anno præcedente ſcilicet 645. Pyrrhus qui extorris in Africam ſe receperat, regionem illam hæreſis Monotheliticæ ac ſuæ contagio inficere conabatur. Sed ipſi acerrimè obſtitit Sanctiſſimus Abbas re & nomine Maximus, qui præſentibus Africanis Epiſcopis & Gregorio Patricio Præfecto Prætorio Africæ diſputationem cum Pyrrho habuit (quem legere Studioſus poterit apud Baronium in Appendice Tomi 8. Annal.) Unde eâ victus Pyrrhus faſſus ſit ſe ac Deceſſores ſuos ignorantiâ lapſos eſſe, & prava dogmata ſe anathemate damnaturum ſpoponderit: Quod ut præſtaret, Romam cum S. Maximo ſe contulit, ubi Theodori Papæ pedibus advolutus errorem abjuratione deteſtatus eſt. Ita diſputationem ſuam S. Maximus concludit: *In hac ergo celeberrima Urbe Roma cùm adeſſet nobiſcum* (Pyrrhus) *promiſſum præſtitit, damnavitque dogmata impiæ expoſitionis, ſeque per rectam profeſſionem cum Sancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia conjunxit*. Sed à vera, vel ficta fide quam dederat Pyrrhus citò deſcivit: audiens enim hoc facto Orientales & Imperatorem ipſum adversùm ſe commotos ſuumque nomen tanquam Deo ac Cæſari rebellis ad fores Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ probroſè affixum, vix Ravennam pervenerat, cùm ut refert Theophanes in Annal., Pyrrhus *Cùm Romá diſceſſiſſet & Ravennam perveniſſet, ut canis ad vomitum ſuum reverſus eſt*. Sicque ei patrocinante Exarcho Conſtantinopolim rediens honori-

norificè à Cæſare, & à populo acclamante ſuſceptus eſt. E' contrà verò à Theodoro Pontifice publicè anathemate damnatus.

IV. Nunc ad Paulum redeundo, is Monotheliſmo & Conſtantinopolitanæ Sedi incubans, ab Africanis Epiſcopis, & à Theodoro Papa admonitus, ut ejuraret errorem, alioquin ſe anathemate feriendum & exauctorandum certò ſciret, ad dolum ſe convertit. Auctor fuit Conſtanti, ut Edictum ferret, quo ſilentium indiceretur, unius vel duarum in Chriſto voluntatum, & chartas Monotheliſmo faventes præ foribus Eccleſiæ Majoris affixas dilacerari præciperet. Vix ergo hoc Edictum vulgò *Typus* dictum Orbi Catholico innotuit, cùm adversùs ipſum nedum Theodorus Pontifex Romanus, qui illud reprobavit, ſed & omnes Eccleſiæ præſertim Occidentales exarſerunt. In Typo non aſſerebatur quidem error de una in Chriſto voluntate, ſed de una vel duabus ſilentium præſcribebatur. Promulgatus fuit anno Chriſti 648. Exponebat primò Controverſiæ recentis ſtatum & diſſenſionum, quas ſe immaculatæ fidei zelo compeſcere velle Conſtans ſimulabat; & deindè tanquam medium extinguendæ diſſenſionis utrique parti ſilentium proponebat: ſatìs eſſe ad fidem dicens ut ea quæ Scripturæ, traditio Patrum & Concilia anteriora ſtatuerunt crederetur, nihil addendo quod novitate vocum excitet diſſenſiones. Extat Typus iſte in Secretario IV. Concil. Lateran. ſub Martino I.

V. Ne tamen quis opponat, quòd cum Typus idem medium præſcriberet ſilentii, quod jam Honorius præſcripſerat, vel culpandus erit Honorius primus ſilentii auctor, vel culpandi non erunt Heraclius & Conſtans ejus exemplum in ſuis Edictis imitati: Noverit, prudentem quidem fuiſſe ſilentii indictionem initio controverſiæ ab Honorio factam: tum quia non omnibus quæſtionibus ab humana curioſitate excitatis neceſſe eſt, ut judicium ſuum Eccleſia de novo interponat, cùm ſatìs ſit credere id tantùm quod ab Eccleſia ſtatutum eſt. Cùmque in Conciliis Epheſino & Chalcedonenſi jam fuiſſet ſtatutum, unam eſſe perſonam in Chriſto in duabus naturis inconfusè operantem, implicitè ſequebatur unamquamque naturam operari ſecundùm ſibi propria, & proindè ſecundùm propriam operationem. Tum quia ex literis Sergii & Cyri licèt ſubdolis, hoc ſilentio litem finiendam exiſtimare poterat: *Satis namque* (ait Baronius ad ann. 648. num. 8.) *ad ſobrietatem ſapere erat de duabus naturis aſſerere, quæ à Sacroſancto Concilio Chalcedonenſi fuerant definita*.

At poſteaquam ſilentium ab hæreticis violatum fuit, & publicè aſſerta hæreſis in Conciliabulis Alexandriæ & Conſtantinopoli habitis, & affixæ ad Eccleſiæ fores ſchedæ eam proponentes;

culpabile evaſit ſilentium, ac proindè os ab Eccleſia aperiendum fuit ad veritatis prædicationem, & damnationem erroris. In hoc rerum ſtatu Eccleſia erat, cum Typus prodiit, cui accedebant involucra verborum fallaces ſenſus continentium, quibus Typus ſcatebat, quæ pandit S. Martinus in Epiſt. Synodali ex Conc. Lateranenſi ſcripta, ubi inter cætera: *Definientes*, inquit, *in eodem Typo nec unam nec duas voluntates aut operationes, hoc eſt, neque Divinam, neque humanam voluntatem & operationem in ipſo Salvatore noſtro quempiam omninò confiteri. Hæc autem prædicaverunt, ut non ſolùm in humana ejus natura, ſed etiam in utraque omninò eum ſinè voluntate & operatione, hoc eſt abſque natura & eſſentia eſſe denuntient.* Quibus apparet, Paulum Typi confictorem omnem à Chriſto auferre voluntatem in animo habuiſſe, ut obſervat Martinus I. in Conc. Lateran. Secret. I.

VI. His & aliis permotus Theodorus Romanus Pontifex in Synodo Romæ congregata & Typum reprobavit, & contra Paulum ejus auctorem ſæpiùs literis & per Apocriſiarios monitum ut emendaret errorem, ſed in ſuo errore magis pertinacem, tandem ſententiam depoſitionis pronuntiavit. Hujus facti cæteroquin æquiſſimi, nimirùm reprobationis Typi, depoſitionis Pauli, & Pyrrhi fœdifragi anathemate perculſi notitia cùm Conſtantinopolim perveniſſet, Conſtantis animo contra Romanum Pontificem jam ardenti novum pabulum adjecit, eumque ad atroces minas contra ipſum omneſque Catholicos provocavit. Exemplo Principis animati Secretarii Palatium Placidiæ, in quo Pontificii Miniſtri de more reſidebant, tumultuariè aggreſſi poſt varios barbaros inſultus vix ſalvandæ vitæ locum eis permiſerunt. Hæc & alia hujuſmodi flagitia Paulo incentori tribuens Martinus I. ſupra citatus: *Qua de re*, inquit, *hujuſmodi pravitatem ſuam defendens, quod numquam nec à prioribus hæreticis præſumtum eſt, ipſe illicitè præſumere ſtuduit. Altare enim Sanctæ noſtræ Sedis in domo Placidiæ ſacratum in venerabili oraculo ſubvertens diripuit: prohibens ne adorandam & immaculatam hoſtiam, id eſt Sacram celebrationem Apocriſiarii noſtri ibidem Deo offerre valeant, & vivificæ Divinæ communionis Sacramenta percipiant. Quos videlicet Apocriſiarios, qui ex præceptione Apoſtolicæ auctoritatis commonuerunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet, necnon conteſtari viſi ſunt, perſecutionibus diverſis cum aliis Orthodoxis viris & venerabilibus Sacerdotibus inſecutus eſt eos: quoſdam eorum cuſtodiæ retrudens, alios in exilio deportans, alios autem verberibus ſubmittens.*

VII. Præludia hæc erant perſecutionis, quæ à Conſtantis & Pauli furore in Theodorum ipſum Romanum Pontificem parabatur,

tur, à qua tamen, & fortè à gloria martyrii, paucos poſt menſes ſecuta mors eum eripuit anno 649. Utraque autem eodem anno in Martinum I. ejus ſucceſſorem translata fuit. Martinus ergo vir animo intrepidus, & Catholicæ veritatis adversùs Monothelitas propugnator acerrimus, quippè qui propriis oculis illatarum ab ipſis perſecutionum ſpectator fuerat, dum Theodori prædeceſſoris Conſtantinopoli miniſter eſſet, vix ad Petri Sedem evectus de Synodo Romæ hac de re habenda cogitavit. Videns autem contra ſe ſtare Conſtantis & Orientalium Epiſcoporum proterviam, ut maturiùs procederet celebriores ex Italia Epiſcopos numero 105. quibus S. Maximum Abbatem adjunxit, Synodo intereſſe voluit, quam in Secretario Lateranenſis Palatii peregit, quinque actionibus (Secretariis dictis) abſolutam, de qua non ſemel ſuperiùs memini. Conſtantis blanditias quibus eum adhortabatur, ut Typo ſubſcriberet, infracto animo ſpernens, Monothelitarum hæreſi extirpandæ manum omnem admovit, ac in Synodo illam ejuſque Auctores, necnon Ectheſim Heraclii & Typum Conſtantis damnavit, miſsâ Encyclicâ ad univerſos fideles de eorum damnatione Epiſtolâ, & alterâ ad Conſtantem ipſum unà cum Synodi Actis, hortans eum ut hæreſim & ipſe ſuâ auctoritate damnaret. Sed fruſtrà.

Tacere tamen non debeo, Martinum in præfata Encyclica ad univerſos fideles hæc inter alia ſcribere: *Anteceſſores noſtri Pontifices non deſtiterunt, admonentes eos* (Monothelitas) *& conteſtantes recedere à ſua hujuſmodi hæreſi & ſanam doctrinam amplecti* &c. Unus autem ex Anteceſſoribus fuerat Honorius: ergo vel Honorius hæreſim Monothelitarum non fovit, ut aliqui eum criminantur, ſed & ipſe ab ea recedere, & ſanam doctrinam amplecti Monothelitas admonuit; vel Martinus ipſe univerſæ Eccleſiæ falſum ſuppoſuit.

§. IV.

De SS. Martino I. & Maximo eorumque martyrio.

I. Damnatio Monothelitarum, & anathema dictum Typo in Synodo Romana, tantam apud Conſtantem Sanctiſſimo Pontifici conflavit invidiam, ut velut alter Nero, Petri ſucceſſori Martino necem machinatus fuerit, ac Olympio Exarcho ſuo de eo occidendo mandatum dederit, quod tamen Deo diſponente ad majorem Servi ſui coronam impleri non potuit. Rem ita accidiſſe Anaſtaſius Biblioth. in Martino narrat: *Olympius ergo veniens in Ci-*

Civitatem Romanam invenit SanctamRomanam Eccleſiam coadunatam cum omnibus Epiſcopis Italiæ vel Sacerdotibus vel Clero, & volens implere ea quæ ei juſſa ſunt (priùs tentavit ſchiſma facere; ſed cùm hoc Deus Omnipotens non permitteret) *quod non potuit, per manum armatam facere neceſſe habuit, ut ſubreptitio modo per Miſſarum ſolemnia in Eccleſia Sanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ ad Præſepe perficeret. Nam cùm communionem ei porrigeret Sanctiſſimus Papa, voluit eum crudeliter interficere, ut demandarat ſuo Spathario. Sed Omnipotens Deus, qui ſolitus eſt ſervos ſuos Orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipſe excæcavit Spatharium Olympii Exarchi, & non eſt permiſſus videre Pontificem, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit, ut ſanguis ejus effunderetur, & Catholica Dei Eccleſia hæreſi ſubjugaretur. Quod poſteà prædictus armiger diverſis cum jurejurando profeſſus eſt.*

II. Erepto Divinâ ope à parata ſibi nece S. Pontifici Martino glorioſius pro veritate fidei parabatur certamen. Suſpicatus Conſtans Martini necem conſpiratione cum Olympio Exarcho non fuiſſe impletam, Calliopam novum Exarchum cum Theodoro Cubiculario Romam miſit, diſtrictè eis præcipiens, ut Martinum Pontificem catenis vinctum Conſtantinopolim traherent. Calliopas Romam appulſus illicò cum militari manu Lateranenſem Baſilicam ac Palatium invaſit, ac indè clamantibus pro Pontifice Clericis Martinum abſtraxit (anno *650.* juxta Baronium vel *653.* juxta Sirmondum). Qui navi noctu & clanculum impoſitus, in Inſulam Naxam deportatus, ibi anno integro egit exul, continuâ ægritudine afflictus, & laboribus pluribus oppreſſus, ut narrat ipſe ad Theodorum ſcribens, Epiſtolis 14. & 15.

III. Anno ſequenti Conſtantinopolim perductus, è navi in carcerem conjectus eſt, in quo diebus *93.* abſque omni ſuorum ſolatio vel alloquio recluſus manſit. Quibus elapſis, judicio ſiſti ipsâ die Paraſceves, ut Chriſtus coram Caipha, juſſus eſt. Ut aliquam juſtitiæ ſpeciem, & damnationis cauſam ſuæ in S. Pontificem impius Conſtans obduceret, tria ſeductis falſis teſtibus calumnioſè ei objecit: Primum, quòd mutaſſet traditam à majoribus fidem. Secundum, quòd aliqua contra Imperium cum Saracenis molitus eſſet, & contra B. Virginem neſcio quid effutiiſſet. Tertium, quòd contra Canones in Pontificiam Sedem fuiſſet intruſus. Quibus addebatur, quòd cum Olympio nuper Exarcho conſpirationem contra Imperatorem iniiſſet.

IV. His & aliis per multos falſos teſtes calumniis S. Pontifex oppreſſus, factum eſt, ut agente Imperatore, Proceribus, & Magiſtratibus, ut olim ſcribis & Phariſæis contra Chriſtum, conclamantibus,

tibus, reus mortis pronuntiaretur. Unde Dorothæus Ciliciæ Patricius inter falſos teſtes celebris dixit: *Quinquaginta capita ſi haberet, non oporteret eum vivere, eò quòd ſolus ſubvertit & perdidit univerſum Occidentem & delevit: & re verá unius conſilii fuit cum Olympio, & inimicus homicida Imperatoris, & Romanæ urbanitatis.* Eductus ergo è loco judicii, veriùs ex aula Caiphæ, vir Apoſtolicus, Pontificiis inſignibus exutus eſt, ferreis vinculis innexus, per mediam Civitatem cum dedecore à carnificibus tractus & conculcatus. Adductus in Prætorium conjectus eſt in ima carcerum cum homicidis: in Diomedis cuſtodiam mox tantâ vi translatus, ut crura ejus dilaniarentur, & ſanguis efflueret.

V. De Sancto Pontifice jam tunc actum erat, ut ſola ſententiæ capitis in ipſum latæ ſupereſſet executio, niſi Paulus ipſe Patriarcha conſcientiâ ſtimulante gladium ab ejus cervice depuliſſet. Res ita ſe habuit. Paulum lethali morbo detentum Imperator inviſit, eique aperuit omnia quæ in Martinum acta erant atque decreta. Quibus auditis ingemiſcens Paulus has in voces erupit: *Hei mihi! Et hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum eſt.* Cumque percontaretur Imperator, quare hoc dixerit, reſpondit: *Numquid, Domine, non eſt miſerabile talia pati Pontifices?* Tunc Paulus adjuravit Imperatorem, ſufficere ei in his quæ paſſus eſt, nihilque amplius ſuſtinere. Cui acquievit Imperator. Unde audiens Beatus Martinus, non gratum habuit tale promiſſum, ſed mœſtus effectus eſt: *Feſtinabat enim explere bonum certamen & abire ad eum quem deſiderabat.*

VI. Poſt octo dies mortuus eſt Paulus omnium malorum auctor, & quidem in impietate ſua, promeritam à Deo juſto Judice recepturus æternam pœnam. Paulo defuncto Pyrrhus toties anathematizatus acceſſit, in Sedem vacantem reponi poſtulans, quod tandem à Conſtante obtinuit: ſed nedum elapſo anno, ipſe quoquè infeliciter ut meruerat obiit, juxta Baronium anno 651. Interim morti ereptus B. Martinus diuturniorem vivens mortem pati coactus eſt, tum in carcere in quo multis adhuc diebus detentus manſit, tum in exilio: Cheronam enim relegatus ærumnis conſumtus, ſed animo ac fide fortis, tertio exilii anno ad Cœlum evolavit, martyrii palmâ merito & conſtantiâ inſignis.

VII. Hujus S. Pontificis glorioſum certamen in hæreticorum opprobrium celebrat S. Audoenus Rhotomagenſis Epiſcopus in Vita S. Eligii, cujus verba ex Surio die 1. Decembris hic referam: *Simulent nunc* (inquit Audoenus) *hæretici, quantum volunt; confundantur, & erubeſcant à ſe Martyrem factum, quamvis in pace eum exhalaſſe animam clamitent; quamvis non à ſe interemtum, ſed pro-*

Digitized by Google

propriâ fingunt morte defunctum, quaſi non eum pœna conſumſerit, in quo pœna conſumta eſt. Qui ſi in præſenti nunc adeſſent, hæc à me pro Martyre verba audirent: Etſi imminente carnificis gladio mortuus non fuit, in confeſſione Catholicæ fidei in exilium relegatus, poſt continuam & indefeſſam profeſſionem glorioſum mortis exitum meruit, ſicque ad Deum ſuum redeuntem Cæleſtis aula Martyrem ſuſcepit. Neque enim virtus ejus, aut honor minor eſt, quò minùs Beatis Martyribus aggregetur: quia (quantùm in ipſo) æquanimiter toleravit, quidquid ei adverſitatis oblatum eſt. Nam ſicut quidam teſtatur, non eſt inferior gloria, ſed potiùs excellentior, ſuſtinere martyrium pro eo, ne ſcindatur Eccleſia fallaciis Hæreticorum, quàm eſt illa ne immoletur Idolis impulſu Paganorum. In Paganorum namque perſecutione unuſquiſque tantùm pro anima ſua, in Hæreticorum verò pro univerſa patitur Eccleſia. Idcircò potiorem eum dixerim, qui procul dubio excellentior magìſque eximius comprobatur. Hæc pauca de tanti viri memoria Eligii vita ſibi inſerta habeat, loquaturque ea ubicumque Eligii vita legetur per ſecula, quantùm Martinus fidei dogmate claruerit. Hactenus Audoenus.

VIII. Nec S. Maximo Abbati, diſputatione habitâ cum Pyrrho percelebri, Conſtantis impietas pepercit. Ejus acta per extenſum refert Baronius ad ann. 657. „ Sexennio Byziæ in Thracia omni-„ bus neglectus pro fide exul jam octogenarius manſerat S. Ab-„ bas. Cùm quem afflictionibus ac pœnis invictum repererat, „ blanditiis & honorum oblatione vincere Conſtans tentavit. „ Honorificam ergo legationem ad ipſum miſit: Mittitur (in-„ quiunt Acta) ad Sanctum in exilio degentem Theodoſius ille „ Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopus, & Paulus, & Theodoſius alter, „ uterque Patricius & Proconſulari dignitate, veniuntque ad „ eum, ut ab Imperatore & Patriarcha Conſtantinopoleos miſſi. „ Hi multos varioſque ſermones beato Viro prætenderunt, modò „ adulantes, modò comminantes, modò etiam aliquid ſciſcitan-„ tes, atque interrogantes „. Interrogationes Theodoſii unius ex Legatis, & S. Abbatis reſponſiones in Actis diſtinctè relatas omitto.

IX. Hanc unam non dimittendam cenſeo. Cùm enim S. Maximus in confirmationem Catholicæ veritatis, de qua ſermo erat, Synodum Romæ habitam à S. Martino attuliſſet, ac Theodoſius repoſuiſſet: *Non eſt valida Synodus habita Romæ, quæ Imperatoris facta ſit injuſſu*. Dignè ſubjunxit Maximus: *Si Synodos factas Regum imperia firmant, non pia fides: recipe Synodos, quæ contra Homouſion ſunt habitæ Imperatorum juſſu, nempè primam quæ Tyri, alteram quæ Antiochiæ, tertiam quæ Seleuciæ, quartam quæ Con-*

Conſtantinopoli ſub Eudoxio Ariano , quintam quæ Niceæ Thraciæ ; ſextam quæ Sirmii , ac multis poſt temporibus ſeptimam quæ Ephe-ſi , cujus princeps Dioſcorus fuit ; nam has omnes juſſa Imperatorum congregarunt : attamen damnatæ ſunt omnes , propterea quòd ſancita in illis dogmata ſinè Deo facta Deo adverſabantur . Cur autem eam non repudiatis , quæ Paulum Samoſatenſem depoſuit habita ſub Sanctis ac Beatis Dionyſio Papa Romæ , & Dionyſio Alexandriæ , & Gregorio Thaumaturgo, qui ejus Synodi princeps fuit ; quia juſſu Imperatoris facta non eſt ? Illas novit probas & ſanctas Synodos pius Eccleſiæ Canon , quas rectitudo dogmatum probavit . Et ſanè (ut novit Dominus meus & alios docet) bis in anno Synodos in unaquaque Provincia fieri , Canon jubet , juſſionis Regiæ nullâ mentione factâ : idque ad munimentum ſalutaris noſtræ Fidei , & emendationem eorum, quæ pertinent ad id quod Divinum Eccleſiæ Caput eſt . Ita S. Maximus , utile poſterioribus ſeculis relinquens documentum .

X. Cùm in longum allocutione protractâ conſtantior S. Abbas Catholicam fidem contra Monotheliſmum propugnaret , hæreticorum more ad tormentorum examen ventum eſt . A Conſtante Conſtantinopolim revocatus unà cum ejus fideli diſcipulo Anaſtaſio , uterque judicio ſiſtitur , ubi novis calumniis accuſatus Maximus , & quòd reprobandi Typi Martino Papæ auctor fuiſſet , cùm à ſententia dimoveri nullis artibus potuiſſent ; tandem Præfecto Urbis ambo traduntur , à quo primùm nervis bubulis adeò crudeliter cæſi ſunt, ut nullum membrum à plagis ſanum relictum fuerit , ſicque in carcerem conjecti , ac poſtero die iterum educti , ambo linguâ à faucibus uſque præciſi ſunt . Sed quos ne veritatem prædicarent linguâ privarunt , ſine linguâ eloquentiores Divino miraculo experti ſunt . Sic Acta de S. Maximo : *Præter opinionem loquebatur , ſermoneſque emittebat magìs quàm antea articulatos* . Et de Anaſtaſio : *Deus eâdem ipſum corroboravit gratiâ , ſermonem dans abſque loquentis inſtrumento , eumque uberem , inopinatum , & copioſum* .

XI. Præterire tamen non debeo , hoc non fuiſſe primum quod in teſtimonium Catholicæ veritatis Deus Omnipotens ſignum exhibuit . Mirabile fuerat , quod in teſtimonium Conſubſtantialitatis Typaſi in Mauritania operatus fuit . Delati ad Hunnericum Arianum illius Urbis incolæ fuerunt , quòd repugnante Ariano Epiſcopo Conſubſtantialitati filii Dei laudes ſolemniter decantaſſent . Quare indignatus impius Rex Comitem miſit , qui linguam & dexteram ſingulis præcideret : irrito tamen eventu , cùm omnes præciſis linguis diſertè ut antea loquerentur . Factum enarrat Victor Uticenſis Lib. 5. de Perſecut. Africana his verbis : *Quæ cùm*

Regi innotuiſſent, Comitem quemdam cum iracundia dirigens, præcepit, ut in medio foro congregatâ illuc omni Provinciâ linguas eis & manus dexteras radicitùs abſcidiſſet. Quod cùm factum fuiſſet, Spiritu Sancto præſtante, ita loquuti ſunt & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed ſi quis incredulus eſſe voluerit, pergat nunc Conſtantinopolim, & ibi reperiet unum de illis Subdiaconem Reparatum ſermones politos ſinè ulla offenſione loquentem. Ob quam cauſam venerabilis nimiùm in Palatio Zenonis Imperatoris habetur, & præcipuè Regina mirâ eum reverentiâ veneratur. Hujus prodigii teſtes ſunt Procopius Lib. 1. de Bello Wandalico, & S. Gregorius Lib. 3. Dialog. cap. 32. & alii.

XII. Sicut ergo ad probandam veritatem Conſubſtantialitatis Filii Dei contra Arianos, fecit Deus, ut illius profeſſores præciſis radicitùs linguis adhuc expeditè loquerentur: ita ad probandam veritatem duarum voluntatum in Chriſto contra Monothelitas effecit, ut S. Maximus & Anaſtaſius etiam præciſis juſſu Conſtantis utrique linguis veritatem eloqui poſſent: ut in eis ſic impleretur quod Chriſtus dixerat Matth. 10. v. 20. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Quid ergo ad hæc Hæretici etiam moderni? Num pro ſuorum confirmatione aliquid tale factum oſtentare potuerunt, aut modò poſſunt? Jactant Scripturas, jactamus & nos: ſed Scripturas pro nobis loqui evidenter, credibile miracula faciunt, dicente David Pſal. 92. v. 5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Teſtimonia quæ ipſi pro ſe afferunt, eſſe credibilia & vera teſtimonia Dei, unde oſtendunt? Si hoc noſſe volunt, legant S. Auguſtinum Lib. contra Epiſt. fundam. cap. 4.

XIII. Ad Sanctos Maximum & Anaſtaſium revertor. Nondum exſaturatâ Conſtantis barbarie, nec tam aperto miraculo convictâ, linguæ expertes è prætorio ejecti, per medium forum ludibriis ac dicteriis appetiti circumducuntur, & in exilium nudi, rebus omnibus deſtituti, & ne quid ſolaminis eis poſſet ſupereſſe in locis ſeparatis traducuntur. S. Maximus quidem ſenio & cruciatibus penè confectus, impoſitis ſarmentis quaſi in feretro in quoddam Alaniæ Caſtellum Schimarim dictum delatus fuit. Anaſtaſius verò in quoddam Abaſgorum oppidum deductus. S. Maximus triennio inter dolores moriens potiùs quam vivens, tandem conſumtus anno 660. coronam poſt tot conſummata certamina ſibi repoſitam ſuſcepit. Ejus tranſitum tribus prodigioſis facibus, quæ integrâ nocte ſepulchrum ejus illuſtrarunt, celebravit Cœlum.

XIV. Porrò quàm glorioſus fuit S. Maximi exitus, tam infelix fuit, ut merebatur tyranni Conſtantis finis. Sicut ergo Hunericum,

ricum, contra quem tot Sanctorum ab eo occiſorum voces clamabant *Vindica Domine ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt*, Divina ultio percuſſit; teſte enim Victore Uticenſe Lib. 5. Perſec. Afr. *Tenuit ſceleratiſſimus Hunericus dominationem Regni annis ſeptem, menſibus decem, meritorum ſuorum mortem conſummans. Nam putrefactum & ebulliens vermibus, non corpus, ſed partes corporis ejus videntur eſſe ſepultæ*. Ita impius Conſtans, contra quem S. Martini Pontificis & S. Maximi ſanguis clamabat, ſuorum ſcelerum pœnam etiam ante mortem expertus. Nam è navali prælio in quo occidendus erat, ignominiosè elapſus, cùm fratrem ſuum occidiſſet, ſingulis noctibus funeſtis ſomniis, quibus frater occiſus ei apparebat, ac præſentans calicem ſanguine plenum & dicebat *Bibe frater*, perterrefactus, velut alter Cain huc illucque profugus, tandem Syracuſis ab ignoto homine in balneo inopinatè occiſus fuit 27. Imperii ſui anno.

XV. Hactenus funeſta hujus hæreſis hiſtoria, quam ſtilo fuſiori proſecutus ſum, quia errorem non purè fraudolenter, ut cæteræ inſtillare conata eſt, ſed Principum potentiâ freta Catholicam veritatem, ut antea Ariana, violenter aggreſſa eſt, ut qui eam ſuſcipere recuſarent, exilio & morte etiam plecterentur, ut vidimus: ideòque, quia violenta potiùs quàm fraudolenta, perſecutionibus Paganorum videtur, ſicut & Ariana, comparanda. Illius primus evulgator in Armenia Paulus Severianus hæreticus fuit, unde apparet Eutychiani erroris fuiſſe fœtum, cui Sergio ſuggerente Heraclius obſtetricatus eſt. Cyrus Alexandrinus in Pſeudo-Synodo eam ſtatuit. Paulus Conſtantinopolitanus poſt Pyrrhum ad eam acriter tuendam Conſtantem armavit. Nec tamen in his finem habuit. Quamvis enim in ſexta Synodo Œcumenica proſcripta fuerit, multos tunc & poſteà habuit defenſores, ut diuturno tempore viguerit apud Armenos uſque ad ſeculum x., apud Chaldeos qui eam ſub Paulo V. ejurarunt, & apud Maronitas, quorum aliqui etiam modo eâ fortè infecti ſunt.

§. V.

Monothelíſmi confutatio.

I. IN hac hæreſi rejicienda ſobrius ero, eam enim fusè perſtrinxi in Theolog. Tomo 1. in 3. part. Qu. 5. de Natura aſſumta Dub. 6. §. 2. & 3. contraria fundamenta everti. Aliqua ergo ſolùm in Lectoris commodum hìc adjiciam. Et quidem primò Monotheliſmum confutavit S. Martinus I. Papa & decreto & ſanguine in Con-

Concilio Lateranenſi ſupra citato, ubi Canone 18. poſt veterum hæreticorum execrationem, ſubjicitur: *Cum quibus meritò, utpotè ſimiles eis, parique errore præditos, ex quibus dogmatizare noſcuntur, proprioque errori vitam ſuam determinantes, hoc eſt Theodorum quondam Epiſcopum Pharanitanum vel ejus ſucceſſores Pyrrhum & Paulum in ſua perfidia permanentes, & omnia impia illorum conſcripta, & eos qui ſimilia cum illis uſque in finem obſtinatè ſapuerunt, aut ſapiunt, vel ſapere ſperantur, hoc eſt unam voluntatem & unam operationem Deitatis & humanitatis Chriſti: & ſuper hæc impiiſſimam Ecteſim, quæ perſuaſione ejuſdem Sergii facta eſt ab Heraclio quondam Imperatore adversùs Orthodoxam fidem, unam Chriſti Dei voluntatem, & unam ex concinnatione definientem operationem venerari.... Et cum illis denuò ſceleroſum Typum, qui ex ſuaſione prædicti Pauli nuper factus eſt à Sereniſſimo Principe Conſtantino* (Conſtante) *Imperatore contra Catholicam Eccleſiam, utpotè duas naturales voluntates & operationes, Divinam & humanam, quæ à SS. Patribus in ipſo Chriſto Deo vero & Salvatore noſtro piè prædicantur, cum una voluntate & operatione, quæ ab hæreticis impiè in eo veneratur, pariter denegare & taciturnitate conſtringi promulgantem... Si quis igitur conſonanter nobis omnia hæc impiiſſima hæreſeos illorum dogmata, & ea quæ pro illis à quolibet impiè conſcripta ſunt, & denominatos hæreticos, Theodorum dicimus, Cyrum, & Sergium, Pyrrhum & Paulum, non reſpuit & anathematizat.... hujuſmodi condemnatus ſit*. Ubi nota prudentem S. Martini erga Conſtantem Imperatorem œconomiam, Typum namque ſub ejus nomine damnare noluit, nec anathemate cum aliis ipſum ferire, ne ſchiſma faceret, & perſecutionem inferret Eccleſiæ. Hoc tamen nihil profuit, nam ut ſupra dixi indignatus Conſtans nec ejus perſonæ pepercit nec dignitati, undè Martyr effectus fuit.

II. Hæreſis iſta à tota Eccleſia damnata fuit in Concilio Conſtantinopolitano III. Œcumenico VI. à centum quinquaginta Patribus, in quo Act. 18. in Symbolo ſeu profeſſione Fidei poſt aſſertam in Chriſto unam Perſonam in duabus naturis ſalvâ utriuſque naturæ proprietate, profitentur: *Et duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes, indiviſè, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfusè, ſecundùm Sanctorum doctrinam prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias: abſit: juxta quod impii aſſeruerunt hæretici, ſed ſequentem ejus humanam voluntatem, & non reſiſtentem vel reluctantem, ſed potiùs & ſubjectam Divinæ ejus atque Omnipotenti voluntati: Oportebat enim carnis voluntatem moveri, ſubjici verò voluntati Divinæ juxta ſapientiſſimum Athanaſium. Sicut enim ejus caro caro Dei Verbi dicitur & eſt, ita & na-*

Digitized by Google

naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur & eſt: ſicut ipſe ait Joan. 6. „ Quia deſcendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me Patris „ *ſuam propriam dicens voluntatem, quæ erat carnis ejus. Nam & caro propria ejus facta eſt. Quemadmodum enim ſacratiſſima atque immaculata animata ejus caro Deificata non eſt peremta, ſed in proprio ſui ſtatu & ratione permanſit: ita & humana ejus voluntas Deificata non eſt peremta, ſalvata eſt autem magis ſecundùm Deiloquum Gregorium dicentem:* „ Nam illius velle, quod in Salvatore intelligitur, non eſt contrarium Deo, Deificatum totum „. *Duas verò naturales operationes .... in eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto vero Deo noſtro glorificamus, hoc eſt Divinam operationem & humanam operationem ſecundùm Divinum prædicatorem Leonem apertiſſimè aſſerentem* „ Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium eſt: Verbo ſcilicet operante quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt „. *Nec enim profectò unam dabimus operationem Dei & creaturæ: ut neque quod creatum eſt in Divinam educamus eſſentiam, neque quod eximium eſt Divinæ naturæ, ad competentem creaturis locum dejiciamus.* His & aliis fidem Catholicam ſexta Œcumenica Synodus contra Monothelitas confitetur, & ſtatuit anathema contra quoſcumque aliter ſentientes.

III. Et ſanè in Chriſto fuiſſe præter Divinam humanam etiam voluntatem, quid manifeſtiùs indicat, quàm voluntatis illius votum quod Pſal. 39., & Hebr. 10. v. 5. Verbum carnem induens ſignificavit? Cùm enim hoſtiæ & victimæ Legis Deo Patri non placerent, & impoſſibile eſſet per illas auferri peccata: *Ideò ingrediens* mundum dicit: *Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio: In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam,* & v. 10. *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.* Voluntas autem iſta non erat Divina, tum quia non æterna ſed temporalis, ingredientis ſcilicet mundum cum corpore ad humani generis reparationem, tum quia erat diſtincta à voluntate Patris, quâ ei obedire ſtatuerat uſque ad mortem, & quâ juſtificationem noſtram meruit, Voluntas autem Divina Verbi eadem eſt cum voluntate Patris, & proindè nec obedientiæ capax nec meriti. Quare Monothelitæ auferentes à Chriſto voluntatem humanam auferunt ab eo omne meritum, ponuntque humanitatem ejus ut purum inſtrumentum à Verbo motum, ſicut ferra ab artifice movetur.

IV. Voluntatem igitur humanam à voluntate Divina Patris diſtinctam, ei tamen ſubjectam ac obedientem, ſe habere Chriſtus ipſe

ipſe fatetur Matth. 26. v. 39. *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Lucæ 22. v. 42. *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Joan. 6. v. 38. *Deſcendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me*. Quibus per voluntatem *meam* & *tuam* demonſtrat, in ſe eſſe aliam à voluntate Patris voluntatem. Ita intellexerunt SS. Patres: Ignatius in Epiſt. ad Trallianos, Juſtinus in Dialogo cum Triphone, Irenæus Lib. 3. adv. Valentinianos cap. 32. Tertullianus Lib. de Carne Chriſti cap. 13. S. Athanaſ. Orat. 4. contra Arianos. Hilarius, Baſilius, Gregorius Nazianz., & Nyſſenus, Ambroſius Lib. 2. de Fide cap. 3., Chryſoſt., Cyrillus, Leo Epiſt. 97. cap. 1. & 2. Unde S. Auguſtinus L. 2. contra Maximinum Arianum cap. 20. *In hoc*, inquit, *quod ait*, „ non quod ego volo, „ *aliud ſe oſtendit voluiſſe quàm Pater: quod niſi humano corde non potuiſſet, cùm infirmitatem noſtram in ſuum, non Divinum, ſed humanum transfiguraret affectum. Homine quippè non aſſumto, nullo modo Patri diceret unicum Verbum* „ non quod ego volo, „ *numquam enim poſſet immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quàm Pater. Hæc ſi diſtingueretis, Ariani* (Monothelitæ dicam) *hæretici non eſſetis*. In hoc enim errore Ariani quoquè communicabant, ſicut & Apollinariſtæ.

V. Dicebant Monothelitæ: Sicut unicum eſt operationis artificis & inſtrumenti principium, ita unicum eſt operationis principium in Chriſto, nempè Verbum quod movet.

At non videbant cæci iſti, quòd ponentes in Chriſto humanitatem ut purum inſtrumentum voluntate Verbi unicè motum, & non ſe propriâ voluntate movens, auferebant ab eo ut homine omnem libertatem & meritum. Diſtinguere debebant inter inſtrumentum artificiale & mortuum, & inſtrumentum vivens & naturale ac liberum. Illud quidem non ſe movet propriâ actione, ſed actione artificis unicè movetur. At iſtud movetur quidem, ſed ſuâ operatione liberè ſe movet, & propriâ operatione quod ſibi convenit agit. Talis autem eſt natura humana in Chriſto, quæ movebatur quidem à Verbo, ſed ut ſuâ voluntate quæ conveniebant liberè operaretur. Factus eſt obediens uſque ad mortem, ſed quia liberè mortem acceptavit & ſuſcepit, dicente Iſaiâ cap. 53. v. 7. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Voluntate non Divinâ, quâ mori non poterat, ſed humanâ, quâ etiam Jo. 10. v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam .... hoc mandatum accepi à Patre meo*. Unde S. Auguſt. Tract. 41. in Joan. Chriſtum ita loquentem inducit: *In eo quòd morior voluntatem Patris mei facio: pluſque ibi facio: quia ſi nollem, nec paſſus eſſem*. Et Enchirid.

Digitized by Google

rid. cap. 30. *Ipſa eſt vera libertas propter recti facti lætitiam, ſimul & pia ſervitus propter præcepti obedientiam.*

VI. Nec dicant: In Chriſto erat una Perſona ſeu ſuppoſitum volens & operans; ergo una erat voluntas & una operatio; quia operationes ſunt ſuppoſitorum. Reſpondetur enim, in Chriſto eſſe quidem unam Perſonam ſeu ſuppoſitum, ſed ſubſiſtens & operans in duabus naturis: unitas autem vel pluralitas operationis ſumitur non ab unitate vel pluralitate perſonæ vel ſuppoſiti, ſed ab unitate vel pluralitate naturæ in qua operatur. Unde in Deo licèt ſint tres perſonæ, quia tamen eſt una natura Divina, ideò in illis una eſt voluntas, una virtus, una operatio. Natura quippè licet ut agat debeat in aliquo ſuppoſito eſſe, ſemper tamen ſuas operationes in eo exercet. Et patet in uno homine qui plures artes habeat, hic enim unâ operatione opus unius artis exercet, aliâ opus alterius.

VII. Nec Monothelitis favere poteſt, quòd S. Dionyſius poſuerit in Chriſto *unam Dei virilem* ſeu Theandricam operationem. Nam ut ſuperiùs dixi textum S. Dionyſii interpolarunt ipſi, ponentes *unam*, cùm S. Dionyſius dicat *novam* Dei virilem operationem. Unde Synodus Lateranenſis ſub Martino I. Secretario 5. *Si quis*, inquit, *ſecundùm ſceleroſos hæreticos Dei virilem operationem quam Græci dicunt Theandricam, unam operationem inſipienter, non actionem duplicem eſſe confitetur ſecundùm Sanctos Patres, hoc eſt Divinam & humanam: aut ipſam Dei virilis quæ poſita eſt novam vocabuli dictionem; unius eſſe deſignativam, ſed non utriuſque mirificæ & glorioſæ unionis demonſtrativam, condemnatus ſit.* Sicut enim dum de Chriſto dico *Deus homo*, non unam naturam intelligo, ſed duarum naturarum in una perſona unionem: ita cum dico Dei virilis operatio, non una operatio accipienda eſt, ſed duplex, una Dei à natura Divina procedens, altera hominis à natura humana naturæ Divinæ unita & ab hac dignificata proveniens. Nec tamen omnes Chriſti operationes Dei viriles, aut Theandricæ dicendæ ſunt, ſed ſolùm illæ, quæ ex Divinitate & humanitate ſimul operantibus procedebant, quales erant, quibus miracula patrabat, & illæ quibus Chriſtus humanitatem ſuam Deo offerebat ad humani generis ſalutem. Sed de hoc & aliis hanc hæreſim tangentibus videat Lector, quæ ſupra citato Tom. 1. in 3. p. q. 5. Dub. 6. §. 1. 2. 3. & 4. pro viribus expendi.

* * * *
* * *
* *
*

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXXIX.

De Mahometanis & Paulicianis.

§. I.

Mahumetanæ Sectæ ortus, ac errores.

I. AB hac Secta breviter hic me expediam, cùm fusè ejus falſitatem demonſtraverim Tomo 1. præſentis Operis toto Cap. 9. Mahometana, ſeu Mahumetana à Mahomete, ſeu Mahumete vel Muhamed auctore nuncupata fuit, & adhuc in Chriſtianorum perniciem magnam terrarum Orbis partem errore ac tyrannide occupans nuncupatur. Perſonæ Mahometis natales & primordia loco citato §. 1. expendi. Modò adjiciam: In nullo apertiùs, quàm in ipſo impletam fuiſſe Pauli prophetiam 2. Theſſal. 2. de homine peccati filio perditionis, præcurſore Antichriſti, qui omnem religionem evertens extollat ſe etiam ſupra Deum, & in ſua impietate duret, *donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus* (ideſt Antichriſtus) *quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum.* Ex quibus (ſi conjecturæ locus datur) videtur colligi, Mahumetanam Sectam uſque ad adventum Antichriſti(quod Deus avertat) duraturam. Quidquid autem ſit, hoc certum eſt, quòd, ubi cæteræ hæreſes initio ferociores procedentibus ſeculis deliquium paſſæ ſunt, ut vix alicubi earum reliquiæ ſuperſiut, Mahometana Secta circa annum 630. Honorio Romano Pontifice & Heraclio Imperatore exorta, uſque ad præſentia tempora maximam Mundi partem, eam etiam quam Chriſtus vivens ac moriens ſanctificavit, occulto Dei judicio ſub jugo tenet, ut dici poſſit, quòd ſicut Paganiſmo olim, ita Mahumetiſmo poſtea, terram inquinari uſque ad tempus à ſe præfinitum permiſerit.

II. Occaſio ſuæ fundandæ Sectæ Mahumeti hæc fuit. Iſte apud Agarenos & Saracenos plurimi habebatur, ut ejus conſilio ac fortitudine in prædicationibus ac præliis, quibus dediti erant, regerentur. Dum verò in prælio contra Perſas tamquam ſtipendiarii Heraclio deſervirent, eiſque per Præfectos Cæſareos renuntiatum eſſet, non fore ampliùs ullam ſpem ſtipendiorum, ſeditionem adverſùs Duces Romanos moverunt. Occaſione hujus tumultus potentia Mahometis creſcere cœpit. Cùm enim rectore carere non poſſent, Mahometem ducem ac principem elegerunt, utpotè opum ma-

Digitized by Google

magnitudine, dexteritate, & ſtrenuitate cæteros excellentem. Mahometes homo ſagaciſſimus, ut ſub imperio populum faciliùs contineret, ſtatuit, non pro certo ordine in civilibus tenendo leges condere, ſed ad unam aliquam & novam religionis formam omnibus perviam, & obſervatu facilem condendam, ne diſſenſionis oriretur occaſio, animum convertit. Videbat enim varias & diſcordes paſſim de religione doctrinas, nedum Religionem Chriſtianam ſcindere, ſed & imperia turbare, uti tunc hæreſibus undique inſurgentibus palàm fiebat. Propterea talem religionis formam inſtituit, quæ abdicatis omnibus fidei capitibus quæ in diſputationem vocari poſſent, ea quæ humano captui ac ſenſui accommoda eſſent proponeret: additâ pœnâ capitali, ne quis de ea diſputaret.

III. Mahumetanæ religionis ſumma veluti compendium præcedentium hæreſum eſt. Primò cum Sabellio negat Trinitatem. Secundò cum Ario & Eunomio Chriſtum creaturam eſſe contendit, eumque Deum dicere ridiculum putat. Tertiò cum Carpocrate aſſeverat, Chriſtum non Deum quidem eſſe, ſed Sanctum Prophetam. Quartò cum Cerdone aſſerit, fore impoſſibile, ut Deus filium habeat, quòd nimirùm uxore careat, citra quam filium gignere non poſſit. Quintò cum Manichæis & aliis negat Chriſtum crucifixum fuiſſe, ſed alium ſui ſimilem. Sextò cum Donatiſtis & aliis negat cuncta Eccleſiæ myſteria, quæ à Chriſti paſſione vim & efficaciam obtinent. Septimò cum Origeniſtis Dæmones ſub finem Mundi fore ſalvandos dicit. Octavò cum Antropomorphitis Deum corporeum eſſe fingit. Nonò cum Cerintho & aliis extremam felicitatem in corporis voluptatibus ſtatuit. Decimò cum Ebionitis Circumciſionem admittit. Undecimò cum Tatiano vini uſum interdicit. Duodecimò pluralitatem uxorum cum facultate quæ ſibi non placuerint dimittendi & alias ducendi concedit. Decimotertiò religionem ſuam non prædicatione, ſed armis promovendam ſancit. Alia omitto, quæ videri poſſunt apud Alexandre Hiſt. Eccleſ. Secul. 7. cap. 2. art. 2. contra quæ egi ſupra Tom. 1. cap. 9. citato.

IV. Accepta fuit hæc Religio primùm à Saracenis, qui ut dixi ab Heraclio defecerant. Horum armis brevi ſubacta Arabia, Syria, Palæſtina, Ægyptus, Perſis. Poſt Africa invaſa, ac deinde Hiſpania. Mahumetanæ Sectæ potentiam alii & maximè Tartari modò Turcæ auxerunt, gens & ipſa pugnaciſſima, quæ poſt longa adversùs Saracenos certamina, cum ipſis tandem fœdere juncta, eorum quoquè Religionem, ut ſuis moribus congruentem, ſuſcepit, & totius Orientis Imperii majeſtatem Byzantio occupato in ſe tranſtulit. Captis Aſiæ & Græciæ Urbibus, in Hungariam ac

Germaniæ fines extendit tyrannidem, non ſinè imminenti Chriſtianæ Religionis periculo. De hujus Sectæ falſitate adeat Lector à me dicta Tomo I. cap. I. cap. 9. jam citatis.

§. II.

Danæi calumniæ rejectæ & in ipſum verè retortæ.

I. HIs ſtantibus Mahometiſmum dimittere decreveram, ſed detinuit me Danæus, qui in ſuo Opuſculo de Hæreſibus cap. 95. inter hæreſes ſacrilegè recenſet Papiſmum, his verbis: „ Papiſmus tandem exortus eſt, qui ſuperiores omnes hæreſes „ partim ut alveus recepit, partim ut mare abſorpſit, alieno qui- „ dem nomine, ſed tamen earum dogmate retento & confir- „ mato „. Deinde deſcripto Papiſmo & ejus doctrinâ, tanquam regno & doctrinâ Antichriſti prænuntiatâ à Paulo 2. Theſſal. 2. ſubdit „ Cujus ſeminandi initia ſub ipſis adeò Apoſtolis jacta jam „ fuerunt, pariendi tempus Phocæ demùm fuit in Mauritium per- „ fidiſſimi imperium, & Bonificii tertii Epiſcopatus. Hoc pro- „ pter ambitioſam & infelicem illam de primo Epiſcoporum Epi- „ ſcopo in Eccleſia deſignando conſtituendoque contentionem „ inter Conſtantinopolitanam & Romanam Sedem accidit. Ob- „ tinuit autem in ea lite Romanus Pontifex Phocæ Imperatoris „ beneficio, cui gratificatus erat. Nam propter cædem Mauritii „ omninò odioſus erat Phocas. Sed illi favente ſuadenteque Bo- „ nifacio à S. P. Q. R. tanquam legitimo Imperatori acclamatum „ eſt. Circa annum à Chriſto paſſo 574. nata eſt hæc Eccleſiæ „ univerſæ internecio, peſtis, ac tyrannis, quæ Chriſti Regnum „ poſtea funditùs delevit, ex omnium hæreſeon erroribus velut „ deforme monſtrum compoſita „. Ita Romani Pontificatus initia & ortum deſcribit impudentiſſimus ac mendaciſſimus nebulo.

II. Poſtea cap. 96. Agens de Mahumetiſmo „ Mahumetiſ- „ mus, inquit, Papiſmum ſecutus eſt proximè. Nam anno duo- „ decimo Heraclii Imperatoris ſub extremo Pontificatu Bonifa- „ cii V. circa annum à Chriſto paſſo 589. nata eſt primum hæc „ Mundi lues, & hæreſis pluſquam blaſphema, vel potiùs hære- „ ſeon lacuna, ut ait Damaſcenus: adeò ut inter utriuſque blaſ- „ phemiæ exortum ſivè initia, 15. tantùm annorum ſpatium ferè „ intercesſerit. Totum autem Orientem & Meridiem celerrimè „ occupavit Mahometiſmus, quemadmodum Papiſmus totum „ Occidentem & Septentionem: atque ita duplex & bipartitum „ factum eſt Satanæ Regnum: è quibus Mahumetiſmus quidem

natu-

„ naturas in Chriſto abolet & negat, Papiſmus autem officia & „ verum munus Mediatoris,& titulum Chriſti tollit & abrogat „. Ad hæc quis non horreat? Num magis impiè Satanas ipſe loqui potuiſſet?

III. Verùm tot impoſturis ab hæretico homine onerari gloria Catholicæ Eccleſiæ eſt. Nam & Chriſtus tamquam Legis contemtor ſeditiones in populum ſeminans, ac Satanæ miniſter accuſatus fuit. Ejus ergo patientiam imitatus breviter dicam: Primò: Hoc quod Danæus & ſui vocant *Papiſmum* nihil aliud ſignificat, quàm quòd in Eccleſia Dei ſit unus, qui in rebus fidei & morum eam regat, & dubia de eis exorientia diſſolvat. Si hoc eſt Eccleſiam Dei in regnum Satanæ vertere: ergo etiam Eccleſia Vetus regnum Satanæ fuit, cùm Deo mandante in ea quoquè fuerit unus ſummus Sacerdos, cujus judicio in rebus fidei quiſque acquieſcere deberet. Unde Deuter. 17. v. 12. additur: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille, & auferes malum ex Iſrael*. Porrò cùm Chriſtus eandem politiam in Eccleſia ſua inſtituerit, ac Petrum vice ſui Caput & Sacerdotem delegaverit, eique ligandi & ſolvendi ampliſſimam dederit poteſtatem Matth. 19., eique jus paſcendi oves & agnos ſuos contulerit Joann. 21. Quam poteſtatem à Petro in Romanos Pontifices ſucceſſione translatam omnia ſecula ſubſequentia venerata ſunt, & Pontificatus ſeu Papatus nomine decorarunt: ſi Papatus ſeu Summus Pontificatus in utraque Eccleſia Veteri & Nova à Deo & Chriſto inſtitutus fuit, numquid adeò blaſphemus erit Danæus, ut adhuc aſſeveret, non Dei, non Chriſti, ſed Satanæ regnum eſſe?

IV. Regnum Satanæ regnum diſſenſionis & diſcordiæ eſt, Regnum Dei regnum unitatis. Propterea Chriſtus ſuæ Eccleſiæ unum Caput Petrum conſtituit, ut in eo tanquam in centro unitatis omnes convenirent, & ſchiſmatis occaſio tolleretur. Docuit hoc S. Cyprianus Lib. de Unit. Eccleſiæ, ubi propoſitæ quæſtioni, quomodo Chriſtus, qui ſuper Petrum ædificavit Eccleſiam ſuam, qui poſt reſurrectionem ei ſuas oves paſcendas commiſit, omnibus Apoſtolis dixerit: ***Sicut miſit Pater & ego mitto vos*: *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*** &c. Reſpondet: ***Ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur***. Et infra: ***Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccle-***

ſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Hæc & alia S. Cyprianus, cui ſubſcribit S. Hieronymus Lib. 1. adv. Jovin. ubi eâdem propoſitâ quæſtione: *Propterea*, inquit, *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.*

V. Eccleſia ergo, quæ eſt Chriſti Regnum, in unitate conſiſtit, & propterea in uno Petro capite fundavit, in una ejus Cathedra unitatis centrum poſuit. Ergo qui in hac conſiſtunt, qui ſub Petro Capite, & unitatis centro concordes vivunt, de Eccleſia & Regno Chriſti ſunt: Qui autem hâc unitate fractâ à Petro ejuſque Cathedra receſſerunt, in Eccleſia & fide ac Regno Chriſti ſe eſſe vanè confidunt. Talis fuit Danæus, tales ſunt quotquot Romanam Petri Cathedram blaſphemant: ergo eorum cœtus Eccleſia Chriſti non ſunt, ſed Satanæ, à quo omnis defectionis & ſchiſmatis origo eſt, Regnum; & ideò S. Hieronymus Epiſt. 91. aliàs 11. ad Ageruchiam ait: *Sit una Eva mater cunctorum viventium, & una Eccleſia parens omnium Chriſtianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas diviſit uxores, ſic hanc Hæretici in plures Eccleſias lacerant, quæ juxta Apocalypſim Joannis Synagogæ magis Diaboli appellandæ ſunt, quàm Chriſti conciliabula.*

VI. Ab Eccleſia autem Romana petendam eſſe fidei unitatem ac veritatem, invictè probat Irenæus ſecundi ſeculi Pater contra omnes hæreticos Lib. 3. adv. Hæreſ. cap. 3. *Maximæ*, inquit, *& antiquiſſimæ & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientium uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam* (notent Proteſtantes) *propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Indè contexta ſerie Epiſcoporum, qui Romanam Eccleſiam uſque ad ſua tempora gubernarunt, ex doctrina fidei quam ipſi tradiderunt, tam certum contra hæreticos format argumentum, ut dicat: *Hâc ordinatione & ſucceſſione, ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio & veritatis præconatio pervenit uſque ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, unam & eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſiis ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata & tradita in veritate.* Et cap. 4. addit, quòd ſi Apoſtoli nihil ſcripſiſſent, huic Traditioni ſtandum eſſet. Eodem argumento perſtringunt hæreticos cæteri Patres, inter quos

quos Tertullianus Lib. de Præſcript. cap. 29. & ſequentibus.

VII. Nunc ad Danæum & alios ejuſdem furfuris me converto. Temporibus Irenæi, Tertulliani &c. erant Epiſcopi Romani, ſeu Pontifices Petro ſuccedentes, & conſequenter is ut ipſi vocant Papiſmus: ergo non ſeculo 7. ſub Phoca in Bonifacio habuit initia: Phocas enim titulum Epiſcopi Œcumenici, quem Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſibi arrogare ambitiosè tentaverat, ſoli Epiſcopo Romano, ut ante, convenire declaravit, non illi primus adjudicavit. Rursùs præfati Patres à Romanis Pontificibus, ſeu Papis, eorumque per ſucceſſionem traditione quærendam eſſe fidei veritatem ſtatuunt, utpotè eam quam Apoſtoli annuntiaverant ab eis fideliter cuſtoditam. Quomodo ergo Papatus, qui illis ſeculis ut fons Catholicæ & Apoſtolicæ veritatis omnibus proponebatur, modò factus eſt omnium hæreſeon alveus ac mare, Eccleſiæ internecio, peſtis, tyrannis, regnum Antichriſti & Satanæ? An quia doctrinam fidei ab Apoſtolis acceptam corrupit, adulteravit? Ita ſanè blaſphemant cum Danæo Heterodoxi recentiores. Sed turpia hæc eorum mendacia invenient à me confutata in Vera Eccleſia Tomo 1. cap. 8., ubi oſtendi Eccleſiæ Romanæ in docendo uniformitatem, & cap. 9. ejus antiquitate ſtatutâ demonſtravi ad oculum §. 6. comparatione factâ, quæ Eccleſia Romana modò docet, eadem eſſe quæ antiqua docuit; quæ verò Proteſtantes modò induxere & Eccleſia modò reprobat, eadem eſſe quæ Eccleſia Romana antiqua tanquam hæreſes reprobavit. Ex quibus prudens Lector deducet, omnium hæreſeon alveum eſſe, non Romanæ Eccleſiæ, ſed Proteſtantium Sectæ doctrinam. Quinam autem Satanæ non Chriſti Regnum conſtituant, an Papiſtæ an Sectarii, teſtis ſit eorum anteſignanus Lutherus, qui Lib. de Miſſa Angulari ingenuè fatetur, ſe in ſuo dogmate condendo Diabolum habuiſſe magiſtrum.

VIII. At quia Danæus Papiſmum cum Mahometiſmo comparare audet, æquum erit hanc apertam calumniam in ipſum ſuamque Sectam retorquere. Et quidem omiſſo quòd Lutherus ſui Pſeudo-Evangelii initio Mahometanis adeò favit, ut magnâ contentione doceret, contra Turcas licèt Chriſtianis inhiantes non eſſe arma ſumenda, nec tributa pendenda, aut collectas ad bellum contra ipſos eſſe faciendas; cùm tamen tumultuaria adversùs Catholicos ſuorum prælia ipſe probarit, imò ad ea excitarit. Hoc inquam dimiſſo, cum Mahomete Lutherus ac ſui conveniunt. Primò Mahometes ſuâ Lege ad Chriſtianiſmum ſe tamquam Prophetam à Deo miſſum jactitabat: Lutherus ſe à Deo miſſum prædicabat ad Reformandam Eccleſiam, & Evangelium, quod ſub

ſcamno

ſcamno diù latuerat in aperto ponendum; ideòque ſuis Sectariis Evangelicorum nomen indidit. Ut hoc præſtaret Mahometes & auctoritatem ſibi conciliaret, ſe Legem & Evangelium tenere dicebat, ſed in utroque Teſtamento plura eſſe emendanda aſſerens, plura addidit, plura detraxit, ideòque utrumque corrupit. Lutherus contemtis omnibus, qui ante ipſum de Evangelio & Sacris Literis ſcripſerunt, etiam inſignioribus Patribus, ſibi ſoli certam earum traditam notitiam arrogavit, ideòque ferè ducenta Evangelii loca ipſe emendare, veriùs corrumpere auſus fuit, tertium Eliam ac novum ſe jactans Evangeliſtam.

IX. Secundò Mahometes legi ab ipſo traditæ, quam Divinam & per Angelum ſibi traditam aſſerebat, tantam fidem adhiberi voluit, ut de ea ejuſque intelligentia nullum voluerit judicem, imò de ea diſputare ſeverè vetuerit. Lutherus & alii de Evangelio ut ab ipſis expoſito, ſeu verè corrupto, omne judicium reſpuunt, non Papæ ſolùm, ſed Conciliorum & Veterum Patrum, dicentes humanum aliquid omnes paſſos fuiſſe, ac Sacras Literas depravaſſe: cuique autem ſuorum tutum ac certum judicium privato ſpiritu tribuunt. Ex quo fit ut ſicut Mahometani in plures Sectas diviſi ſunt: ita & qui Evangelicos ſe jactant, pro ſuo quiſque ſpiritu Evangelium in contrario ſenſu interpretantes, in plurimas ac contrarias Sectas abierint, & in dies abeant, ut omnibus perſpicuum eſt. Unde hiſce temporibus, quilibet eorum quod ſibi libuerit credit, quod non libuerit rejicit: in hoc ſolùm, ut Mahometani, concordes, quòd ea quæ Romano-Catholica Eccleſia credidit, abjiciant.

X. Tertiò: Mahometes Quadrageſimale jejunium, quod Chriſtiani ante Paſcha celebrant, in aliam Lunam tranſtulit. Evangelici præeunte Luthero Quadrageſimale, & alia perpetuâ ab Apoſtolis traditione cuſtodita jejunia & abſtinentias, à ſuis cœtibus penitùs ſuſtulerunt.

XI. Quartò: Dies Feſtos Mahometem immutaſſe liquet, quin & Dominicam in diem Veneris auſus fuit transferre. Hunc quàm imitentur Evangelici, docent Feſti Sancti dies ferè in totum ab eis abrogati. Carloſtadius nullum Feſtum præter Sabbatum colendum eſſe docuit, teſte Eraſmo.

XII. Quintò: Sacras Imagines à Templis abſtulit Mahometes. Hoc quàm impiè fecerint Evangelici in Catholicorum quas invaſerunt Eccleſiis, & adhuc præſtent modò in ſuis, probatione non eget, cum ocularis experientia demonſtret. Lutherani tamen mitiores aliquas permittunt. At Calviniani omnes etiam Chriſti Crucifixi à ſuis Templis exulare faciunt.

XIII. Sex-

XIII. Sextò: Mahometes uni Deo cultum exhibendum eſſe prætexens, B. Mariæ ac Chriſti Martyribus omnem abſtulit, Mariam à Chriſtianis pro Deo haberi calumniatus. Num & in hoc Evangelici huic Pſeudo-Prophetæ adhæreant, clarum eſt, & pro omnibus unicus Danæus teſtis ſit, cujus contumelias ſupra non ſemel audivimus, dicentis, nos colere Mariam & Sanctos ut Deos. At ſicut Mahometani Mariæ & Martyrum cultum execrantes, ſuos tamen colunt, eorum habent memoriam & loca religioſa, quæ peregrinationis ergo frequentiſſimè viſitant, & maximè Mochuram (vulgò *Mecha*) quò ad viſitandum Mahometis ſepulchrum quotannis confluere ſolent: Ita Evangelici ſuorum colligunt Martyrologia. Colitur in Diario Lutheri Joannes Huſs Pragenſis, & Wicleffus teſte Poſtello. Imò nuperrimè ipſi Luthero feſtus aſſignatus eſt dies prævio jejunio. Zuingliani ſuum colunt Zuinglium ut Martyrem, Anabaptiſtæ Muntzerum, & Joannem Sartorem Leidenſem.

XIV. Septimò: Baptiſmum & cætera Sacramenta Chriſti, ceu inutilia Mahometes contemſit: Calvinus, Suencfeldius aliique plurimi Baptiſmum non eſſe neceſſarium docent; aliqui non ut Chriſtus præſcripſit illum conferunt. Alii, ut Quakeri illum omninò rejiciunt. Sacramenta verò reliqua, unicâ Euchariſtiâ ſuo tamen modo retentâ, à ſuis cœtibus eliminant.

XV. Octavò: Mahometani non circumcidunt ſuos niſi loquendi & rationis uſu præditos, nempè octo vel decem annorum. Idem de Baptiſmi tempore Adrianus Hamſtedius ſuadere conabatur, quod poſtea amplexi Anabaptiſtæ, infantes à Baptiſmo arcere cœperunt.

XVI. Nonò: Apud Mahumetanos uxoris repudium faciunt mulieris improbi mores, infœcunditas; quas non dilexerint dimittere, & dimiſſis alii nubere licitum eſt. Hoc idem ſuis permiſiſſe Lutherum necnon Calvinum, in Vera Eccleſia Tomo 1. cap. 13. §.1. & 2. oſtendi & reprobavi.

XVII. Decimò: Polygamiam ſuis prædicaſſe Mahometem extra controverſiam eſt, & tot uxores habere eis permiſiſſe quot pro facultatibus alere poſſint. Hoc apud Evangelicos in uſu eſſe exempla Lutheranorum in Polonia demonſtrant plurima, & de Anabaptiſtis dubium non eſt, cum Hetzerus unus ex illis treſdecim ſimul uxores duxerit; & Lutherus præhabitâ cum aliquibus de ſuis conſultatione conceſſit Philippo Lantgraviæ Haſſiæ ut vivente primâ, quæ ad explendam libidinem ſatis ei non erat, ſecundam duceret uxorem, de quo egi Tomo 4. 3. p. Tract. de Matrim. qu. 4. Dub. 3. §.1.

XVIII. Ve-

Digitized by Google

XVIII. Verùm quid erit ſi magis impios Evangelicos quàm Mahometanos ſeu Turcas propoſuero? Mahometes, ut ſuos à Chriſti & Sanctorum meritis avocaret, negabat aliena cuiquam prodeſſe merita, ſed propriis quemque cum Pelagio meritis tantùm juvari aſſerebat. Lutherus verò non ſolùm negat Sanctorum opera eſſe nobis utilia, ſed dicit omnia opera noſtra etſi Spiritu Sancto corda inhabitante facta, eſſe abominationes & peccata. Mahometes liberum arbitrium hominibus ſuſtulit, in hoc tamen varius & inconſtans fuit; à Lutheranis tamen Zuinglianis & Calviniſtis ſuperatur, qui nullum prorsùs in homine liberum arbitrium eſſe conſtanter profitentur.

XIX. Rursùs Mahumetes Euchariſtiam non abolevit, ſed in Deum auctorem retulit. Nam etſi negaret eam fieri in memoriam mortis Chriſti, quem non eſſe crucifixum & mortuum impiè aſſerebat, tamen tantam in ea eſſe vim affirmavit Alcorani cap.4., ut confirmentur in fide & bonis operibus quotquot de ea guſtant, & qui, poſtquam de ea comederunt impii facti ſunt, ſinè remedio eſſe damnatos. At quid Evangelici? Calviniſtæ panem Euchariſticum purum panem eſſe omni virtute vacuum ac inane ſignum eſſe dicunt, & talem Chriſtum Apoſtolis dediſſe. Lutherani credunt quidem, ſe cum pane Chriſtum accipere; ſed eum illic præſentem adorare nolunt, quaſi qui Deus in Cœlo eſt, in Euchariſtia Deus eſſe deſineret. Sed quod impiiſſimum eſt ac omnibus notum, Sanctam Euchariſtiam canibus ab eis in Anglia objectam refert Joannes Foxus. Tornaci anno *1556.* & Pariſiis anno *1561.* pedibus conculcarunt. In hoc Averroem imitati, qui Chriſtianos dicebat impios, quòd Chriſtum Deum ſuum ederent; unde Carloſtadius nos appellat Deicidas, qui Dei Filium devorare volumus. Qui ergo in hoc magis impii? Mahometani, an ipſi, qui ſe Evangelicos jactant?

XX. Sacros Ordines Mahometes ſuſtulit, non tamen eos à Diabolo prodiiſſe dixit, ut in Lib. de Capt. Babyl. & alibi blaſphemavit Lutherus. Certi generis homines religioſos, qui concionantur, aut de jure ex Alcorano reſpondent, ut Mupthios, Cadios, Talimeannos, Mahometes admittit, Sacrorum curam eis tradens. Evangelici verò omnia Sacra Monachorum inſtituta blaſphemiis ejiciunt ut ex Danæo audivimus, ad ſacrum miniſterium Evangelii omnes admittunt. Lutherus nec feminas ab Evangelii miniſterio imò nec à peccatorum abſolutione ſubmovit, omnes promiſcuè dignos eſſe etſi viliſſimos pronuntians. Et Calviniſtæ nec carnifices ſuo miniſterio cenſent indignos.

XXI. Petam ergo à Danæo & ſuis. Quis Mahometiſmum in Chri-

Chriſti Eccleſiam induxit? Quis omnium hæreſeon alveus eſt? Quis Eccleſiæ peſtis ac internecio? Papiſmus, qui omnes Mahometiſmi errores ac hæreſes in Mahometiſmo redivivas execratur? An Secta, quæ ſe Evangelicam jactat, & quæ velut alveus plures è Mahometiſmo errores ac hæreſes excepit, & in aliquibus etiam ſuperat? Judicium prudenti Lectori relinquo. Intereà Deum ſupplex oro, ut his qui in meridie cæcutiunt oculos lumine gratiæ ſuæ ad veritatem aperiat.

§. III.

De Paulicianis.

I. Pauliciani Manichæorum ſoboles appellationem & errorem ſumſerunt à Paulo quodam Samoſatis in Armenia (diverſo tamen à Paulo Samoſateno Epiſcopo Antiocheno, à quo Paulianitæ hæretici, de quibus ſupra) Hic circa annum 653. Conſtantis Imperatoris 13. & Martini I. quinto, Manichæam hæreſim in Armenia ſpargere, ac reformare aggreſſus fuit. Quamvis autem ejus Sectatores de Manichæis in Paulicianos nomine tranſierint, Capita Manichææ hæreſis ſervabant, ac præcipuè errorem de duobus principiis. Sanctiſſimæ Deiparæ Virgini Divinam eripiebant Maternitatem. Et quamvis eam, ut ſimplicibus illuderent, verbis aſſerere viderentur dicentes: *Credo in Sanctiſſimam Deiparam, in quam intravit, & ex qua exivit Dominus;* His tamen verbis ex condicto non Virginem Mariam, ſed Jeruſalem Cœleſtem in quam Præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Chriſtus, ſignificare intendebant.

II. Impiè quoquè de Divinis Myſteriis ſanctæ Communionis Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti garriebant, dicentes, Chriſtum verba ſua Apoſtolis dediſſe, eaque juſſiſſe accipere edere ac bibere, non panem & vinum, contra aperta Evangeliorum verba, quæ dicunt, quòd Jeſus accepit panem & calicem, utrumque dedit Diſcipulis, qui ex eo comederunt & biberunt omnes. Hinc panis & vini oblationem, conſecrationem, & in Corpus & Sanguinem Domini converſionem negabant.

III. Chriſtum Crucem eſſe effutiebant, omnemque Sacro Ligno venerationem adimebant. Morbis tamen afflicti Crucem ſibi imponebant, quam recuperatâ ſanitate frangebant, conculcabant, aut in ignem mittebant. Prophetas & Sanctos cæteros rejiciebant, præcipuè verò infamabant S. Petrum Apoſtolorum Principem, quem à ſalute prorsùs alienum prædicabant. Evangelium & Apo-

ſtolicas literas integras ſervabant; ſed eas ſuis erroribus accommodabant. Noſtrum Evangelium datâ occaſione adorabant, eò quòd Chriſti verba contineat.

IV. Baptiſmum ut à Chriſto inſtitutum, & ab Eccleſia frequentatum aſpernabantur: ſed pro Baptiſmo habebant verba Evangelii, quibus Chriſtus ſe Aquam vivam dixit Joan. 4. v. 10. Ita Euthymius Panopliæ p. 2. tit. 20. *Quum*, inquit, *Baptiſmum aſpernentur, illum tamen ſe fingunt ſuſcipere: Nam Evangelii verba Baptiſmum exiſtimant, quoniam Dominus, Ego ſum, inquit, aqua viva*. Quibus apparet, eos in ſuo Baptiſmo aquam naturalem non adhibuiſſe. An verò ſaltem loco uſitatæ ab Eccleſia formulæ in conferendo ſuo Baptiſmo verba illa *Ego ſum aqua viva* pronuntiarint: affirmat Voſſius de Bapt. diſput. 1. theſ. 2. dicens, quòd in Baptiſmo aquæ uſum refugerunt Pauliciani, ſolâque pronuntiatione verborum Sacramentum perficiebant, res materiales in Sacramentis averſantes, nec etiam verba quæ Eccleſia uſurpat pronuntiabant, ſed iſta *Ego ſum aqua viva*. Alii autem nulla eos verba in collatione ſui Baptiſmi pronuntiaſſe putant; ſed eorum Baptiſmum in hoc ſitum fuiſſe: quod Fides Chriſto ſivè Verbo & veritati Evangelii habita abſque omni alio Baptiſmus Chriſtianorum ſit, & id quidem, quia Chriſtus dixerit *Ego ſum aqua viva*.

V. Nihilominus interdum parvulos ſuos Baptiſmo Eccleſiæ Catholicæ offerebant, non quia putarent, Baptiſmum animæ prodeſſe, ſed corpori. Ita laudato loco Eutymius dicens: *Liberos etiam ſuos ab Eccleſiæ Presbyteris ſalutari Baptiſmo volunt aliquando luſtrari: exiſtimant enim Crucem & Baptiſmum corpori prodeſſe. Hanc tamen vim ad animæ purgationem pervenire non putant nec ullam aliam adferre utilitatem*. Quâ ratione ut ſupra dixi ad ſanitatem corporis aliquando Crucem ſibi imponebant.

Non ſolis tamen Paulicianis hic error inſederat, ſed etiam aliis ante ipſos, qui Baptiſmum non ad aliud ſuſcipiebant quàm ad corporis ſanitatem vel puritatem de quibus S. Auguſtinus Epiſt. 23. modò 98. ad Bonifacium: *Nec illud te moveat*, inquit, *quòd quidam non eá fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratiá ſpiritali ad vitam regenerentur æternam, ſed quòd eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere ſanitatem*.

VI. Idem quod Pauliciani feciſſe Agarenos, refert Matthæus Blaſtares apud Beveregium Pandect. t. 2. „ Nempè moris apud
„ pleroſque eorum fuiſſe, ut infantes ſuos non priùs circumciderent, quàm Chriſtiani Sacerdotes, qui ii tributarii eſſent, etiam
„ inviti, eos baptizaſſent. Quare controverſum fuiſſe dicit in
„ Synodo Trullana, Lucâ Chryſoberge thronum patriarchalem te-

„ tenente, utrum nimirùm eos ad veram Chriſtianorum fidem „ accedentes rebaptizare, an unguento dumtaxat inungere oporteret; & decretum fuiſſe, eos ſinè controverſia rebaptizandos „ eſſe; eò quòd Baptiſmo, quo loti eſſent, non pio inſtituto, ſed „ ut veneficio & incantamento uſi fuerint, ne circumciſis temperamentum corporis morboſum & malè olens evaderet „. Ita Blaſtares.

VII. Ei tamen aſſentiri non poſſum quòd dicat, Synodum Trullanam decreviſſe ſic baptizatos à Presbyteris Chriſtianis accedentes ad Catholicam fidem eſſe omninò rebaptizandos. Nam in primis Synodus Trullana cap. 95. loquitur de baptizatis à Paulianis & aliis, qui formam in Baptiſmo præſcriptam non ſervabant; non de baptizatis à Catholicis Sacerdotibus, licèt perversâ intentione offerentium eis oblatis. Deindè ratio eſt; Quia Baptiſmus in parvulis ab intentione offerentis in ſui validitate non pendet, ſed à conferente illum cum debita materia & forma, necnon intentione faciendi quod facit Eccleſia, quod Sacerdotes illos, eſtò invito animo, egiſſe credendum eſt. Unde quamvis offerentes parvulos non offerant animo eis ſalutem animæ ſed corporis obtinendi, eam tamen Baptiſmus ritè collatus in illis operatur.

VIII. Propterea audiendum iterum propono S. Auguſtinum Epiſt. citatâ, ubi ita proſequitur: *Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hâc intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria, & verba Sacramentorum, ſinè quibus conſecrari parvulus non poteſt. Spiritus autem ille Sanctus qui habitat in Sanctis, ex quibus una illa Columba deargentata caritatis igne conflatur, agit quod agit etiam per ſervitutem, aliquando non ſolùm ſimpliciter ignorantium, verùm etiam damnabiliter indignorum. Offeruntur quippè parvuli ad percipiendam ſpiritalem gratiam, non tam ab eis quorum geſtantur manibus (quamvis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt) quàm ab univerſa ſocietate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum ſanctâ atque individuâ caritate ad communicationem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo Mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit; quia tota omnes tota ſingulos parit.*

Nam ſi Chriſtiani Baptiſmi Sacramentum, quando unum atque idipſum eſt, etiam apud hæreticos valet & ſufficit ad conſecrationem, quamvis ad vitæ æternæ participationem non ſufficiat; quæ conſecratio reum quidem facit hæreticum extra Domini gregem habentem Dominicum characterem, corrigendum tamen admonet ſanâ doctrina, non iterùm conſecrandum: quantò potiùs in Catholica Eccleſia etiam per ſtipulæ miniſterium frumenta purganda portantur, ut ad maſſæ ſocie-

tatem mediante areâ perducantur? Hæc & alia de hac re S. Auguſtinus, quæ referuntur in Decreto *de Conſecrat. Diſt.* 4. *Can. Quæris*. In hoc aliquantum immoratus ſum, quia, ut à quibuſdam Orientalium partium Miſſionariis audivi, etiam modò aliqui Infideles ſunt, qui parvulos ſuos deſperatâ ægritudine laborantes ad Miſſionarios, ut ab eis baptizentur, deferunt, utique intentione ſalutis corporis, non animæ, eis procurandæ.

IX. Ex his infertur, Paulicianos mendacium ac ſimulationem Religionis licitam exiſtimaſſe. Unde nonnulli eorum in Catholicorum Templis ad Sacram Communionem accedebant, ut hæreſim occultarent. Cæterùm quoad mores attinet, in omne libidinis ac ſpurcitiæ genus erant effuſi. Unde Eutymius citato loco ait: *Vita autem ipſorum plena eſt intemperantiæ, plena flagitiorum & ſcelerum, quæ nec dici poſſunt, nec cogitari. Utriuſque enim naturæ commiſtione ſinè ullo rubore ad nefariam omnem impuritatem abutuntur, adeò ut ipſorum quidam etiam cum matribus conſuetudinem habere dicantur*. Hanc Paulicianorum hæreſim in Thracia fuiſſe propagatam ſub Stephano III. Rom. Pont., & Conſtantino Copronymo, refert Baronius ad ann. 755. num.4.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ in hujus ſeptimi Tomi Parte II. continentur.

A

ABELOITÆ *de Abele errabant, uxoribus non miſcebantur, ſed alienos filios adoptabant.* 227. *refutantur.* 228. 229.

Acephali *Eutychianorum proles, cur ſic dicti?* 318. *etiam Hæſitantes & Monophyſitæ appellati.* 319.

Acæmetæ, *in quo errarint.* 325. 326.

Aelurus *Timotheus pſeudo-Epiſcopus Alexandrinus in exilium mittitur.* 313. *ſed iterum ſedem fruſtra invadere conatus mortem ſibi conſcivit. Ejus ſpecialis error.* 314.

Aeriani. *Vid.* Aerius. *Alii errores eis tributi.* 28.

Aerius. *Quis fuerit: invidiâ hæreſim ſuam ſpargere cœpit: Arianus fuit.* 1. 2. 3. *ejus errores proprii.* ibid. *Epiſcopum Presbytero ſuperiorem eſſe negavit.* 5. *Suffragia pro defunctis abſtulit.* 20. *&c. ejus inſanus de hoc diſcurſus.* 23. 24. *Jejunia Eccleſiæ contemnebat.* 24. 25. *Paſcha à Chriſtianis non eſſe celebrandum dicebat.* 26.

Aetiani *iidem ac Eunomiani, ab Aetio & Eunomio dicti Eudoxiani, Troglodytæ etiam, quia in cavernis habitabant, Gothici quoque appellati.* 29. *Filium Dei creaturam Patris ponebant.* 34. *quare?* 35. *Spiritum Sanctum facturam Filii.* 36. *inter Dei eſſentiam & proprietates ſeu attributa nullam diſtinctionem ponebant.* 41. 42.

Aetius, *quia malè de Deo ſentiret, dictus Atheus.* 29. *ejus vita & mores.* 30. 31. 32. *Vid.* Eunomius.

Agapes *mulier Priſcillianiſta.* 145.

Agnoetæ *Chriſto ignorantiam tribuebant.* 322.

Agonyclitæ. 328.

Anaſtaſius *Presbyter primus Mariam Deiparam eſſe negavit.* 285. 286.

S. Anaſtaſius *præciſâ linguâ loquitur.* 345.

Anima *à Deo eſt non ab Angelis.* 100. *Divinæ ſubſtantiæ non eſt, nec priùs in Cælo peccavit.* 151. *ad imaginem Dei eſt, non corpus.* 170. *non priùs creata, quàm formatum corpus.* 171. *Impiorum anima in Dæmones non vertitur.* 175. 222. *cum corpore non perit.* 210. 211. *ex traduce non eſt.* 223. *corpo-*

rea non eſt. 220. 221.
Anomæi, *iidem ac Aetiani & Eunomiani*. 34.
Antidicomariani *unde dicti*. 62. *perpetuam Mariæ Virginitatem auferebant*. 63. *Vid.* Helvidius. Helvidiani. 212.
Apollinaris. *Pater & Filius*. 43. 50. *Occaſio hæreſis*. 44. 45. *Vitalis eum & Georgius juvit*. ibid. *detegitur & damnatur*. 46. 47. 48. *Libros edidit*. 49. *Verbum loco mentis poſuit in Chriſto*. 51. *&c. Corpus conſubſtantiale Verbo dicebat*. 54. 55. *è Cœlo delapſum, non ex Maria Virgine ſumtum*. 56. *& in illud Verbum fuiſſe converſum*. 58. *Divinas Perſonas vel confundebat, vel inter eos gradus ponebat*. 59. 60. *Regnum Millenarium admittebat*. 60. 61. *Animam ex traduce poſuiſſe quidam volunt*. ibid.
Apollinariſtæ. *Vid.* Apollinaris.
Aquarii *loco vini offerebant aquam, diverſi tamen generis erant*. 114. 115.
Aquei *aquam à Deo eſſe factam negabant*. 168. 169.
Arabici *qui, & quando orti. Animam cum corpore interire dicebant*. 210. 211.
Aſcitæ *ab* utre *dicti, iidem ac Aſcodrugitæ, eorum error*. 108. 109.
S. Auguſtinus *ſuffragia pro mortuis afferit*. 21. 22. 23. *Cultum erga Sanctos exponit*. 77. 78. *Donatiſtas arguit*. 129. 131. *&c. ex hoc quod nullum ſuæ factionis Epiſcopum Romæ habuerint*. 133. *Contra Pelagium*. 234. 255. *antea Semipelagianus*. 264. *poſtea impugnator acerrimus*. 265. *animat Catholicos ne timeant hæreſes*. 330. 331. *pro Baptiſmo parvulis ad ſolam corporis ſanitatem collato*. 363.

B

Baptiſmi *formam & ritum Eunomiani mutarunt*. 39. *in aqua fieri debet, cum ritibus*. 102. 103. *Validus à quocumque collatus*. 135. 136. *Baptizatum non reddit impeccabilem*. 202. 203. 204. *Baptiſmus parvulorum defenſus*. 247. *&c. ab aliquibus hæreticis ad ſanitatem corporis adhibitus*. 362. *non tamen parvuli ſic baptizandi ſunt*. 363.
Barſanuphitæ. 327. 328.
Bigamos *ab Epiſcopatu & Presbyteratu arcendo Catholici Montaniſtis ſimiles non ſunt*. 224. 225.

C

Cæciliani *electio in Epiſcopum Carthaginenſem occaſio ſchiſmatis*. 125. *ejus ordinatio cur impugnata*. 125. 126. *Rom. Pontifex & Conſtantinus ei favent*. 126.
Cæleſtinus *Papa contra Neſtorium*. 287. *&c.*
Cæleſtius *Pelagii ſocius*. 230. 231.
Cælibatus *defenditur*. 195.
Cal-

Calvinus *de Baptiſmo parvulorum*. 248. 249.
Caro *à Diabolo non eſt nec per ſe mala, ſed ſpiritui ſubjicienda*. 106. 107.
Carthuſianorum *ſilentium vindicatur*. 111. 112. 113.
Jo. Caſſianus *Semimelagianus*. 265. 266. *cum fama tamen ſanctitatis obiit*. ibid.
Chalcedonenſis *Synodus contra Eutychetem ſub Flaviano*. 301.
Chalcedonenſis *Synodus Oecumenica*. 306. 307. *Dioſcorus in ea damnatur*. 308. *item Eutyches*. ibid. *ejus decreta per miraculum probata feruntur*. 309. *ejus geſta*. ibid. & ſeq.
Chriſtianorum *Paſcha à Judaico quomodo differat*. 26. 27.
Chriſtolytæ. 329.
Chriſtus *animam rationalem habuit*. 52. 53. *Corpus non conſubſtantiale Verbo, nec de Cœlo delapſum*. 54. 55. 56. *ad dexteram Patris in carne ſedet*. 101. *Eo patiente Divinitas paſſa non eſt*. 165. 166. *non omnes ab Inferis liberavit*. 178. 179. *clauſo utero Virginis prodiit*. 209.
de Cibo *hæretici dum edebant, neminem præſentem volebant*. 156. *à ſolitariis Monachis diverſi*. 157.
Circumcelliones *falſi Donatiſtarum martyres*. 142. 143.
Circuminſeſſio *Divinarum Perſonarum defenditur*. 95. 96.
Collyridiani. *Unde orti*. 72. 73. *ſic dicti à quibuſdam mulieribus quæ Collyridam panis Beatæ Mariæ veluti Deæ offerebant*. ibidem.
Coluthiani *Deum non facere mala dicebant*. 114. 115.
Coluthus *qui fuerint*. 115. 116.
Conſtans *Imperator Typum edidit*. 339. *ejus impietas*. 340. &c. *infælix obitus*. 346. 347.
Conſtantinopolitana *Synodus contra Monothelitas*. 348.
Conſtantinus *Magnus quid egerit in cauſa Donatiſtarum*. 126. 127.
Conſubſtantialitas *miraculo in Africa comprobata*. 345. 346.
Corpus *humanum à Diabolo non eſt*. 153.
Corrupticolæ. 321.
Cultus *Sanctorum qualis*. 77. *B. Mariæ*. 80. 81. 82.
S. Cyprianus *Epiſcopum Presbytero ſuperiorem facit*. 11. 12.
S. Cyrillus *contra Neſtorium*. 287. 288. *ex ejus Synodica colligitur realis Chriſti in Eucbariſtia præſentia*. 288.

D

Damaſus *Papa Apollinarem damnat*. 46. 47.
Danæus. *Aetium fuiſſe hæreticum negat. quare?* 4. *Epiſcopo jure Divino parem Presbyterum facit*. 7. &c. *Rejicitur*. 16. 17. &c. *Suffragia pro defunctis negat*. 20. *probantur*. 21. &c. *Canones falsò citat*. 22. 23. 24. *Solita Jejunia cum Aerio reſpuit ut ſuperſtitioſa*. 25. *Contra votum Virginitatis blaterat*. 68. 69. 70. *Contra* cul-

cultum B. Mariæ & Imaginum inſanit. 76. &c. refutatur. 78. 79. 80. &c. Monachos Maſſalianis ineptè comparat. 85. 86. &c. 88. Circuminſeſſionem calumniatur. 95. 96. Ritus Baptiſmi ſugillat. 102. 103. Silentium Monachorum carpit. 111. 112. 113. Excalceatos inſectatur. 122. 123. Marcum Priſcillianiſtam facit Monachum. 145. Vitam ſolitariam damnat. 157. 158. Rhetorios damnare videtur, ſed verè cum eis ſentit. 161. 162. 163. Pro Joviniano ſtat contra cælibatum. 194. 195. 197. contra Jejunia. 200. 201. Catholicos cum Montaniſtis falsò miſcet. 224. de Baptiſmo parvulorum. 250. Cur inter hæreticos Vigilantium non referat? 276. &c. Mahometiſmum cum Papatu comparat. 354. 355. calumnia in ipſum retorquetur. 357. 358. 359. 360.

Deum à ſe videri ſicut Deus videt ſe ipſum blaſphemabat Eunomius. 37. 38. Deus auctor mali culpæ non eſt. 101. benè tamen mali pœnæ. 116. 117. corporeus non eſt. 220.

Dioſcorus *Alexandrinus Epheſinæ II. prædatoriæ Synodo præſidet. 302. ejus impietas in Flavianum. 304. in Synodo Chalcedonenſi ſedere prohibitus tandem deponitur. 307. 308. ejus depoſitio impugnatur. 312. 313.*

Donatiſtæ *primò ſchiſmatici deinde hæretici, ſchiſmatis occaſionem dedit Lucilla odio in Cæcilianum. 124. 125. à Donato à Caſis nigris appellati. 126. à Conſtantino compreſſi. 127. 128. ſchiſma inter ſe faciunt. 128. 129. ſub Juliano vires reſumunt. 129. Catholicos Macarianos appellabant. 130. Eccleſiam in ſolis ipſis remanſiſſe dicebant. 131. Unus ex eis Romæ manebat. 132. 133. qui Romæ manebant Montenſes ſeu Campitæ vocabantur. 133. ad ſe venientes rebaptizabant. 134. 135. 136. aliqui de Trinitate malè ſentiebant. 137. Euchariſtiam canibus projiciebant, altaria, ſacros calices, codices, pallas frangebant, Catholicis erepta Templa purgabant, ſacras Virgines novo velo induebant. 138. 139. 140. In Catholicos ſæviebant. 141. etiam mortuos. 142. Martyres ſe occidendo Circumcelliones falsò prædicabant. 143. Monachorum hoſtes erant. 144.*

Donatiſtæ *alii. 329.*

Donatus *à Caſis Nigris à quo Donatiſtæ. 126.*

Donatus *Epiſcopus Carthaginenſis. 126. 128.*

E

Eccleſia *Catholica dum Virginitatem laudat, nuptias non damnat. 70. 71. 72. nunquam periit. 131. 132. defenditur contra Danæum. 356. &c.*

Epheſina *II. dicta Prædatoria Synodus pro Eutychete quid in ea*

Digitized by Google

ea geſtum. 302. 303. 304. *&c.*
Epheſina *Synodus contra Neſtorium*. 289. *geſta in ea*. 290. *Theodoſius Imp. decipitur, ſed ſtatim reſipiſcit*. 291.
*S.*Epiphanius *de Aerio.* 1.2.3.*pro Epiſcopatu.* 18. *de Aetio*. 32. *contra Eunomium*. 37. *contra Collyridianos*. 73. 74.
Epiſcopatus *jure Divino Presbyteratu ſuperior eſt*. 5. 6. *&c. contraria ſolvuntur*. 9. *&c.*
Epiſcopi *ex eorum ab Apoſtolis ſucceſſione Catholica doctrina probatur*. 12. 13. 14. *Danæi calumniæ diſſipatæ*. 18. 19.
Ethicoproſcoptæ. 329.
Ethnophrones. 329.
Eudoxius *Aetii fautor quis fuerit?* 33. *fortè martyr*. ibid.
Eunomiani *iidem ac Aetiani*. 29. *Vid.*Eunomius.*dicti* Anomæi.
Eunomius *Aetii diſcipulus errores auxit*. 33. *ejus error de Trinitate.* 36. *ſe Deum ita perfectò cognoſcere dicebat, ſicut Deus ſe ipſum*. 37. *& non fide ſed clara viſione comprehendere*. 38. *Verbum Divinum animam non ſumſiſſe*. ibid. *Baptiſmi formam & ritus mutavit*. 39. *Sanctorum Reliquias contemnebat*. 40. *Fidei ſuæ vitam malam non obeſſe ad ſalutem*. 40. 41.
S. Euphemiæ *miraculum ad ejus ſepulcrum*. 308. 309.
Euſtathius *Epiſcopus Sebaſtenus Arianus fuit*. 3.
Eutyches *quis fuerit*. 298. *ejus hæreſis ortus*. 299. *vocatus ad Synodum diſſimulat*. 299. 300. *tandem venit & damnatur*. ibid. *Contra Synodum Conſtantinopolitanam reclamat*. *Cauſa ad S. Leonem à Flaviano remittitur*. 301. *Epheſina II. Synodo abutitur*. 302. 303. *Dioſcoro contra Flavianum ei favente*. 304. *Chalcedonenſis Synodus contra eum cogitur*. 307. *damnatur*. 308. *ejus errores qui fuerint S. Leo deſcribit*. 309. *&c.*
Eutychiani *præcipui Timotheus Ælurus & Petrus Moggus*. 313. 314. 315. *eis in ſuo Henotico Zeno Imperator favet*. 316. 317. *Ex Eutychianis orti Acephali ſeu hæſitantes & Monophytæ. Item Jacobitæ*. 318. 319. *Corrupticolæ*. 321. *Phantaſiaſtæ*. 322. *Agnoetæ*. 323. *Tritheitæ*. 324.
Excalceati. *Vid.* Nudipedales.

F

Fauſtus *Semipelagianus fuit*. 266. 267.
Fides *ſola ſine operibus non ſufficit ad ſalutem*. 41.
Filius *Dei non eſt creatura Patris contra Anomeos*. 35. *non eſt in Patre ſicut vas in vaſe*. 94. *Nativitas ejus non temporanea*. 180. 181.
Flavianus *Ep. Conſt. ſuæ Synodi acta ad S. Leonem pro approbatione dirigit*. 301. *à Dioſcoro impiè ab Eccleſia ejectus paulò poſt moritur*. 304.
Floriani *à Florino dicti Floriniani*.

Digitized by Google

ni. 118. 119. *Marcionis*, *Valentini*, *Manichæorum ſoboles*, *alios addebant errores*. ibid.

G

Gennadius *Semipelagianis accenſetur*. 270. 271.
Georgius *Arianus*. 44.
Gloria *gradus admittit*. 206.207.
Gnaphæus *Petrus Neſtorii hæreſim excitavit*. 297.
Gnoſimachi *ideſt Scientiæ adverſarii*. 3.
Græci *in cultu B.V. & SS. cum Latinis conveniunt*. 81. 82.

H

HÆreſes *non fecerunt niſi magni homines*. 146.
Heliotropitæ. 328.
Helpidius *Priſcillianiſta*. 145.
Helvidiani *ab Helvidio*. *Vid.* Antidicomariani.
Helvidius *B.Mariam fuiſſe perpetuò Virginem negabat*. 64. *&c.* 212.
Henoticon *Zenonis*. 316. 317.
Heraclii *Imp. Ectheſis*. 332. 333. 336.
Hermas. *Plures hoc nomine fuerunt*. 98.
Hermiani, *alias* Seleuciani, *à quo orti, incertum*. 97. 98. *materiam Deo coæternam ponebant*. 99. *Animas eſſe ab Angelis*, *malum aliquando à Deo*, *aliquando à materia*. *Chriſtum in carne non ſedere ad dexteram Patris*. 100. 102. *de Paradiſo & Baptiſmo errabant*. ibid.
Hicetæ. 328.
S. Hieronymus *Epiſcopatum non deprimit*. 15. 16. 17. 18. *Helvidium impugnat*. 67. *Pelagium quoque*. 252. 253. 256. *contra Vigilantium*. 276. *&c.*
Hilarius *Arelatenſis an Semipelagianus fuerit*. 267. 268.
Hilarus *ſecta Luciferianus*. 190. 191.
Homo *Syderum neceſſitate non agitur*. 152.
S. Honoratus *Maſſilienſis an Semipelagianis adhæſerit*. 271.
Honorius *Papa Monothelitis non favit*. 334. 335. 336.
Hydroparaſtatæ. *Vid.* Aquarii.
Hyginus *ſeu Adyginus*, *Cordubenſis Priſcilliani hoſtis poſtea fautor*. 147.

I

JAcobi *Syri errores circa fidem & ritus*. 320.
Jacobitæ *Eutychianorum ſecta à Jacobo Syro*. 319.
Janſenius *Ypreuſis Prædeſtinatianos S. Auguſtini diſcipulos fuiſſe vocatos putat*. 274.
Idacius *Epiſcopus nimio zelo Priſcillianiſtas inſequitur*. 147. 149.
Jejunia *Eccleſiæ Aerius contemnebat*. 24. *probantur*. 25. *Jovinianus etiam*. 198. *ſtatuuntur*. 199. 200.
Imaginum *veneratio*. 77. *B.Mariæ*. 80. *Eccleſia Græca conſenſus*. 81. 82.
Innocentius I. *Pelagium damnat*. 231.

In-

Inſtantius & *Salvianus Priſcillianiſtæ*. 147.

S. Joſeph *Mariam poſt partum non cognovit*. 65. 66. *&c.*

Jovinianiſtæ. *Vid.* Jovinianus.

Jovinianus *Monachus nuptias virginitati æquabat*. 192. *Leges contra ipſum*. 193. 194. *impugnatur*. 195. 196. *Jejunia & abſtinentias nihil prodeſſe dicebat*. 197. 198. *Gratiam poſt Baptiſmum inamiſſibilem ponebat*. 201. 202. *Omnia etiam peccata paria & parem gloriæ gradum*. 204. *&c. in partu B. Mariæ vulvam fuiſſe laxatam*. 208.

S. Irenæus *pro Epiſcopatu*. 13.

Iſacius *Exarchus occiditur*. 337.

Ithacius *Epiſcopus cum Idacio nimio zelo Priſcillianiſtas perſequitur*. 147. 149.

Julianus *Pelagii aſſecla quis fuerit*. 233.

L

Lampetiani. 330.

Lampetius *liberum cuique quod vellet ſequi dicebat*. 160.

S. Leo *quid in cauſa Eutychetis egerit*. 301. *&c. Legatos ad Synodum Epheſinam II. mittit*. 303. *Eutychetis errores in Concilio Chalcedonenſi damnatos exponit & corripit*. 308. 309. *&c.*

Leonis *Imperatoris pro fide zelus*. 313.

Liberatores *ab errore dicti, quo dicebant Chriſtum etiam incredulos ab inferis liberaſſe*. 177. *&c.*

Lirinenſis *monitum ne quis de ſcientia nimis præſumat*. 50. *an Semipelagianiſmo tinctus fuerit*. 268. 269. 270.

Lucifer *Calaritanus initio pro fide acerrimus*. 182. 183. *poſtea in ſchiſma lapſus*. 184. *in eo permanſiſſe & obiiſſe probabilius videtur*. 185. 186. *quando ejus ſchiſma cœperit*. 191.

Luciferiani *an verè fuerint hæretici*. 187. *errabant de origine animæ: ab hæreſi redeuntes non recipiebant, Hæreticos Chriſtianos eſſe negabant, venientes ab hæreſi Hilarius baptizabat*. 188. 189. 190. 191.

Lucilla *ſchiſmatis Donatiſtarum incentrix*. 125.

Lutherus *contra cælibatum Joviniano pejor*. 192. 193.

M

Mahometanæ *Sectæ auctor Mahometes, quis fuerit & qua occaſione eam fundaverit*. 352. *ejus errores*. 353.

Majorinus *in Sedem Carthaginenſem ſimoniacè intruſus*. 125. 126. *Arianis faviſſe creditur*. 136.

Malum *à Deo non eſt, nec à materia*. 101. *malum pœnæ à Deo eſt*. 116. 117.

Marcianus *Imp. Concilium Chalcedonenſe contra Eutychetem promovit*. 307.

Marcus *Ægyptius Priſcillianiſtarum auctor. Non fuit Monachus*. 145.

B. Maria *Virgo. Ex ipſa Ver-*

Digitized by Google

bum carnem ſumſit. 56. 57. *fuit perpetuò Virgo etiam poſt partum*. 64. 65. *Virginitatis votum emiſit*. 69. *quo cultu à Catholicis honoretur*. 78. 79. 80. *Anatolium ad ſuam Imaginem accedentem rejicit*. 80. 81. *clauſo utero peperit*. 208. 209.

S. Martinus *Rom. Pont. à Conſtante Imp. patitur, torquetur, moritur*. 342. 343.

Martyres *Donatiſtarum falſi*. 142. 143.

Maſſaliani, *qui fuerint, & quando orti*. 82. 83. 84. *comam & barbam nutriebant*. 85. 86. *aliquandiù latuit hæreſis*. 86. 87. *Baptiſma & Eucharistiam parvifacientes ſoli orationi vim tribuebant*. 88. 89. *Satanam orabant*. 89. *Revelationes jactabant, præter orationem alia bona opera contemnebant*. 90. *poſt orationem ſomno indulgebant*. 91. *alios errores refert Damaſcenus*. 92.

Maſſilienſes *Semipelagiani*. 265.

Materia *Deo non coæterna*. 99. 100.

S. Maximus *Abbas à Monothelitis multa paſſus*. 344. *præciſa lingua loquitur*. 345. 346.

Melitonii *ſeu Audæani corpus eſſe imaginem Dei ponebant*. 170.

Menſurius *Epiſcopus Carthaginenſis*. 125.

Metangiſmonitæ *unde dicti & quando orti*. 93. *Filium eſſe in Patre ſicut vas minus in majori*. 94.

Millenarium *Regnum falsò aſſertum ab Apollinare*. 61.

Moggus *Petrus Eutychianus Æluro ſuccedit, ejicitur tamen, ſed reſtituitur*. 314. 315.

Monachi *à Maſſalianis diverſi*. 85. 86. 88. *eorum ſilentium defenditur*. 111. 112. 113. *Excalceati à Nudipedalibus ſecernuntur*. 122. 123. *Donatiſtis inviſi*. 144.

Monothelitæ *ut veteres declinarent, novam hæreſim condiderunt*. 331. *&c. Heraclius Imp. non advertens eis favet ſuâ Ecteſi*. 332. 333. *Quid in hoc egerit Honorius Papa*. 334. *&c. Theodorus*. 340. *Martinus I. quanta paſſus*. 341. *&c. S. Maximus Abbas*. 344. *Conſtantis Imperatoris pro hæreſi crudelitas*. ibid. &c. *Monothelitæ confutantur*. 347. 348. *&c.*

Mortem *ſibi conferre illicitum*? 143.

Mulier *Sacerdotalis officii incapax*. 73. 74. 75. *exemplo Beatæ Mariæ*. ibid.

Mundi-Æternales *Mundum non fore immutandum dicebant*. 120. *quando orti ſint, incertum*. ibid.

Mundus *poſt reſurrectionem quomodo mutandus*. 120. 121. *Mundi innumerabiles non ſunt*. 173.

N

Nabuchodonoſor *quomodo in beſtiam converſus*. 176.

Nativitarii *dicti, quia nativitatem*

tem Filii Dei temporalem, non æternam aſſerebant. 179. *&c.*
Neſtoriani. *Vid.* Neſtorius.
Neſtorius *patriâ Syrus, profeſſione Monachus, vultu auſterus. Epiſcopus factus in hæreticos ſævire cœpit.* 283. 284. 285. *B. Mariam* Deiparam *eſſe negare cœpit.* 285. *licèt Socrates eum purgare conetur.* 286. 293. *Geſta Cæleſtini & Epheſinæ Synodi contra ipſum.* 287. *&c. in Monaſterium relegatus deponitur.* 291. 292. *Ejus error Verbum eſſe per ſolam inhabitationem in homine Chriſto.* 292. *rejicitur.* 293. 294. 295. *Alter B.Mariam non eſſe Matrem Dei exploditur.* 296. *Unde errores hauſerit.* 296. 297. *Neſtorii exitus, hæreſis, progreſſus, ac innovatio à Petro Gnaphæo.* 297.
Nudipedales *in quo errabant.* 121. *diverſi à Monachis, qui excalceati incedunt.* 122. 123.
Nuptiæ *Virginitati non æquandæ.* 192. *&c. earum actus licitus.* 228. 229.

O

OPhei *nomine & auctore incerti innumerabiles Mundos ponebant.* 172. 173.
Oratio *ſola non ſufficit.* 90.
Origenes *Arabicorum hæreſim confutavit.* 210. 211.

P

PArermeneutæ. 330.
Paſcha *Chriſtianorum à Judaico diverſum.* 26. 27. 28.
Paterni *à Paterno. Vid.* Venuſtiani.
Patriciani *è cœno Marcionitarum prodiere, carnem non à Deo ſed à Diabolo eſſe aſſerebant.* 105. 106.
Pattalorinchitæ *digitum ori ad ſilentium apponebant.* 110.
Pauliciani *Manichæorum ſoboles à quodam Paulo. Impiè ſentiebant de Euchariſtia, de Chriſto & Cruce, de Baptiſmo.* 361. *illum ad ſanitatem adhibebant.* 362.
S. Paulus *Presbyteros Epiſcopis pares non facit.* 9. *cur ab Epiſcopis tranſit ad Diaconos.* 10.
Paulus *Monothelita.* 338. 339. *auctor typi.* 340. *moritur.* 343.
Peccare *baptizatus poteſt.* 202. *peccata non ſunt paria.* 204. 205.
Pelagiani. *Vid.* Pelagius. *Gratiam inamiſſibilem ponebant.* 251. *&c. Eorum orationes.* 255. 256. *Prædeſtinationem rejiciebant.* 256. 257. *hominem ſine peccato eſſe poſſe, ſicut Chriſtum dicebant.* ibid.
Pelagii *perſona, indoles, ſocii in hæreſi & ortus.* 230. 231. *&c. Error de Gratia Dei.* 234. 235. *&c. refutatur.* 236. *&c. ejus orationes.* 239. *error de Adamo & peccato originali.* 241. *&c. de Baptiſmo parvulorum.* 247. *&c.*

S. Petrus *quo ſenſu Epiſcopos vocat* Compresbyteros. 9.

Phantaſiaſtæ. 321.

Philaſter *de Proclianitis.* 104. *de creatione animæ ſingularis eſt.* 171. 172.

Prædeſtinatiani *unde orti, ubi damnati.* 273. *qui fuerint, à quibus revocati.* 274. &c. *S. Auguſtinus evertit.* 275.

Prædeſtinatio *non tollit ſtudium bonorum operum.* 275.

Presbyteratus *jure Divino Epiſcopatu inferior eſt.* 11. 12. &c.

Priſcillianiſtæ *Gnoſticorum lues à Marco Ægyptio non Monacho in Hiſpania Agapi, Helpidio & Priſcilliano inſpirata.* 144. 145. *Unam in Patre, Filio & Spiritu S. Perſonam ponebant. Virtutes quaſdam admittebant. Chriſtum Filium Dei Unigenitum, quia ex Virgine natum dicebant. Animam hominis Divinæ eſſe ſubſtantiæ. Priùs in Cælo peccaſſe. Fatali neceſſitate homines cogi. Nuptias damnabant. Corpora hominum à Diabolo facta afferebant. Conjugia diſſolvebant. Carnes non edebant. Die Dominico jejunabant. Scripturas adulterabant. Mendacium ac perjurium licita admittebant.* 150. 151. 152. 153. 154. 155. *Diabolum nunquam fuiſſe bonum.* 153.

Priſcillianus *vir nobilis, doctus.* 146. *hæreſi nomen dedit.* 147. *damnatur. Epiſcopus è laico fit. Romam cum ſociis petit. Repulſus ad Imperatorem appellat. Capite plectitur.* 147. 148. 149.

Proclianitæ *cum Hermianis errabant.* 103. 104. *addebant, Chriſtum non in carne veniſſe.* ibid.

Proterius *Alexandr. Epiſcopus in locum Dioſcori electus occiditur.* 313.

Proteſtantes *cum Aerianis conveniunt.* 4. &c. *cum aliis hæreticis. Vid.* Danæus. *Donatiſtas imitantur.* 131. 144. *Sed in parte diſcordant.* 132. 133. *Quid de veritate Religionis ſentiant.* 161. 162. 163. *Contra cælibatum Joviniano pejores.* 193. *Cum eo contra Jejunia & abſtinentias ſentiunt.* 200. *Vigilantium imitantur.* 278. &c. *Mahometanis in multis ſimiles.* 357. 358. &c.

Purgatorium. *Vid.* Suffragia.

Pyrrhus *Patriarcha Conſt.* 337. 338. *Sedi renuntiat.* ibid. *eam repetit, ſed moritur.* 343.

Q

Quadrageſimæ *& alia jejunia à quibus reprobata. Vid.* Jejunia.

R

Reliquias *SS. contemnebant Eunomiani.* 40.

Religionem *quam quiſque voluerit amplecti liberum non eſt.* 160. 161. &c.

Rhetorii *à Rhetorio vel à Themiſtio dicti omnes hæreſes admitte-*

Digitized by Google

tebant. 159. 160. *ab eis non diſcordant moderni Hæretici*. 162. 163. *Quo tempore emerſerint*. 163. 164.

S

Sacrificium *ſoli Deo offerendum*. 77.
Salophaciolus *Timotheus Epiſcopus Alexandrinus*. 313.
Sanctorum *cultus à cultu Dei diverſus*. 77. *&c.*
Seleuciani. *Vid.* Hermiani.
Semipelagiani. *Initium fidei & ſalutis à nobis eſſe dicebant*. 257. 258. *gratiam interiorem excludebant*. 259. *perſeverantiam in bono Dei donum eſſe negabant*. 260. *Gratiam libero arbitrio ſubdebant, ac Deum æquè velle omnium ſalutem*. 261. *Prædeſtinationem ex meritis ponebant*. 262. *In quo à Catbolicis in hoc differrent*. 261. 263. *Certum prædeſtinatorum numerum negabant*. 264. *Hæreſis ortus, auctores & ſectatores*. 265. *&c. Cur eorum quidam ut ſancti colantur*. 272.
Sergius *auctor Ecteſis*. 337.
Severinus *Rom. Pont.* 337.
Severus *Acephalorum auctor*. 328.
Silentium *Monachorum propugnatur*. 111. 112. 113.
Solitaria *vita defenditur*. 157. 158.
Spiritum S. *factaram Filii ponebat Aetius*. 36.
Sulpitius *Severus de Priſcillianiſtis*. 146. 147. *&c.*
Suffragia *pro defunctis negabat Aerius*. 20. *afferuntur*. 21. *&c. ex Eccleſiæ traditione*. 24.
Symmachus *omnem Religionem admittebat*. 160.

T

Tertullianiſtæ *à Tertulliano*. 217. *Deum corporeum & animam afferebant*. 220. 221. *animam ex traduce eſſe, ſceleratorum verti in Dæmones*. *Secundas nuptias damnabant*. 222. 223. *Errores eis ac Tertulliano tributi*. 224. 225. 226.
Tertullianus *pro Epiſcopatu*. 12. 13. 14. 15. *de anima quid ſentiat*. 217. *ejus vita & à fide diſceſſus*. 218. 219. *ejus errores. Vid.* Tertullianiſtæ.
Tertullii *animas hominum impiorum in Dæmones verti dicebant*. 174. 175.
Tetrathei *præter tres Perſonas eſſentiam in Deo ut quartam ponebant*. 167.
Themiſtius *afferebat, unumquemque ſequi poſſe quod ſibi placet*. 159.
Theodorus *Rom. Pont. Typum reprobat*. *Moritur*. 340. 341.
Theodoſius *Imp. Synodum Epheſinam optat*. 289. *à Candidiano decipitur, ſed reſipiſcit*. 291. *iterum deceptus Eutycheti favet*. 302. 304. *tandem reſipuit ac obiit*. 305.
Theocatagnoſtæ. 329.
Theopaſchitæ *qui fuerint, & quando. Chriſto patiente Divinitatem paſſam dicebant*. 164. 165.

S. Tho-

*S.*Thomas *contra Pelagium.* 238. 242. *&c.*

Timotheus. *Vid.* Ælurus. *Vid.* Salophaciolus.

Tiridates *Rex an in beſtiam converſus.* 177.

Tnetopſychitæ. 328.

Traditio *tenenda.* 24. 25.

Triformii. *Trinitatem ex Perſonis ut partibus conſtare dicebant.* 166. 167. *diverſi à Tritheis & Tetratheis.* 167.

Trinitas. *In ea non ſunt gradus.* 60. *nec partes.* 167.

Trithei *tres Deos ſicut tres Perſonas admittebant.* 167.

Tritheitæ. 324.

Typus *Conſtantis Imp.* 339.

V

Venuſtiani *ſeu Paterniani.* 213. *Partes hominis pudendas à Diabolo eſſe dicebant.* 214. *refutantur.* 215. 216.

Verbum *in Chriſto non fuit loco mentis & rationis.* 52. 53. *Quomodo factum caro.* 54. *non converſum in carnem.* 58.

Vigilantius *quis fuerit, & indole qualis.* 276. 277. *Indoctus ſed audaciſſimus.* ibid. *in SS. Reliquias ſæviit.* 278. 179. *Martyres pro nobis non orare dicebat.* 280. *de miraculis ad eorum ſepulcra factis quid ſentiret.* 281. *Virginitatem deſpiciebat. Vigilias admittebat ſed quomodo? Eleemoſynas in ſubſidium pauperum aliò miſſas damnabat. Monachos inſectabatur.* 281. 282. 283.

Vincentius *Semipelagianus quis fuerit, an Lirinenſis.* 268. 269. 270.

Virginitatis *votum defenditur.* 70. 71. 195. *Quod quis eam non ſervet, non virginitatis culpa, ſed hominis vitium eſt.* 213.

Vitalis *Apollinaris adjutor.* 45. *damnatur.* 46. 47.

Z

Zenonis *Imperatoris Henoticon.* 316. 317. *Eutychianam hæreſim propagavit.* 317. 318. *&c.*

Zozimus *Papa quid egerit in cauſa Pelagii.* 231.

FINIS.

Digitized by Google